
2








Pharmacopœi Parisienses

Ex Dono Magistri
Gillet Antiq: Consul:
Ædilis & Præfecti.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

THEATRVM CHEMICVM,

PRÆCIPVOS SELECTORVM AVCTORVM TRACTATVS DE CHEMIÆ ET LAPIDIS PHILOSOPHICI ANTIQVITATE,

veritate, iure, præstantia & operationibus, continens:

IN GRATIAM VERAE CHEMIAE, ET MEDICINÆ Chemicæ studiosorum (vt qui vberrimam inde optimorum remediorum messem facere poterunt) congestum, & in tres partes seu volumina digestum;

SINGVLIS VOLVMINIBVS, SVO AVCTORVM ET LIBRORVM CATALOGO PRIMIS pagellis: rerum vero & verborum Indice postremis annexo.

VOLVMEN SECVNDVM.





URSELLIS

Ex Officina Cornelij Sutorij, sumtibus Lazari Zetzneri Bibliop. Argent.

M. DC II.

ELENCHVS AVCTORVM ET TRACTATVVM SECVNDÆ PARTIS.

GASTONIS Clauei. *Apologia Chryſopœiæ & Argyropœiæ aduerſus Thomam Eraſtum: in qua disputatur & docetur, An, Quid & quomodo ſit Chryſopœia & Argyropœia.*

Ægidii de Vadis. *Dialogus inter naturam & filium Philoſophiæ.*

Tabula, diuerſorum Metallorum vocabula, quibus vſi ſunt veteres ad artem celandam, explicans.

Georgii Riplei. *Duodecim portarum Epitome, duobus modis concinnata.*

Alberti Magni *Breue compendium de mineralibus.*

Iſaaci Hollandi. *Fragmentum de opere Philoſophorum.*

Bernardi G. Penoti. *Quæſtiones tres de corporali Mercurio, An arte ex corporibus perfectis extractus, ſuo corpori commixtus faciat ad generationem lapidis Phyſici, ſicut eſt quarundam firma opinio.*

Ad varias quæſtiones reſponſio.

Quinquaginta ſeptem Canones de opere Phyſico, quibus ars dilucidior fit.

Vera Mercurii ex auro extractio cum ſua hiſtoria.

Chryſorrhoas, ſiue de arte Chemica Dialogus, qui præclariſſimas huius artis actiones, rationi & naturalibus principiis conſentaneas eſſe demonſtrat: impoſtorum vero & ſycophantarum ſomnia & nugas detegit.





AD LECTOREM

BERNARDI G. PENOTI A PORTV S. MARIÆ AQVITAN. PRÆFATIO, IN QVA OMNEM totius artis potentiam & efficaciam in duobus consistere verbis ostendit.

NON est (amice Lector) quod refricem diu agitatas illas quæstiones, quibus quæritur: An Ars transmutationum sit vera: cum anno proxime præterito, id grauissimorum virorum testimoniis, & auctoritatibus, satis superq; probauerim, quum huius argumenti plures sint libri æditi. Lectores itaque ad eam remitto præfationem, quam non ita pridem, ei Dialogo, qui est inter Naturã & filium Philosophiæ præfixi. Ridiculũ vero foret, si in præsentia repetitionibus vterer: siquidem Auctor libri huius CLAVEVS *aduersus* THOMAM *Erastum disputans, eiusque argumenta omnia solide refutans, firmissimis tum rationibus; tum demonstrationibus, (adde & certis experimentis) Artem veram, certam & facilem esse ostendit, & confirmat. Quapropter qui auctoritatibus & exemplis veritatem Artis tibi probari vis (Lector) huius* CLAVEI *librum percurre. Sed antequam operari incipias, rerum naturalium causas prudenti consilio perpende, aut noli rem aggredi. Incauti prima fronte hunc librum intuentes, implicabuntur. Tu (amice Lector) magno cum iudicio, lege, relege, ora, labora, & Deus mysteriorum*

 auctor

auctor tui miserebitur. Hoc vnum te latere nolo, omnẽ potentiam & totius artis efficaciam, in duobus consistere verbis, nimirum, SOLVE & COAGVLA.

Solutio duplex. Solutio per aquã Mercurialem, ad opus vniuersale spectat.

Solutio duplex est. Prior soluit corpora in Mercuriũ, id quod fit per Mercuriũ. Et inuenta est ad particularia, quã istius libri Auctor sequitur. Altera vero in aquam Mercurialem. Hæc ad opus vniuersale pertinet. Estq; transmutatio quædã corporum metallicorum in ipsorũ primã materiam. Quam doctus huiusce operis Auctor negat fieri posse, & spiritus mineralium fixari cum perfectis corporibus, Raymundoq; Lullio refragratur, illud impoßibile. Cuius opinionem non assequor. Imo contrarium auctoritatibus plurimorum huiusce Artis virorũ probo. Geber.n.in tertia parte pfecti Magisterij c.32. de auro inquit: Aurum quoq; est Metallorum pretiosißimũ, & est tinctura rubedinis, quia tingit, & transmutat omne corpus, calcinatur & soluitur cum vtilitate & sine vtilitate, & est medicina lætificans & in iuuẽtute corpus conseruans. Frangitur facile cũ Mercurio: & odore Saturni teritur. Iupiter & Luna illi in substãtia cõueniunt. In põdere & putredine, SATVRNVS, *vltimo vero Mars. Et est vnũ de maximis secretis naturæ. cũ ipso similiter cõmiscentur spiritus, & figuntur per ipsum maximo ingenio, qđ non peruenit ad artificẽ duræ ceruicis & pectoris. Hæc* GEBER. *Ex* SCALA *philosoph. Spiritus congelantur beneficio dissolutionis naturæ fixæ, & corporis, & mixtionis illius, cum argento viuo: Et alius. Fige ergo terrã, & aquã, vt aër poßit figi in aqua: quoniã si aquam bene occidisti, omnia elementa occidisti, & mortua sunt. Hactenus. De his plura lege in libro, qui Septem claues Artis insignitur, quẽ aliquãdo in publicũ ædam: vna cũ tractatu aquarũ mercurialiũ, quibus quæuis metalla in currentem Mercurium reducuntur: si æternus* DEVS *Opt. nos supstites voluerit. His interim (humane Lector) fruere & Vale, & nostris lucubrationibus faue.*

GEBERI opinio digna notatu.

Summe notandũ.

Libellus qui septẽ claues artis dicitur inquirendus.



APOLOGIA ARGYROPOEIÆ ET CHRYSOPOEIÆ.



Ovvm hoc dicendi ſubiectum tanquam à profeſſione noſtra alienum plerique ſtatim audito Apologiæ ſeu defenſionis huiusce titulo damnabunt. Sed & plures me temeritatis coarguent, quod cum potentiſſimo aduerſario Thoma Eraſto Germano Medico, atque excellentiſſimo Philoſopho, in re toties præiudicata congredi audeam: Tum vero quod in re tam abſtruſa, multisque multorum ſeculorum viris ampliſſimis hactenus incognita, certi aliquid & veri pronunciare contendam. Multi, vt varia ſunt hominum ingenia, de hac noſtra Apologia ſeu defenſione Argyropœiæ & Chryſopœiæ varie æſtimabunt. Quibus omnibus reſponſum eſſe velim, me nullis eorum æſtimationibus ab hoc inſtituto meo auocari poſſe, dum Reipubl. cui omnes fortunarum noſtrarum maiorem partem debemus, prodeſſe puto. Sane ego vt variæ ſunt à Natura hominum inclinationes, cum aliquando per otium licuit, veterum, qui de hac re tractarunt, volumina diligenter perlegi, naturam Metallorum proprijs examinibus exploraui, hos, qui huiusce artis ſecreta callere præ cæteris putabantur, audiui, conſului: multa multis ab hinc annis tentaui: & quam ſummi viri operam in euoluendis libris, à profeſſione propria alienis, ſuccíſiuis horis collocarunt, in artis ſtudium iiſdem horis eandem operam aliquando impendi. Neque alius fuit ſcopus, quam veritatis agnoſcendæ ſtudium, quam vnumquemque virum probum totis viribus amplecti oportet. Veterum ſcripta vere omnia ænigmatica, & veluti Apollinis oracula, nulla arte tradita deprehendi, vt incertus magis ab eorum lectione abierim, quàm cum primum ad eam acceſſiſſem. Solus Geber Arabs aliquo ordine atque methodo hanc artem tradidiſſe videtur, ſed, vt ipſe fatetur capite vltimo ſuæ ſummæ perfectionis, vbi magis aperte locutus eſt, ibi magis artem ſuam occultauit: plura etiam ſophiſtica & inutilia veris & vtilibus miſcuit, & quam

Exordiũ. *Scripta veterum obſcura.* *Geber.*

plerique ex illius libris metamorphosin expectabant in sese ipsis experti sunt: ita vt ex diuitibus pauperes euaserint, & ex honestis viris turpes habiti sint. Quod & ijsdem accidisse video, qui aliorum scripta nullis rationibus fulta, sed per manus tradita, experiendo miseri & mendici cõspiciuntur. Quæ cum omnia apud me perpenderem, aliquem Reip. fructum allaturum me esse putaui, si quam vere hæc Ars posset subsistere, aperte & certa methodo, explosis omnibus ambagibus, quantum animi vires ferunt, in lucem proferrem. Ita enim fiet vt qui in re tam abstrusa, magis veritatis agnoscendæ studio, quam acquirendarum opum desiderio tenebuntur, eos forsitan minime hæc legisse pœniteat. Hi vero, qui oleum & operam hactenus perdiderũt, Auctorum suorum & proprios errores aliquando emendent & sapere incipiant. Hi vero, qui nondum aliquid in his degustarint, si forte incumbere studium sit, viã rectam ingressi nusquã postea aberrare possint. Omnes autem qui hæc perlegerint & intellexerint, ab impostorum & sophistarum dolis & fraudibus tuti sint. Quid quæso vtilius aut humanum magis, quam aliquo pergentibus viam, quã ignorant, rectam demonstrare, & in eandem, si forte aberrauerint, reuocare? Nec quisquam, nisi iniuria, possit institutum hoc meum damnare, quasi ab ea arte, quam profiteor, alienum. Incidunt enim sæpe in forensibus iudicijs quæstiones, quæ à Iureconsultorum responsis alienæ videntur, vt de arte medica, de quamplurimis alijs artibus, quas tamen eos ignorasse pudeat, qui causas agunt, atque hac ratione peritos artis prius consulere, quam clientes defendere cogantur. Memini paucis ab hinc annis in foro nostro Niuernensi, dum causas adhuc agerem, quæstionem hanc tractatam esse. Ciuis quidã huiusce vrbis, à quodã, quem tunc impostorem ignorabat, torquem, quem aureum asseuerabat, emturus, eundem fabro aurario lapidis lydij examini probandum mandauerat. Ea probatione corã emtore statim peracta, renunciauit faber ærarius, torquem esse aureum, & ex auro puro constare. Hac fretus fiducia ciuis torquem, tanquã ex auro puro constaret, emit. Paulo post tempore vna ex eodem torque fibula scissa, intus esse argentea tantũ, exterius vero & in superficie aurea esse, deprehensa est. Emtor statim fraude cognita de damnis & interesse aduersus fabrum aurarium contendit, quod illius asseueratione falsus

Auctoris propositum. *Exẽplum.*

eme-

emerit, quasi ignoratione propriæ artis de culpa teneretur. Contra faber aurarius se rogatum solum lapidis lydij probationem, quam vere retulisset, non autem scalpri, tentasse, eiusque rei nomine nullam accepisse mercedem. Consultus à prudentissimo atq; amplissimo viro, cuius nunc sum collega, quid iudicandũ putarem, respondi, si torquis tantum deauratus esset, aduersus fabrum aurariũ sententiam dici oportere, quod sola deauratio lapidis lydij probatione iterata sæpius deprehendi potuisset: Sin vero aurum supetficiei torquis adglutinatũ corpus per se substitisset, exceptione tutũ fabrũ aurarium, eumq; absoluendum, quod minime lapide lydio, sed scalpro tantum iudicari potuisset. Statim hac interlocutione lata, aqua acri probatione vnius ex fibris facta, substitit corpus aureum in imo vasis vitrei, argentum vero effusum & solutum in aqua acri conspeximus. Quod si sola deauratio fuisset, in puluerem impalpabilem & tenuissimum eiusdem vasis vitrei fundo subsidisset. Hoc vbi ab emtore cognitum, à lite discessit, præiudicialem enim sententiã præuiderat. Verum ita iudicari non potuisset, nisi consultis hac de re fabris aurarijs, atque emendicatis eorum consilijs.

Quod autem Erasto, qui probris & conuitijs multis hanc Philosophiæ partem, cuius ignarus fuit, lacessiuit, respondere sub finem Apologiæ conabor, iudicio saniorum hominũ relinquam, responsio nostra futura sit nec ne potior probris & conuitijs. Equidem Erastus vir fuit summæ auctoritatis, sed fuit homo, multasq; artes & faciles quidem ignorauit, quas imbecillioris ingenij homines non ignorarunt. Multas quidem vniuersales propositiones in mediũ adduxit, at eas, quæ arti huic sunt propriæ & peculiares, ignorauit. Quod ad ceteros attinet, institutum hoc meum, vt volent, æstiment. Iis tantum scribo, qui non indicta causa, sed omnibus hinc inde examinatis & perpensis recte iudicant, & arcana Dei suspiciunt & venerantur. Nec vero mihi quis imputet, vel vitio vel crimini, si quæ hactenus celata sunt, in lucem proferam. Imo coarguendi veteres, nec non & cæteri, qui rem per se satis obscuram suis inuolucris obscuriorem reddiderunt. Quod si agendi methodum celare illis licuit; saltem rationes & causas, ex quibus, à quibus, per quas & propter quas ars consistere possit, aperuisse debuissent: quod à nullo eorum præstitum video. Nec tamẽ verendum fuerat, ad hanc artem peruenirí

Erastus huius artis ignarus eandem probris lacessiuit.

Idem vir summæ auctoritatis.

Veteres coarguendi.

Ad artem non facilè perueniatur.

ueniri posse, quantumuis perspicue & vere scriptis mandetur nisi à peritissimo, & in principijs artis maxime experto manibus tractetur. Speculatio tamen sola periucunda est, & grauioribus studijs prægrauatos animos reficit. Iam igitur quotquot estis arcanorum perscrutatores acerrimi & veritatis amantissimi huc adeste, vobis enim admiratione digna, & nusquam ab aliquo scriptis mandata perspicue & vere patefaciam, & definitionibus, diuisionibus & demonstrationibus physicis, quantum fieri poterit, illustrabo. Vno etiam momento comprehendetis quicquid iam senex & sexaginta annos natus multis meditationibus & experimentis triginta quinque fere ab hinc annis, cum per ocium licuit, comprehendere potui, vt, an vere hæc ars subsisteret, inuestigarem. Agendi tamen methodum silebo, nec nisi quantum quæstionis probandæ, an sit ars, necessitas incumbet, generaliter attingam.

Summa huius tractus.

Aetas auctoris.

Methodus agendi hic non tractatur.

Propositio.

Erastus Germanus natione in schola Heidelbergensi Professor librũ edidit, cui titulum fecit, De medicina noua Paracelsi, Pars prima. Is liber excusus Basileæ per Petrum Pernam anno Domini 1572. Librum hunc cum successiuis horis perlegissem, vidi sub finem tractatam quæstionẽ hanc ab Erasto: Vtrum ex argẽto viuo aut ignobilioribus metallis transmutatis verum, legitimum, naturale & sincerum aurum argentumve arte confici possit: multis tandem & validissimis argumentis, & ex eorum auctoritate, qui iudicio & eruditione præstant, constanter negat id fieri posse. Ego vero cõstanter affirmo ex argento, plumbo, stanno, ære, ferro, nec non ex argẽto viuo, aurum, & ex his quinq; posterioribus argentum verũ, legitimũ, naturale, & sincerum à causis naturalibus arte ministrante, confici posse: Hæ sunt sententiæ ex diametro pugnantes. Posterioris sententiæ defensionem suscipio: atq; id ipsum est, quod hac Apologia præstare conabor. Equidem si quis vnquam validissimis argumẽtis artem hanc oppugnauit, vnus omnium est Erastus summus Philosophus & consummatæ eruditionis. Sed tanto magis insignis erit victoria, si in hac philosophiæ parte vicero, quod efficere me posse confido. Etsi autem ad probationem propositæ quæstionis, scilicet Argyropœiam & Chrysopœiam artem esse veram, sola sufficeret experientia, quæ vicem demonstrationis habet, tamen vt res clarior sit & manifesta magis, altius defodiendũ esse existimaui.

Argy-

Argyropœia & Chrysopœia est ars, quæ materiam auro & argento proximam eamque naturalem, à causis naturalibus efficientibus in formam argenteam aut auream promouere docet. Et vt definitio explicetur, dixi esse artem, quæ mouet naturales causas; vt discerneretur à natura, quæ etiam sola sua spōte nullius alterius ope accita argentum & aurum, ex suis principijs & causis gignit. Dixi etiam materiam à causis naturalibus moueri, vt quatenus materia & causæ efficientes spectantur, argenti & auri conficiendi ratio à natura pendeat. quatenus autem naturæ suam propriam materiam subijcit, vt ipsa agat, sit hæc administratio arti propria. Sic & plurimæ artes definiuntur, vt Agricultura, Medicina, quarum effectus sunt naturales, sed quia præceptiones certas & arti proprias & peculiares tradunt, efficere dicuntur. Sic qui oua gallinæ subministrat, vt ijs incubet, dum excludantur, aut calorem gallinæ imitando ea fouet, vt etiam pulli generentur, pullos efficere dicitur, tametsi hic ortus à vi naturali ouis insita dependeat. Sic & Argyropœiæ & Chrysopœiæ artifices argentum & aurum efficere dicuntur, dum veluti ministri proximam materiam subijciunt, & præceptiones tradunt, quibus eadem à causa naturali efficiente fiunt. Sic & Aristoteles artem nimirum id esse statuit, à quo demum omnis motus proficiscitur. Adieci in definitione, materiam proximam argento & auro subijci oportere, quod non ex omni materia promiscue omne fiat, sed quod ex ea tantum, quæ formam certam nullo intermedio, à causa efficiente apprehensura sit, id autem in progressu manifestū magis erit. Tandem & postremo loco additum est, materiam hanc proximam in argenteam & auream formam promouendam esse, vt intelligatur, idem argentum, & idem aurum Arte ministra, à natura fieri: quale à sola natura. Ex hac definitione partienda mihi videtur in tres partes hæc Argyropœiæ & Chrysopœiæ ars. Harum prior erit cognitio naturæ metallorum, vti eadem natura ipsa in lucem edidit sua sponte ex se sola. Cum etenim idem argentum & aurum atque natura producit, ars illi minstrans producere contendat, hoc præstare neutiquam posset ignorata metallorum natura, præsertim argenti & auri, vt eadem omnino efficiat. Secunda pars erit cognitio materiæ proximæ argēto & auro & causæ efficientis & mouentis eam ad formā argenti & auri

Definitio Argyropœiæ & Chrysopœiæ.

A simili.

Ars quid sit.

Materia proxima quæ.

Partitio Argyropœiæ & Chrysopœiæ.

I. Pars. Cognitio naturæ metallorum.

II. Pars. Cognitio materiæ proximæ & causæ efficiētis.

& auri arte scilicet ministrante naturæ. Etsi enim diuersa sit materia proxima, ex qua argentum & aurum à sola natura fit, ab ea, ex qua arte ministra eadem ortum subeunt, tamen vtriusque & naturæ & artis scopus ad vnum eundemque finem contendit, scilicet ad formam argenteam & auream capessendam. Posterior pars erit methodus, aut modus agendi, & hic solius est artis, nec naturam promiscue omnino æmulatur, nisi quatenus ad eundem finem & scopum, ad quem natura, deducit. Tres igitur has partes Argyropœiæ & Chrysopœiæ ordine tractabimus, ex quibus sententiam nostram tuebimur: hinc experimentis quibusdam confirmabimus: tandem argumentis Erasti respondebimus: sic Apologiæ finis imponetur. Sed priusquam naturam metallorum disquiramus, eandem in omnibus concretis corporibus explorare opportunum esse existimamus, & summatim quidem & generaliter, cum alioqui vberius à Physicis hæc haurienda sit. Sic fit, vt cognita in genere rerum omnium natura, facilior sit aditus ad penetrandam metallorum naturam. Omnium igitur concretorum corporum natura ex eorundem causis dignoscitur. Scire enim aliquid, vt ait Aristoteles primo Physicorum, est per causas cognoscere. Causæ autem sunt, materia, forma, efficiens & finis. Materia est, ex qua aliquid fit: In natura enim nihil nisi ex præiacente materia aut subiecto fit. Forma est, quæ dat esse rei, & per quam res nomen habet. Efficiens est causa, quæ mouet materiam ad aliquem finem. Finis est, propter quem aut cuius gratia efficiens mouet materiam.

III. Pars. Methodus agendi. *Ordo dicendorum.* *Natura omnium rerum ex causis dignoscitur.* *Causæ rerum quatuor sunt.*

Est autem diuisio Materiæ, vt alia sit remota, alia media, alia proxima. Materia remota dicitur, quæ multas mutationes & formas subitura est, priusquam formam alicuius ex quatuor corporum naturalium generibus induat. Sunt autem quatuor hæc corporum genera, mistum, vegetabile, sensile & rationale aut intelligens. Et hæc materia longo distat interuallo ab vnoquoque horum. Ea est materia prima, quæ sola imaginatione & intellectu, non sensibus comprehenditur: item quatuor rerum primordia, terra, aqua, aer & ignis. Ante enim illa nulla alia fingi potest materia.

Diuisio materiæ. *Remota materia.* *Corporum genera quatuor.*

Materia media est inter remotam & proximam, quæ quidem proximior est formis horũ quatuor generum corporũ, quam

Materia media.

quam materia remota, sed magis ab ijsdē formis distat, quam materia proxima. Vt alimenta propiora sunt corpori animalis, quam Elementa, remotiora autem quam sanguis, qui ex illis gignitur.

Materia proxima est, quæ proxime ad formam accedit, & veluti quiddam imperfectum est, relatum ad alterius corporis formam perfectiorem. Materia hæc proxima est, vt vnum quodq; generis semen in vniuocis generationibus, aut quod loco est seminis in æquiuocis. Sed de hac materia proxima plura nobis mox dicenda sunt. Materia proxima.

Formarum autem genera naturalia sunt ea quatuor, quæ dicta sunt: scilicet forma mistorum simpliciter, vegetabilis, sensilis, & rationalis ac intelligens. Hæc formæ magis quàm materiæ rationem obtinent, quippe à quibus fit omnis effectio, materia autem potentia fit tantum, quæ non agit, sed patitur propriè. Formarū genera quatuor.

Causa autem efficiens varie diuidi potest, verum sola hæc nunc sufficiat, quod alia sit vniuersalis, alia particularis. Causæ efficientis diuisio.

Vniuersalis causa est Deus summus, optimus, maximus, qui in principio quidem solus ex se solo, sua infinita potestate sine alijs quibuscunque causis, ex nihilo cuncta creauit. At cum post mundum ab ipso creatum voluit naturaliter & extra miraculum ex iam creatis rursus eadem progigni, cœlis & astris, vt caussis vniuersalibus, has vices commisit: sic tamen vt idem ipse Deus cum his & causis particularibus semper cōcurrat. Hæ igitur causæ vniuersales omnia hæc, quæ in hac mundi vniuersitate cernūtur diuersi generis, aut diuersæ speciei, producunt. Æquiuocæ autem dicuntur, quod æqualiter omnibus impertiantur, & diuersorum effectuum sint causæ. Vniuersalis efficiens causa. Æquiuoca.

Particularis autem causa efficiens est, quæ in materiā proximam, seu in dispositum sibi subiectum tantùm agit, vniusque speciei aut qualitatis effectum producit, & vniuoca appellatur, qualis est vis & facultas in vnoquoque semine, quæ ipsum mouet, dum ad finem peruenerit. Particularis causa efficiens. Vniuoca.

Finis autem aut causa finalis in ijsdem corporibus ex Elementorum permistione concretis est, vt forma fiat. In Physicis enim finis idem est, quod forma. Finalis causa.

His generaliter sic definitis, disquirenda est metallorum, de quibus est disputatio, natura, quæ sola vi naturæ in visceribus terræ orta sunt. Quæ natura non minus ex eorundem

metallorum causis, scilicet materia, forma, & efficiente dignoscitur, quam reliqua mundi mista corpora.

Metallorum materia remota.

Metallorum igitur sicut & cæterorum corporum omnium materia remota, sunt, vt dictum est, terra, aqua, aer & ignis, ex quibus originem traxisse, omnium philosophorum vnanimis est sententia. Gignendis enim corporibus mistis vnius elementi materia satis esse non potuisset, sed necesse fuit quatuor illa permistione cōfusa rebus idoneum se subiectum exhibuisse, substrataque fuisse. Etsi autem prima illa rerum primordia sint materia metallorum remota, proximiora tamen ijsdem sunt, quam vegetabilibus aut sensibilibus. Quippe quod elementa hæc quatuor sensibus conspiciantur, quasi prima esse metallorum, nec non omnium inanimatorum soboles naturalis. Materia metallorum media in visceribus terræ ea est, quæ vi causæ efficientis ex elementorum prima mistione in aliquod medium transit, quod nondum tamen est materia proxima: Quod medium est veluti quid informe nec certam in natura habet speciem: quod quid sit, ab auctoribus non est traditum. At materia metallis proxima ea est, quæ nullarum aliarum mutationum interuentu à causa efficiente perficitur, & proxime formam metallicam induit, nondum tamen est metallum, sed aliam habet à metallo formam & vnica sola illius mutatione forma exsurgit. Quæ autem sit illa materia proxima, in mineris terræ, variæ fuerunt eorum, qui hac de re scripserunt, opiniones. Aristoteles enim tam sublimium, quæ super terram, quam inferiorum, quæ in visceribus terræ gignuntur, duplicem exhalationem ait esse horum materiam. Exhalationem quidem à terra, quæ sit sicca & calida: & ab aqua vaporem, qui sit frigidus & humidus: non sic tamen, vt exhalatio sicca humore destituatur, nec vapor humidus siccitate: sed in illa siccitatem, in hac humiditatem superare. Exhalationem igitur siccam dicit esse fossilium, vt sunt lapidum genera non liquabilia, sandaracha, sulphur, achra, rubrica, & alia eiusdem generis. Metalla autem ad vaporosam exhalationem pertinere ait. At vaporem illum prius quam in aquam vertatur, exhalatione coagulari & metallum fieri, idcirco metalla omnia exhalationem siccam continere, & inflammari & exuri, solo auro excepto.

Materia metallorū media.

Materia proxima metallorum.

Aristotelis opinio de materia proxima metallorum.

Alchemistarum opinio.

Alchemistæ vero proximam metallis materiam dicunt esse argentum viuum & sulphur, tum quod argentum viuum, fusa

fusa videantur, & ex illis arte proliciatur argentum viuum, tum quod odorem sulphureum spirent. Et eorundem opinionem multi graues viri secuti sunt. Gilgil autem Maurus cinerem quendam terræ munitiss. aqua infusum materiam esse metallis proximam professus est, non secus atq; omnem cinerem materiam esse vitro proximam. Albertus vero humidum viscosum & tenax. Georgius Agricola has omnes de materia metallis proxima in mineris terrę opiniones refellit, & succum in ijsdem mineris ortum, materiam metallis esse proximam, multis rationibus contendit. Scaliger metalla vocat terram aqueam, argentum autem viuum aquam terream. Quæ autem harum opinionum sit verior, immorandum mihi non esse puto, cum aliam argento & auro proximam materiam natura nobis exhibeat, vt ex sequentibus elucescet. Si tamen quid sentio dicendum sit, Aristotelis opinioni & auctoritati magis innitendum & fidendum existimauerim.

Gilgilis opinio. Alberti opinio. Georgij Agricolæ. Scaligeri opinio.

Post metallorum materiæ cognitionem forma etiam eorundem inquirenda est, quæ nobilior est pars substantiæ illorum, vt & in omnibus corporibus naturalibus. Forma enim rerum omnium magis naturæ nomine quam materia insignita est, & ab ea sola nomen vnicuique corpori naturali est inditum. Eam enim vocat plerunque Aristoteles rationem essentiæ. Eo autem spectat formarum metallorum cognitio, quod arte ministra idem argentum & aurum, atque naturale efformandum sit, quod præstari non poterit, nisi eorum forma, & natura, & quæ & qualis sit, intelligatur, & in quibus à reliquorum metallorum formis discrepent. Metallorum tamen formæ non ita facile dignoscuntur, vt reliquorum alterius generis corporum, scilicet vegetabilium, sensilium & hominum. Formarum enim cognitio ab actionibus earum dependet, quippe quod forma sit actus, materia vero potentia. Actiones autem ab operibus dignoscuntur. Quæcunque igitur sensus plus agere ex eorum effectibus deprehendit, ea magis conspicuis formis composita dijudicabit, quæ minus, obscurioribus & minus manifestis. Hinc sensibus magis nota est plantarum forma, quod vegetent, alimentum suscipiant, & sibi similia producant. Sensilium vero brutorum, quod præter hæc & moueantur & sentiant, notior est natura. Hominis vero forma omnium maxime manifesta est, quod etiam præter hæc omnia intelligendi facultate

Formæ metallorum. Formæ metallorum quæ sint non facile iudicatur. Cognitio formarũ ab actionibus: actionũ ab operibus dependet. Hominis forma maxime manifesta.

sit ho-

sit homo prædituS. His omnibus facultatibus cum metalla priuata & orbata sint: (Nam nec vegetant, nec aluntur, nec mouentur, nec sentiunt) eorum formæ minus ab actionibus dignoscuntur. Formas tamē habent omnia metalla per quas constant, & nomen ab ijsdem habent, & ex ijs sibi inuicem & ab alijs corporibus discernuntur. Constant autem & concreta sunt ex sola elementorum permistione, ideoque nullum aliud nominis genus habent quam quod mista appellantur corpora. Nec facultates alias habent præter eas, quæ ipsa cōstare efficiunt, & mistorum elementorum formam habere vnicam vndequaque sibi similem. Sunt autem hæ facultates qualitates elementorum calor & frigus, vt agentes causæ, & humidum & siccum vt patientes: Et quod plus patibiliū harum qualitatum metalla habeāt, ex perpessione materiæ eorundem, magis quam ab actione formæ eorum dijudicatur. Formæ enim proprium est agere, materiæ pati. Quod si quid agunt, vi qualitatum, ex quibus concreuere, agunt tantum, veluti calefaciendo, frigefaciendo, humectando & exsiccando. Cætera corporum genera scilicet vegetatiua, animalia bruta & homines, mista quidem sunt corpora, sed quod præter & super mistionem aliquid aliud præstantius habent, mista proprie non appellantur, sed ex his facultatibus, per quas agunt, nomen habent, & formam propriam. Metalla autem quod nihil præter mistionem possideant, simpliciter & absolute mista tantum appellantur, quod primæ illæ qualitates nihil aliud in elementis effecerint, quam mistionem. Formas quidem omnium mistorum inanimorum sequuntur sua accidentia tam communia quam propria: Et quod magis ea materiæ quam formæ conueniant, ex ijsdem mistorum formæ quales sint quadantenus intelliguntur. Accidentia igitur omnibus metallis communia sunt, ductile, & fusile. Ideoque metallum à Gebero definitur: Metallum est corpus minerale, fusibile, sub malleo ex omni dimensione extensibile. Corpus enim minerale genus est, fusile & ductile ex omni dimensione, differentia est specifica, quæ metalla à cæteris corporibus mineralibus discernit. Argento enim & auro su.. insunt Accidentia propria, quibus à cęteris metallis discernuntur, scilicet, quod perfecte sint mista, & igne non exurantur, præsertim aurum. Aurum igitur à Gebero recte sic definitur. Aurum est corpus metallicum citrinum, omniū metallorum grauis-

Metalla sunt corpora tantum mista.

Formæ metallorum plus ex perpessione materiæ quā ab actione dignoscuntur.

Metalla simpliciter mista sunt.

Accidentia metallis omnibus communia.

Metalli definitio.

Auri definitio.

grauissimum, mutum, fulgidum, æqualiter in ventre terræ digestum, aqua minerali diutissime lauatum examinationem cineritij & cementi tolerans. Hæc cementi perpessio est differentia specifica, quod in hoc examine cætera omnia metalla exurantur, & in cinerem vertantur, ipsum autem aurum solum incolume in eodem persistat.

Argentum quoq; ab eodem Gebero sic definitur. Argentũ est corpus metallicum album albedine pura, mundum, durum, sonans, perdurans in cineritio. Postremum hoc est accidens illi proprium, quippe quod stannum, plumbum, æs & ferrum in examine cineritij pereant & corrumpantur, argentum autem in eodem persistat. Habent & cætera metalla sua accidentia propria, per quę ab argento & auro & à se inuicem differunt, de quibus tractare parum ad propositæ quæstionis dissolutiones attinet, cum de his eorumq; definitionibus satis ab eodem Gebero, Alberto Magno, Georgio Agricola, cæterisque tractatum sit. Sola nobis inquirenda est natura & forma argenti & auri, quæ ex superioribus accidentibus proprijs, eorumq; definitione dignoscitur, vt ad eadem accidentia, materiam illis proximam à causa efficiente arte deducamus. Etsi enim argenti & auri formæ non ita nobis perspicuè innotescant, vt cæterorum corporum vegetabilium & animalium formæ quæ ab actionibus & effectibus deprehenduntur, tamen quodcunque corpus metallicum examina argento & auro propria perpeti & in ijsdem persistere conspexerimus, argentum & aurum esse rectè dixerimus. Rerũ enim cognitio prima est à sensibus. Et vt vegetabilia & animalia ab actione: ita argentum & aurum à perpessione materiæ dijudicamus. Horum accidentium propriorum argento & auro causæ sunt hæ. Quod enim fusilia sint metalla omnia, humor est in causa. Sicut etiam sunt ductilia propter humoris, ex quo constant, lentorem. Quæ enim lenta sunt longissime continuitatem seruant: lentor enim huiusce humidi cũ siccis partibus firmam habet temperationem. Vtrumque igitur & lentor & siccitas cum certo temperamento, efficit, ne malleis percussa comminuantur, sed ductilia sint. Et quo magis aut minus metallis inest, magis aut minus alia alijs ducuntur. Vnde aurum quod lentoris plurimum habeat à siccitate temperati, omnium metallorum est maxime ductile: huic succedit argentum, inde ęs, ferrum: inde plumbũ & stannum. Ob eas-

Argenti definitio.

Corpus metallicum sustinens examina auri propria, est aurũ.

Causæ accidẽtium propriorum auro & argẽto.

Cur aurum maxime sit ductile.

Θ retinet in igne humiditatẽ.

Ob easdem fere causas proprias in igne humiditates retinent: lentor enim, ne humidum exhalet, impedit. Sed humidum aqueum, ne metalia exurantur, prohibet. Aquea enim cum igni qualitates ex diametro contrarias habeanr, ab igne non vincuntur: Hic calidus, siccus & tenuis est, aqua frigida, humida & densa. Quo plus igitur naturæ aqueæ participant metalla, minus in illa ignis habet imperium. Hinc aurum nullius ignis ardore exuritur, minus post hoc argentum ob easdem causas. Cætera metalla humiditatem habent aeream, sulphuream, & inflammabilem, quæ causa est vt igne tandem distabescant. De his accidentibus proprijs plura paulo post dicenda sunt.

De causa efficiente metalla.

Nunc de causa efficiente metalla etiam dicendum. Causa efficiens est vnde principium motus. Mouet enim materiam vt metalla ortum habeant. Cum autem omnis materia sit aut remota, aut media, aut proxima: certum est, causam efficientem agentem in remotam & mediam, vt fiat metallum, vniuersalem & æquiuocam esse, non particularem aut insitam. Nullum enim metalla ortus sui parentem agnoscunt, quam Deum & cœlum, quod non à semine aliquo prodierint, vt animata corpora, in quorum seminibus vis delitescit à parentibus infusa, quæ semper similia gignit his, à quibus semina dimanarint. Non sic in materia remota & media metallorum, de qua, qui eorundem historiam tradidere, non meminerunt, sed solius causæ efficientis & agentis in materiam omnibus metallis proximam, id est, in materiam, quæ ex remota & media, à causis vniuersalibus in proximam metallis materiam transijt. Hæc causa efficiens in materia metallis proxima est particularis & insita, quippe quæ ei soli conueniat, non secus ac causa particularis in vnoquoque metallorum genere. De hac causa efficiente proxima variȩ etiam sunt opiniones. Aristoteles enim causam hanc efficientem ait esse frigiditatem & siccitatem, quæ in lapidibus vaporem, quem materiam metallis proximam iudicauit, in illis sublatum & inclusum comprimunt & densant. Quod non ita accipiendum est, vt in eorum ortu caloris efficientiam neget: Illæ enim exhalationes caloris opera inter se admiscentur, & ad aliquam spissitudinem adducuntur & concoquuntur, sed admixtio illa frigore postea densatur & in metallum euadit. Alchemistæ vero sulphur, quod partem materiæ metallorum putant

Deus & cœlũ metallorum causa remota & vniuersalis.

Aristotelis opinio de causa efficiente metalla.

Chemistarum opinio.

putant, efficientis causæ vim obtinere profitentur, exemplo cinaberis facticiæ, quæ ex argento viuo & sulphure mistis concrescit. Gilgil Maurus calorem vehementissimum causam efficientem esse opinatur, vt in vitro, quod ex cineribus conflatur. Albertus autem Magnus causam hanc efficientem esse ait maiorem orbis, qui formas naturales explicat per motum cœli & qualitates elementorum, ceu artifex explicat formas artis secuti aut malleo. Verum hæc Alberti opinio de causa efficiente, potius de vniuersali quam particulari existimanda & intelligenda est. Vniuersalis enim hæc causa agit primum in elementa, quæ post multas mutationes tandem in materiam proximam mutat.

Gilgilis opinio.

Alberti Magni opinio.

Georgius autem Agricola de causa efficiente particulari proxima Aristoteli subscribit, quæ mihi verior sententia videtur: Ab effectibus enim causæ proximæ dignoscuntur. Atqui metalla sunt corpora naturalia tantum mixta simpliciter, nec quicquam vltra mistionem habent, & effectus mistionis simplicis à solis Elementorum primis facultatibus proficiscitur: Mouentur enim elementa & miscentur per proprias suas qualitates. Calor igitur primum miscet ea, & ad proximam metallis materiam deducit, quam postea frigus constringit.

Georgij Agricolæ opinio.

Quomodo elemẽta moueantur & misceantur ad metalla producenda.

Præterea hæc sententia ex inductione probatur. Si enim in nubibus, vt aiunt, ex duplici illa exhalatione frigore densata ferrum gigni, & in terram decidere, verum est, quanto magis subtus terram ex eadem exhalatione frigore densata metalla gigni verisimile est?

Hæc sunt quæ ad cognitionem naturæ metallorum, quæ sola vi naturæ concreuerunt, pertinere dicenda existimaui: Nec pluribus agendum est, seu quod à plerisque probatissimis Auctoribus explicata sint, seu quod alia sit arti materia proxima, aliæ causæ efficientes, naturales tamen, & quæ ad eundem tendunt scopum arte ministra.

Cognitio huius materiæ proximæ & efficientis causæ apud artem secunda est in ordine partitionis Argyropœiæ & Chrysopœiæ. Sunt autem adeo necessariæ, vt ijs ignoratis, ars nec sciri nec dici possit. Harum cognitio viam & iter demonstrat, quibus ad finem optatum peruenitur. Ex ijsdem perspe-

Pars secunda Argyropœiæ & Chrysopœiæ.

perspectis & intellectis omnia, quæ ad hanc artem pertinent, ratiocinari quisquis poterit, omniaque, quæ aduersus artem adferuntur argumenta, dissoluere: sine his vani & irriti sunt conatus omnes, & cœcutire necesse est. Totis igitur viribus enitendum est, vt exacte, quantum fieri poterit, hæc excellentissima huiusce artis pars occulta huc vsque & nusquam à veteribus tradita, explicetur & detegatur.

De materia auro & argento proxima apud artem.

Sed prius de materia argento & auro apud artem proxima definiendum est, quæ statim à causa efficiente in argentũ aut aurum perficitur, nulla alia mutatione interueniente. Et est indiuiduum speciei argenteæ & aureæ proxime futuræ, quod tamen nondum est argentum aut aurum actu, sed potentia tantum proxima, quæ huius aut illius formam à causa efficiente & mouente statim induet. Est enim indiuiduum quod proprietates habet, quæ simul omnes nusquam attribuentur multis. Proprietates quidem, quæ differentiam specificam non constituant, sed habilitatem & dispositionem tantum habent ad formam proximam capessendam. Exemplo sit semen caninum, quod proprietatem habet, vt proxime ex eo gignatur canis, quæ proprietas in semine equino nusquam inerit, nisi post multas corruptiones & mutationes in semen caninum, si hoc fieri posset. Sic materia argento & auro proxima hanc habet proprietatem apud artem, vt pauco adminiculo in ipsa mutari possit, quæ proprietas in alia materia nusquã inierit. Hæc enim est lex naturæ inuiolabilis, vt nullum vsquam vnius speciei indiuiduum, in aliud alterius speciei indiuiduum transeat, nisi illud prius proprietatem & potentiam habeat ad hoc posterius proximam, id est, nisi prius indiuiduum sit potentia proxima indiuiduum speciei proxime futuræ, & ortum subituræ. Hanc materiam inuestigare, qualis est in mineris naturalibus, & eandem subijcere causæ efficienti, vt in ipsam agat, & opus suum peragat est impossibile. Quippe nihil ad intelligendi vim pertinere potest, quod prius in sensu non fuerit. At materia proxima, quæ est subtus terram, ex qua producitur à sola natura argentum & aurum, sensibus nostris est incognita. Non enim constat inter graues Auctores, qui hac de re aliquid tradiderunt, quænam sit illa materia proxima apud naturam, imo dissentiunt, & suam vnusquisq; opinionem rationibus probabilibus, non tamen demonstrationibus tuetur. Quod etsi concedatur materiam proxi-

Indiuiduum quid sit.

Causa materialis in mineris non est proxima apud artem.

Materia proxima apud naturam est incognita.

proximam sensibus & demonstratione comprehendi posse, nihilominus posset ars extra minerarum locum materiæ potentiam ad actum seu formam perducere. Aliunde igitur disquirenda est in Argyropœia & Chrysopœia materia proxima & causa efficiens, vt viribus huius illa erumpat in actum, & ex illius potentia forma argenti & auri suboriatur & emergat. Disquirenda est, inquam, in re, in qua oculorum & sensuum iudicio hæc proprietas est insita, quæ est habilitas & dispositio quædam naturalis ad suscipiendam formam argenteam & auream. Huius autem materiæ inuestigatio ex duplici demonstratione dependet: Prior est ex similitudine totius substantiæ argenti & auri cum hac materia proxima quam quærimus. Hæc autem similitudo deprehendetur sensibus ex facili eorundem mistione & amplexu. Hæ enim substantiæ sese referunt, nullo negotio & nulla arte, sed sponte sua coeunt. Quæ autem sit substantia, quæ facile coeat cum argento & auro, post hac dicemus. Posterior demonstratio ex proprietate & habilitate & dispositione materiæ erit, quæ vtriusque scilicet argenti & auri formam apprehensura sit. Hæc autem habilitas seu dispositio manifesta erit sensibus ex similitudine accidentium eiusdem materiæ, quam quærimus, cum ijs, quæ argento & auro insita, intuemur à perpessione materiæ eorundem, & à cæteris metallis potissimum distare.

Sunt autem accidentia hæc quatuor numero Primū, quod argentum & aurum non exuruntur nec inflammantur. Secundum, quod partes, ex quibus constant, humido scilicet & sicco, igne, qui cuncta dissoluit, minime dissipentur aut distrahantur. Tertium quod tenuissimæ sint essentiæ. Postremum, quod densa & grauissima sint. Proprie tamen, ne quis calumnietur, hæc auro insunt, argento minus proprie. Qui tractant artifices argentum & aurum ita de his accidentibus proprijs iudicent & vt mox apertius demonstrabo. Hæc accidentia ex Aristotelis auctoritate sunt corporis affectus, qui sensibus iudicantur. Materia igitur, quam facile cum argento & auro coire, & ijsdem accidentibus proprijs præditam esse oculis conspexerimus, ipsa erit materia argenro & auro proxima apud artem, neque alia, quæ ab efficiente causa in argentum & aurum permouebitur. Hanc suo proprio nomine describemus, si prius argento & auro quatuor hæc accidentia inesse demonstrauerimus, & causas eorundē, & quod

> Vbi materia proxima metallorum inquirenda.

> Duplici demonstratione materiam proximā inuestigare debemus.

> Posterior demonstratio.

> Quatuor accidentia auro & argento cū proxima materia cōmunia.

> Materia quæ auro & argēto proxima.

cæteris metallis nō insint, & quare. Quod igitur argentum & aurū non exurantur, nec inflāmentur, ex eo apparet, quod liquata igne nullum vaporē sulphureum aut inflāmabilem spirent: causa est, quod omni substātia sulphurea & inflāmabili & vnctuosa expertia sint. Omne.n.ferè corpus naturale duplici constat humore, altero vnctuoso, oleoso & inflāmabili, vt est sulphur, oleū, adeps: altero aqueo, quo tanquā visco terrenæ corporū partes vnctæ cohærent, quique rerum omniū ex Elementorū permistione concretarum cōmunis est. Quodcunq; igitur corpus inflammationi subiectū est, humiditatē habet oleo finitimam, huiusq; solius genera cōflagrat. Quippe quæ ab aere orta aeris qualitatē calidam retineat. Aqueus aūt humor, qui terrenarū partium est gluten, ab igne vinci nō pōt. Ille.n. frigidus, humidus, hic ignis calidus & siccus. Et cū cōtrarijs inter se, vt ētiam dictum est, pugnent qualitatibus, neutrū cedit alteri. Solus igitur aqueus humor argentū & aurum tuetur, ne ab igne exurantur. Nullius.n. humoris oleosi aut sulphurei sunt participia, qui igni ferat opē, vt victoriam aduersus humorē aqueū, qui ijsdē inest, referat. Reliqua vero metalla, quod sulphurei cuiusdā humoris, qui etiā odore dephēditur, participia sunt, exuruntur, & nigredinem ab igne contrahunt. Quod aūt argēti & auri partes essentiales, scilicet humidū & siccū, ex quibus cōstant, igne non dissoluantur nec secernātur, colliquatio eorundē sæpius igne reiterata fidē facit. Nihil. n. ex eorū pondere decidit. Equidē memini me superiorib. annis vnciam auri purissimi testaceo vasculo inclusi, & alteram vnciā argenti puri ēt altero vase separatim inclusi, eo loco, quo vitrum vitrariorū fornace liquatū est perpetuo, collocasse, ibiq; ambo fusa & liquata duob. continuis mensibus permansisse, ijsq; trāsactis & à vasculis & fornace vtraq; exemta stateris librasse, & auri quidē nec minimū de pondere decidisse cōspexi, argētum vero duodecima tātū parte. Quod sane admirattione dignū est, verissimū tamen esse ipsa experientia didici. Huiusce aūt rei causa est, perfecta sicci & humidi mixtio & vnio, quæ tam arctissimo fœdere sunt iuncta, vt etiā ignibus violentissimis indissolubilia sint. Humidum.n. temperatur à sicco, & siccū ab humido, & fit in vtroq; argento scilicet & auro substantia vna æqualis, & in suis partibus similaribus homeomera & vniformis. Hinc cum nititur ignis ipsa rarefacere, & dissoluere, & humidū aqueum in vaporē efferre, tuetur

1. Aurum & arg. non exuruntur.

Auri & arg. partes essentiales non dissoluuntur igne. Experimentum.

Causa & ratio.

tuetur & retinetur à ferreo ne euolet. Contra cum ignis idem terreum ab humido secernere contendit, & in cinerem vertere, cohibetur ab humido, ita vt vtrumque tutum, incolume & inuictum in ignis pugna persistat. Hæc autem indissolubilis mistio & vnio proprie de auro est intelligenda, cuius meminit sacra scriptura: Probauit, inquit, nos Deus tanquam aurum in fornace. Et Augurellius in sua Chrysopœia sic cecinit:

Solida mistio humidi & sicci.

——. Vni quoniam nihil deperit auro
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo aut ærugo conficit vlla,
Cuncta adeo miris illic compagibus hærent.

Huic solidæ mistioni proxima est argenti puri mistio, cuius et meminit Regius Psalmista: Eloquia, inquit, Domini, eloquia casta, argentũ igne examinatũ, terrę probatum, purgatũ septuplũ. Attamen igne parũ illi deperit & exuritur. Quod.n. superius igni duobus mensibus colliquatũ duodecima parte pristini põderis deperijsse dixi, in superficie vitro citrinissimo opertũ vidi, quod malleo sub incude percussum separatũ fuit ab argento, quod intus purum perstitit. Hæc duodecima pars argenti deperdita & exusta in vitrũ illud citrinissimũ transijt. At reliqua metalla omnia pauco tẽpore igne continuo agẽte exhalãt, & metallica materia & forma euanescẽte & pereunte, quod superest, in vitrũ transmutatur. Omne.n. vt recte sensit Geber, propria priuatũ humiditate fusione nullã dat præter vitrificatoriã. Cuius dissolutionis & corruptionis causa est ẽt cõtraria ei, quam in argẽto & auro diximus; scilicet quod humidũ quoddam sulphureũ & inflammabile humido eorũ aqueo permistum sit, tũ quod illorũ mistio sit imperfecta ad mistionẽ argenti & auri collata. Tenuitas aũt argenti & auri est mirũ in modum dilatabilis, sed auri incredibilis ex eo deprehenditur, quod vnica illius vncia superficiẽ corporis alicuius inaurabit, quã argenti decẽ vnciæ vix inargẽtarent, id norunt inauratores & inargẽtatores. Cætera vero metalla nihil ad auri tenuitatẽ accedunt. Causa aũt tantæ tenuitatis est puritas humidi defæcati in argẽto, & proprie in auro. Causa vero crassitiei est impuritas terrestris. Tandem & postremũ accidens proprium auro & argento præsertim auro præ cæteris omnib est dẽsitas & grauitas Et vt certo sciatur, quãta grauitate aliud ab alio distet, quod ter expertus sum, proferã. Vnũquodq; metallorũ in filũ trahi & produci aurifabro mandaui,

Argentũ parũ deperit in igne.

Vitrificatio metallorum.

Quod aurum & argentum tenuissima sint, & quare.

Puritas humidi defæcati.

Densitas & grauitas auri & argenti.

quin etiam & chalybem: Filum auri forcipibus scissum est, dum stateris penderet sexaginta duodecim grana, deinde vniuscuiusque metalli fila eodem foramine tracta & producta eadem longitudine separatim scissa sunt. Sic vnumquodque filum stateræ appensum fuit. Auri filum vt dixi, drachmam, quæ sexaginta duodecim sunt grana pendere vidi: filum argenti eiusdem longitudinis eodemq; foramine tractum triginta sex, plumbi itidem triginta sex; filum æris triginta, filum chalybis viginti septem, filum ferri viginti sex, filum denique stanni viginti quinque. Causa tantæ grauitatis auri est æqualitas & vniformitas partium eiusdem, & perfecta mistio, tum vero puritas & tenuitas, & eorundem humidi & sicci perfecta decoctio & incrassatio, tandem etiam substantiæ sulphureæ & aureæ priuatio. Causæ autem contrariæ sunt, ne tam grauia sint metalla reliqua, scilicet dissimilitudo partium heterogenearum in metallis, imperfecta mistio, impuritas, crassities, & in quibusdam imperfecta decoctio, in alijs exustio, & in omnibus sulphureæ substantiæ aureæ & leuis mistio. Quæ igitur materia magis tota substantia argento & auro erit similis, magisq; ad propria ijsdem accidentia accedet, ea profecto iudicanda erit proxima materia, in quam incumbere, & conatus omnes impendere Argyropœiæ & Chrysopœiæ artifices necessario oportet, si naturam velint imitari, & vi efficientis causæ, de qua mox dicam, formam argenti aut auri eidem inducere. Proximæ enim vnicuique materiæ, quam consummatam potentiam dicimus, statim vi causæ efficientis extrinsecus accedit forma, naturali quadam & quasi dicas ineuitabili necessitate, vt recte tradidit Ambianensis ille medicus Fernelius summus Philosophus lib. priore de abditis rerum causis. Nonne vides puluerem illum pyrium statim multa mortalium internecione, flammam attritu concipere? Quippe quod nulla alia materia igni sit proximior ob siccitatem & tenuitatem pulueris, quæ qualitatibus ignis conueniant: per motum autem fit calor. Sic qualitatibus omnibus argenti & auri concurrentibus in materia proxima, ex ea fit argentum & aurum. At ne quenquam diutius remorer aut suspensum teneam & ratione ex ijs quæ dicta sunt, & experientia, quæ inferius narrabitur, probare possum argentum viuum esse illam argento & auro materiam proximam potentia. Cuius fidem faciet demonstratio ex ijsdem, quæ diximus, scili-

Proportio grauitatis metallorum.

Causa grauitatis in auro.

Causæ cōtrariæ.

Materia proxima quæ.

Fernelius.

Arg. viuū est materia proxima auro & argento apud artem.

scilicet similitudine totius substantię argenti viui cum argento, & auro, & consensione eorundem accidentium propriorum cum vtriusque. Primum norunt inauratores cum nullo alio metallo argentum viuum libentius coire, quam cum auro puro, hinc cum argento, ex quibus malagma conficiunt, præsertim ex auro & argento viuo, cum volunt inaurare vasa, & quo purius vtrunque, eo celerius miscetur alterum alteri. Quod nulla alia ratione fit, quam propter similitudinem totius substantiæ. Cætera vero metalla non ita libenter amplectuntur argentum viuum, aut si coit cum ijs, vt cum stanno & plumbo, non propter similitudinem substãtiæ, sed propter indefinitum eorum humidum, aut quod illis inest argẽtum viuum. Quod autem argento viuo eadem quæ in argento & proprie auro diximus accidentia, insint, etiam demonstratione probatur. Omnis enim humidi oleosi, vnctuosi & sulphurei expers est. Hinc non exuri, minus inflammari potest. Hinc illud ignis imperium non habet, nec sulphur, quod omnia exurit metalla, auro excepto: id enim manifestum est sensibus. Excoquitur enim Cinnaberis factitia ex argento viuo & sulphure, & trita & mista oleo tartari, & igne valido in vase vitreo luto obstructo, in vaporem sursum elata, redit in argentum viuum, nec quicquam illi deperit. Idem in argento viuo sublimato euenit, ita ipsum appellant. Hæc norunt artifices. Quod si cum argento viuo à natura mista fuisset portiõ quædam sulphureæ exhalationis, minime dubitandum esset, ipsum inflammari & exuri potuisse, vt in cæteris metallis, auro excepto, euenire solet. Quod vero ad perfectam partium illius, scilicet sicci & humidi, vnionem & mistionem attinet, igne non minus: quam aurum dissolui potest. Fertur quidem in vaporem suum, sed non propterea partes illius, ex quibus constat, igne dissoluuntur. Nam si ille vapor igneo calore agente, in vas recipiens, delabatur, in priorem argenti viui speciem coibit & redibit, nulla detracta parte pristini ponderis. Nec quidquam substantiæ illius in vase, ex quo vapor ille emigrauerit, subsidebit. Est enim vnifomis omnino substantiæ & similarium partium, non tamen est æqualiter mistum, quantum ad temperamentum attinet. Vincit enim humidum in mistione: hinc in vaporẽ abit igne agente: ea quoque de causa non est ductile. Quod autem sit tenuissimum, ex eo apparet, quod corio inuolutum & expressum

Similitudine totius substãtiæ refert aurum & argẽtum.

Quod accidentia propria & cõmunia cum auro & argẽto habeat.

Experimentum Cinnaberis.

Igne non exuritur.

Non dissoluitur igne.

Cur in vaporem abeat.

sum vehementer, transmeat corio illæso, quod oleum, quamuis sit tenuissimum essentiæ, transmeare non posset. Tandem argentum viuum eandem fere grauitatem habet cum auro, sexta enim tantum parte auro minus graue esse etiam experientia didici. Quamuis Geber ipsum profiteatur auro esse grauius, sed forsitan de argento viuo purgato & paululum ab humiditate nimia arte vindicato intellexit. Horum omniũ accidentium cum auro communium eædem sunt causæ quas in auro diximus. At vero argentum hoc viuum, quod dicimus esse materiam argento & auro proximam, non solum est illud vulgare argentum viuum, quod palam à mercatoribus venit, & ex Hispania aut Germania aduehitur: verum etiam illud, quod ex corporibus imperfecte mistis, plumbo, stanno, ære, & ferro subtili arte prolicitur. Inter quæ omnia & vulgare hoc nostrum nulla, nisi in solis accidentibus quibusdam, est differentia. Fluida enim fere sunt æque & eiusdem proportionis & grauitatis. Verum argentum viuum corporum magis est coctum vulgari, quin etiam inter se aliud alio magis aut minus digestum est. Omnia tamen vi ignis in vaporem feruntur sursum, alia celerius, quæ minus cocta, alia tardius, vehementiorisque ignis vi, quæ magis decocta sunt. Atque hac de causa argentum viuum vulgare, quod indefinitam valde habeat humiditatem, omnium celerrime in fugam vi ignis abit. Quod autem in corporibus metallicis insit argentum viuum, ex eo quodammodo iudicatur, quod fusa & igne liquata omnia argentum viuum fluidum conspiciuntur, quamuis frigore proprio ab igne deposita rursus constent. Equidem vidi & noui ex omnibus metallis ferro excepto, argentum viuum fluidum excernere, beneficio argenti viui vulgaris. Abluendo enim & macerando perfecte, quicquid impurum est, & à natura argenti viui alienum, abit in fæcem, quod superest vaporario calore soluitur. Quod si vltra progredi liceat, ausim affirmare, argentum viuum nihil aliud esse, quam argentum & aurum crudum & indefinitum, quod à causa efficiente definitum statim in illa transit, quod magis apertum posthac fiet. Nolim tamen ex hoc inferre metalla ex argento viuo, ceu materia proxima fluxisse, vt Alchemistę sentiũt, imo potius cum Aristotele & Erasto sentio, materiam proximam fuisse vaporem exhalatione concretum. Et veluti alimenta in animalium corporibus vertuntur in sanguinem, cum antea

Grauitas argenti viui.

Argẽtum viuum est duplex.

Argẽtum viuũ corporum est magis coctum.

Commune habet indefinitam humiditatẽ.

Argẽtum viuũ corporibus metallicis inest.

Ex metallis extrahitur cõmune.

Argẽtum viuũ quid sit.

sanguis

sanguis non fuissent: sic & materia, quæcunq; illa sit, ex qua metalla ortum habent, non fuit eadem post eorum ortũ, sed argentum viuum definitum, quod metallum appellatur, specie tamen aliud ab alio ob diuersam mistionem, distinctum. Constans ergo sit & ratum, nullam aliam materiam argento & auro proximiorem esse apud artem, quam argentum viuũ, tam vulgare, quam quod metallis imperfecte mistis inest. In illud, vt materiam, omnes conatus impendant, quicunq; Argyropœiæ & Chrysopœiæ fructus exspectant: profligetur omnis alia materia sulphurea, vnctuosa, inflammans, adurens, infima, naoilis & adustibilis. Sola substantia argenti viui aquea, subtilissima, viscosa, indissolubilis, nullius ignis ardori cedẽs, sit pro materia argẽto & auro proxima. Ipsum enim est quod ignem vincit, nec ab igne vincitur. De materia argento & auro proxima satis. His igitur de ea sic constitutis ad cognitionem causæ efficientis progrediendum est: quæ tanto nobilior & præstantior est, quanto artifex suo opere. Ipsa enim est, vt dixi, vnde est principium motus, quæ omnia corpora naturalia mouet vt talia sint, qualia ipsa esse intuemur. Dixi etiam ipsam esse vniuersalem aut particularem. Et vtraq; in genere definita est. Est ẽt vtraq; naturalis, sed quæ aliquando suopte impetu mouetur, nec aliunde, quam à natura sola impellitur, vt agat. Qualis est in generatione metallorũ in visceribus terræ, quæ sola vi naturæ prodiere. Qualis ẽt est in argento viuo vulgari, & eo quod corporibus metallicis obuolutum est, quę sola natura in lucẽ edidit. Quæ aũt & quales sint causæ naturales, certo scire & assequi non põt mens humana, nec satis constat inter peritiores, qui de ijsdem tractauerunt. Sufficiat nobis naturæ liberalitas, quę à suis causis efficientibus occultis argentum viuũ vulgare, & quod corporibus metallicis potentia proxima est insitũ, vltro nobis obtulit, quod nobis materiam proximã esse diximus. Ea inuestiganda nobis tantum causa efficiens particularis, quæ mouet hanc materiam, vt ex ea concrescat argentũ vel aurũ. Huius autem efficientis causæ natura ex eiusdem definitione, sicut & in cæteris rebus omnibus intelligetur. Hanc autem definire, tum ex viribus, per quas agit, tum ex materia argentifica aut aurifica, cui vires hæ inhærent, necessarium esse existimauimus. Non enim, sicut in reliquis seminum generibus vis sua prolifica cuiquam inest: Sic & in materia nostra proxima vis argentifica aut auri-

Cõcludit Auctor nullam materiam apud artẽ proximiorem esse arg. viuo.

De causa efficiente.

Causa efficiens quid sit.

Causæ efficientes naturales nobis incognitæ.

Causa efficiẽs particularis in hac arte.

Vis aurifica non in-[illegible]

est materiæ proximæ.

aurifica inest. In ouo enim vis sua efficiens inest, quæ calore adiuuante externo pullum edit. Sic & in plantis & reliquis animalium seminibus vis sua prolifica inest, nec aliunde exquirenda. At materiæ nostræ proximæ vis sua argentifica aut aurifica non est insita, quæ tandem in argentum aut aurum promouere possit, sed est in alia materia, eiusdem tamen generis, sed formæ nobilioris, cuius differentiæ ratio in progressu explicabitur. Causa igitur efficiens est vis & facultas argentifica, quæ per qualitates suas igneas, calore etiam externo iuuante materiam proximam seu argẽtum viuũ, quod stanno, plumbo, æri & ferro potentia inest, diducit & resoluit, & idem, nec non argentum viuum vulgare concoquit, & mistionem eiusdem nondum perfectam perficit, & radicitus fingit, vt in ipsum, iam perfecta & consummata mistione, noua argenti vel auri forma influat. Argyrogonia autem est semen argentificum, ex argento vel auro prius soluto perfecte cõcoctum, seu tinctura argentifica candidi coloris. Sicut Chrysogonia est semen aurificum ex auro prius soluto perfectissime concoctum, seu tinctura aurifica rubri coloris, admirabili tenuitate substantiæ prædita, quibus a natura vis illa argentifica & aurifica inest. Qualitates autem illæ igneæ, per quas agunt, arte & concoctione ijsdem sunt acquisitæ. Ex quibus definitionibus satis intelligitur vires agentes bifariam diuidi. Aliæ sunt vt præcipue agentes, aliæ vt adiuuantes. Præcipue agentes sunt vis argentifica & aurifica, & qualitates igneæ semini argentifico & aurifico insitæ. Adiuuantes autem, ignis & calor externus. Quin etiam & semen illud bifariam diuiditur, vt aliud sit argentificum, aliud aurificum. Hæc autem omnia explicatione luculentiori egent, vt veritas quæstionis propositæ: An sit Ars, clarius elucescat.

Definitio causæ efficientis apud artem.

Argyrogonia quid sit?

Chrysogonia quid sit?

Causæ efficientes duplices sunt.

Causę adiuuantes.

In definitione igitur vis efficiens est genus. In omnibus enim corporibus naturalibus, quæ ortum subiere, seu ex semine, seu ex quopiam loco seminis, vel in ijs, quæ in interitum abiere, vis primum & facultas quædam adfuit, quæ in hæc ageret, eaque moueret, quæ alioqui sine motu eadem perstitissent. Hæc vis efficiens a triplici fonte promanauit. Quippe cum in omni corpore naturali tria hæc insint, Materia, forma & temperamentum, ab ijs, nec à pluribus, vires omnes proficisci, certũ est, quæ adeo inter sese connexæ sunt, vt mutua opera indigeant, nullaq; possit seorsim cõsistere. Sed harũ omnium

Definitionis explicatio.

Omnes vires & facultates efficientes à tribus proficiscũtur.

omnium præstantissima & efficacissima ea est, quæ à forma proficiscitur. Quod enim nobilior sit & materia & temperamento, præstantiores effectus eam edere oportet. Hæc vis, quæ a forma ortum habet, proprietas appellatur quæ sua inest cuiq; formæ natiua, nec arte aliqua comparari potest, sed à sola natura. Itaque in definitione dicitur primum, vis & facultas argentifica & aurifica Argyrogoniæ & Chrysogoniæ a natura insita. Vt enim in semine canino vis insita est, quæ seminis materiam mouet, vt generetur canis, quæ vis & facultas in nullo alio inest semine, sic & in semine argentifico aut aurifico, vt fiat argentum aut aurum, vis sua inest. At quoniã hæc vis & proprietas est accidens, quod per se subsistere non potest, sed semper substantiæ inhæret, idcirco addita est definitio Argyrogoniæ & Chrysogoniæ ceu semen, & ex qua materia ortum haberent, scilicet quod ab argento semen argenti, & ab auro semen auri trahat originem: nam etsi inania sunt hæc corpora, neque sibi similia in mineris terræ procreent, tamen arte impellente per translationem sibi similia producere dicuntur, cum in semen, vel in id, quod locum seminis obtinet, transilierint. Et veluti dicimus, canem esse causam efficientem canis, sic etiam argentum argenti, & aurum auri. Hinc pulcre Augurellius.

Proprietas rerum à forma oritur.

Semen Argenti ab argento, Auri ab auro originem trahit.

Hordea cui cordi demum serit hordea, ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia, in auro
Semina sunt auri, quamuis abstrusa recedant
Longius, & nobis multo quærenda labore.

Aurum est causa efficiens auri.

Quamuis autem à forma eiusque viribus effectus omnes, quoscunque cernimus, primum maximeque proficiscuntur, attamen sine qualitatibus primis Elementorum, quæ sunt in misto corpore, esset inefficax, non secus atque artifex sine instrumentis: non quod instrumenta agant, sed quod per ea melius agatur. Ideoque in definitione dixi, facultates argentificas aut aurificas agere per qualitates igneas. Tantas enim qualitatibus primis vires tribuerunt veteres philosophi & Medici, præsertim Galenus, vt per eas omnia, quæcunque hac mundi vniuersitate conspicimus, ab ijs orta existimauerint. Qualitates autem igneas dixi, quod maxime præ cæteris agant, imo nisi à cæteris, quibus perfusæ sunt, vis earum obtunderetur, omnia pessundarent. Has qualitates agentes, calorem nempe & frigus, solas esse causas efficientes corporũ

Forma sine qualitatibus primis ad agendum inefficax.

Qualitatũ primarum vires.

Calor & frigus agunt.

ſimilarium, ſtatuit Ariſtoteles, dum ſolam eorum materiam conſiderat. At cùm ad formam peruenit, vt quare hoc argentum ſit, hoc aurum, aliam cauſam conſtantiorem eſſe ait, ſcilicet formatricem. Hæc enim facultas formatrix dirigit qualitates primas vt agant, & moueant materiam ad formam, qualis eſt in mouente actu ſeu virtute. Sic & vis argentifica aut aurifica per qualitates igneas mouebit materiam noſtram proximã, ad formam argenti aut auri capeſſendam. Erunt etiam adiumento qualitates ſecundæ, quæ à materia ortum habent, vt tenuitas & ſubtilitas ſubſtantiæ: non quod agãt, ſed quomodo forma per qualitates priores & principes, ita & hæ per poſteriores validius aut hebetius agũt. Quapropter definitioni additum eſt, ſemen hoc admirabili tenuitate præditum eſſe, quod omnes materiæ noſtræ proximæ partes celerrime ſubeat & penetret. Vtræque autem qualitates, tam priores, quam poſteriores, cum ſint accidentia, arte intendi poſſe diximus. Et ob hanc ſolam intentionem forma acutius agit, tametſi ipſa, vt dicunt Phyſici, nõ recipiat magis aut minus. Intendi etiam ex Ariſtotelis teſtimonio conſtat, quod omnia concocta, calida eſſe affirmet, cum prius eſſent frigida: & quo plus cocta, eo calidiora eſſe. Hæ igitur ſunt cauſæ præcipuæ efficientes. In omni enim rerum naturalium effectione ſpecies prima eſt & præcipuũ efficiens. Quocirca Argyrogonia argentum, & Chryſogonia aurum generat in materia noſtra proxima. Temperamentum vero igneum & materiæ tenuitas tanquam inſtrumenta facultati formatrici ſubſidio veniunt. De vtroque autem ſemine diſſerendi ratio, quod ſoluendum & concoquendum ſit, & quomodo, ad aliam quæſtionem referenda eſt, interdum de ſolutione & concoctione obiter in definitione dictum nõ intelligatur ex argento ſolam tincturam candidam argentificam depromi poſſe: Ex auro vero eandem & rubram aurificam. Forſitan de vtroque ſemine inferius plura dicenda ſunt. Vis autem adiuuans etiam in definitione proponitur, quod non agat primũ nec præcipue, ſed vt externa iuuet iſtam ad agẽdum: Ea cauſa adiuuans eſt calor externus. Hic in omnium corporũ naturalium ortu adeo eſt neceſſarius, vt huius ope cauſæ illæ efficientes præcipuæ deſtitutæ & orbatæ tanquã ſopitæ iacerent, nec vllum prorſus effectum producerent. Nam plantæ ſine aeris circumambientis calore nuſquã coaleſcerent. Oua ſine calore

Forma dirigit qualitates primas.

Qualitatũ ſecundarũ vires.

Qualitates hę arte intendi poſſunt.

Forma præcipua eſt cauſa efficiens.

Temperamẽtum ad iuuat formam.

Vis efficiens adiuuans.

calore gallinæ, aut alterius auis ea fouente, nusquam pullos excluderent. Et animalium fœtus absque calore matris in vtero extinguerentur. Nec minoris æstimanda est caloris externi vis, in toto opere hoc conficiendo. Imo Aristoteles causam pcipuam efficiētem in mineris metallorum tribuit qualitatibus externis, calori scilicet concoquendi & frigori constringendi. Calor igitur hic externus, quicquid in metallis imperfecte mistis ab argenti viui natura est alienum, secernit, diducit, & exurit. Idem qualitates igneas vtriq; semini insitas, dum concoquitur & producitur, intendit, & in immensum auget. Idem easdem, dum semen in metalla proijcitur, aut in argentum viuum vulgare, adiuuat, vt geminatis & multiplicatis viribus, ipsa misceant, decoquāt, & priorem mistionem imperfectam interuertendo aut perficiendo, ijsdem argenteam aut auream accersant.

Caloris externi vires & effectus.

Postremo definitioni additū est, causam efficientem mouere, dissoluere, mistionem perficere, vt quæ illius essent manibus opera, demonstrarem.

Actiones & opera causæ efficientis.

Primū enim omnis causa efficiens mouet subiectum, aut materiam ad finem aliquem: Motus autem est via & fluxus inter materiam & finem illum. Finis autem est vel forma, vel quantitas, vel qualitas, vel locus. Causa igitur efficiens mouet ad varios fines. Et cum finis Argyropœiæ aut Chrysopœiæ sit, vt producatur argentū vel aurum. Ergo motus ille ad nouam formam contendit. Forma enim plumbi, stanni, æris, ferri, & argenti viui nō est forma argenti vel auri, sed illa sunt horum subiectum & materia: & pereuntibus formis cū materia sine forma subsistere non potest, hanc aut illam, scilicet argenti aut auri, induci oportet. Videndum est igitur, qua motus specie abeuntibus formis à stanno, plumbo, ære, ferro & argento viuo (quibus perpetuo inhærere non possunt, si moueantur) alia eisdem scilicet argentea aut aurea succedat. Existimatur vulgo, motum omnem ad formam esse per ortum & interitū, seu generationem & corruptionem, quorū alter alteri semper succedat. Et ortum quidem esse motum, aut potius mutationem à nō esse ad esse, interitum vero ab esse ad nō esse. Quod verū esse concedimus in stirpiū & animaliū ortu & interitu. At in solis corporibus simpliciter mistis, non per generationē & corruptionē, sed per dissolutionē & mistionem simplicē formā induci subiecto demonstrabimus. Subiectum autē hoc, qꝺ corrum-

Motus quid? Finis qd?

Pereunte forma vna inducitur altera.

Motus ad formā nō semper est per generationē & corruptionem.

In Corporibus simpliciter mistis forma per mistionē inducitur.

corrumpitur aut generatur in vegetalibus & animalibus, aut dissoluitur & miscetur in mistis simplicibus tantum remotum aut propinquum. Nam quod est manuum, id est, semen, nec corrumpitur, nec dissoluitur, sed illius ortus est per solam perfectionem. Quæ omnia dilucidius expli- [illegible], ne paradoxum proferre videar, tum quod [illegible] quæstioni propositæ, tum omnibus fere argu- [illegible] Erasti hac explicatione posthac satisfiet. Omnis motus in Argyropœia & Chrysopœia est in mistione & dissolutione simplici. Quid autem mistio & dissolutio sit, quomodo diuidatur, & in quibus ab ortu & interitu differat, & quid vtrisque commune sit, dicam, quoniam quæstiones hæ magni admodum sunt momenti.

Motus [illegible] Argyropœia & Chrysopœia est mistio & dissolutio simplex.

Variæ de mistione sunt opiniones. Aristoteles sub finem tractatus de mistione sic eam definit. Mistio est miscibilium alteratorum vnio. Hanc definitionem reprehendit Scaliger libro Exercitationum suarum, eamque indignam Philosopho reputat, & sic definit. Mistio est motus minimorum corporum ad mutuum contactum. Hæc definitionis varietas, & quæ de ea plerique senserunt, propter mistionis vocabulum æquiuocum difficultatem pepererũt. Cum enim omnia, quę diximus naturalium corporum genera, scilicet inanima, vt lapides & metalla, & animata, vt stirpes & animalia, ex elementorum permistione concreuerunt, mista omnia appellari possunt. Sed primi generis corporibus mistionis nomen proprie conuenit, & per solum mistionis motum ortum habuere: at aliorum corporum genera etiam præter mistionem aliquid aliud habent, nec illorum perfectio à solo mistionis motu prodijt. Hinc Aristoteles ante mistionis definitionem discrimen ipsius à cæteris mouentibus mutationibus posuit obscure satis & breuioribus verbis, quam necessarium fuisset: & mistionis diuisionem silentio præteriit, nec verbum vllum de dissolutione simplici, quæ mistioni aduersatur, addidit.

Mistio quid sit Aristoteli.

Definitio Mistionis alia.

Corpora inanima per solam mistionẽ oriuntur.

Cum autem, vt dixi, mistionis & dissolutionis vocabulum sit æquiuocum & in æquiuocis partiendum prius, quam definiendum, vtriusque diuisiones aliquæ afferendæ sunt, scilicet tam eius, quæ generaliter & confuse, quam eius, quæ proprie mistio dicitur. Mistionis vocabulum indicat, ea, quæ miscentur, plura esse numero. Mistio alia est prior, alia posterior: prior est, quæ ex primorum quatuor elementorum con-

Mistio & dissolutio opposita sunt.

Mistionis diuisio prima.

concursu proxime & immediate fluxit, qualis est in lapidibus & metallis, & inanimis & subterraneis corporibus, quæ primam esse eorundem Elementorum sobolem diximus. Posterior vero est, quæ ex iam mixtis elementis prodijt, qualis est in stirpibus & animalibus, eorumque partibus. Aliter potest diuidi, vt alia sit a natura sola, qualis est in omnibus corporibus naturalibus, quæ solius naturæ vi concreuerunt. Alia ab arte, qualis est in corporibus iam à natura ortis, quæ rursus arte miscentur, vt in diuersæ speciei corporibus, seu sint fusilia, aut liquida, aut sicca, aut minutissima corpuscula trita. Sed & eiusdem mistionis alia est diuisio, vt altera sit ad formam vnicam eorum, quæ miscentur, constituendam: qualis est in omnibus corporibus naturalibus, quæ suam quæque eamque vnicam formam consecuta sunt: Altera est, quæ ad vnionem minimorum corporum & contactum, manentibus eorum formis natiuis, qualis est in liquidis corporibus, vt aqua & vino mixtis, aut fusiblibus aut metallis, aut siccis, quæ in tenuissimas partes redacta simul miscentur. In hac enim mistione, diuersa hæc corpora suas quæque formas retinent. Alia etiam est eiusdem mistionis diuisio, vt alia sit perfecta simpliciter, alia comparate. Mistio perfecta simpliciter est eorum, quæ cum diuersarum essent prius specierum, postquam coierint, vnicam formam substantialem adepta sunt, vt sunt omnia corpora naturalia. Mistio perfecta comparate est, quæ etsi simpliciter in .ese introspecta perfecta dicatur, ad alias tamen collata magis aut minus perfecta est, tam in his, quę diuersorum sunt generum, quam quæ diuersarum sunt specierum sub vno genere proxime comprehensarum. Quin etiam & hęc mistionis perfectio comparata varie ęstimatur, aut ex actionibus corporũ, quæ mista sunt, pręstantioribus aut ignobilioribus: aut ex connexione partium mistorum corporum solida vel imbecilla: aut tam ex viribus & actionibus corporum mistorum, quam eorundem compagine. Mista enim tantum corpora vt lapides & metalla, si eorum vires & actiones considerentur, ignobiliora cęteris corporum generibus iudicabuntur, quod ex sola elementorum mistione constent. At plantæ motum quendam habent, animalia magis manifestum: homines vero pręter motum rationis & intelligentiæ sunt participes & pręstantissima edunt opera. Itaque agendi facultate magis defi-

Diuisio secunda.

Diuisio tertia.

Diuisio quarta.

Mistio perfecta cõparate æstimatur varie.

Propter vim agendi stirpes & animalia perfectiora sunt quam mista.

Mista simpliciter perfectiora sunt propter perpessionem.

definiuntur. Et hac ratione perfectiora dicuntur mista inanimis, nec non cæteris aliorum corporum generibus. At si ijsdem plantis & animalibus connexionem & soliditatem opposuerimus, horum sane mistio erit perfectior. Non enim ita facile in partes distrahentur aut dissoluentur, quippe quod magis perpetiendi quam agendi munere defunguntur: Sed & inter se lapides & metalla, & hæc inter se collata etiã perfecte magis aut minus mista dicentur. Quorum enim metallorum partes, ex quibus constant, humido scilicet & sicco, adeo tenaciter hærent, vt igni dissolui aut distrahi haud quaquam possint, perfectius mista dicentur, vt argentum & aurum. Atque hac de causa etiam argentum viuum. Quæ enim præter hanc arctam & indissolubilem mistionem adeo æquali sunt temperamento, vt ferri sursum igne nequeant, perfectiora etiam mista appellantur, vt eadem argentum & aurum, secundum vniuscuiusque perfectionis gradum. Quorum omnium accidentium causa in superioribus est dicta. Quod si in his corporibus inanimis aliquod corpus reperiatur, quod vires & qualitates nimium exuperantes obtineat, siue à materia, siue à forma, seu temperamento, siue ab omnibus profectas, & præter has fuerit indissolubile & fixissimum, & in ignis violentia persistat, id vndequaque perfectissime erit mistum. Non enim solum perpetiendi potentia, sed agendi facultate erit definitum. Sane in metallis nullum tale corpus reperitur. Aurum enim quod in metallis perfectius est mistum, nullis facultatibus agentibus, sed perpetiendi tantum potentia est præditum. Quocirca cæterorum metallorum mistionem imperfectam haud quaquam perficere potest. Vtrumque autem scilicet agendi facultatem & perpetiendi potentiam Argyrogonia & Chrysogonia, id est, semen argenteum & aureum obtinent, excellentius vero semen aureum. Quocirca vndequaque perfecte mistum cum sit, cæterorum corporum & argenti viui vulgaris imperfectam mistionem perficit, vt mox dicam. Cur autem semen argentificum aut aurificum perfectiori mistione & facultatibus sit præditum, quam argentum & aurum, causa est, quod elementa corporum mistorum, quæ rursus miscentur, alios & nobiliores effectus pariunt, quam quæ primo miscentur. Vires enim Elementorum nondum mistorum solam mistionem efficiunt, cum à nulla alia particulari & insita vi, sed ex sese moueantur, quatra-

Arg. viuũ perfectius mistum est.

Perfectiora mista igne sursum non feruntur.

Perfectissime mistũ quid.

Semen aurificum est perfectissime mistum.

Quę mista iterum soluuntur & miscentur, præstantiores vires habent, quã semel & primo mista.

litatibus externis iuuantibus. At qualitates in elementis iam mistis alterius imperio subijciuntur, & tantum sunt instrumenta formæ misti, quæ multo præstantior & nobilior est, quam forma simplicis Elementi. Calor enim ignis, vt ab anima mouetur, in animalibus est principium nutritionis, qui sine anima non aleret. Sic argentum & aurum ex elementis & eorum viribus & qualitatibus proxime fluxerunt, ex Aristotelis & cæterorum opinione. Hinc simplex est & infimo gradu eorum mistio. Semen vero argentificum & aurificum ex argento & auro & suo argento viuo iam mistis, rursus coctione iterata, æmula naturæ arte ministra prodierunt, hinc admirabiles producunt effectus. Sicut aūt mistionis vocabulum diximus indicare ea, quæ miscentur, plura esse prius numero, deinde fieri vnum, sic ex diuerso dissolutionis vocabulum indicat id, quod dissoluitur, vnum prius quiddam fuisse, quod in plura postea diducitur. Vnum quiddam intelligo, quod vel continuum est & vnius formæ, vt vnumquodque corpus naturale sua forma constans: aut cuius partes sunt tantū contiguæ, & ex corporibus diuersæ speciei coagmentatæ, vt vnum corpus esse videantur, vt aqua mista vino, aut argentū auro. Huiusce corporis genera, si dissoluantur, in priorum formarum suarum corpora redibunt, cum tantum essent cōtigua, nisi corrumperentur. Illa vero, quæ scilicet vniformis sunt essentiæ, & in quibus materia & forma continuantur, bifariam dissolui dicuntur. Aut enim fit resolutio omnium accidentium eorum vsque ad primam materiam, nec quidquam sensile prioris corporis dissolui apparet, vt in omnibus exustis corporibus: & hæc dissolutio dicitur interitus siue corruptio: aut pereunt accidentia quædam, & quædam sensilia supersunt, & communia tam priori materiæ, priusquam dissolueretur, quam iam dissolutæ, vt mox dicemus in metallis, quæ in argentum viuum dissoluuntur. Nobis de mistione & dissolutione simplici est sermo, quæ ex his, quæ dicta sunt, ab ortu & interitu, seu generatione & corruptione differre manifestum est. In his enim fit interitus prioris substantiæ, & ortus alterius, & omnium accidentium priorum mutatio, nihilque ex eo, quod prius sensile erat, superest. Ideoq; illas non per motum, sed per mutationem fieri dixit Aristoteles. Vt cum ligna exuruntur, pars in fumum, pars in cineres vertitur, & peracta corruptione nihil sensile prioris mate-

Plura numero si miscentur fiunt vnū.

Vnum numero si dissoluitur, in plura diducitur.

Resolutio duplex.

Mistio & dissolutio simplex ab ortu & interitu differunt.

In ortū & interitū fit omniū accidentium resolutio.

Resolutio in primã materiam. materiæ ligni, nec accidentium eiusdem cernitur. Hanc corruptionem appellant resolutionem in primam materiã. At in his mistione, scilicet & dissolutione simplici, qua miscentur diuersa corpora, aut qua mista dissoluuntur, non omnino quæ sensilia accidentia prius fuerant, dispereunt, sed aliquid ex eorum materia priori sensile perit, aliquid manet. Cum enim ad lapidis aut metalli ortum elementa miscentur, quæ vera est mistio, quæ in his prius fuerant sensilia, etiam post mistionem conspiciuntur. Lapides enim sensilem terræ qualitatem referunt, metalla aquæ. Sed & cum ijdem lapides in calcem dissoluuntur, terram referunt. Metalla cũ in argentum viuum soluuntur, aquam. In cæteris mistionis aut resolutionis speciebus, in quibus diuersarum formarum corpora secernuntur, nulla est dubitatio. Metalla enim, quæ fusione liquantur, & mista putantur & rursus arte dissoluuntur, suas proprias formas & sua accidentia propria seruant, sicut diuersorum corporum grana. Hoc etiam inter has, generationem & corruptionem & dissolutionem & mistionem simplicem interest, quod in vera mistione, contrariæ qualitates eorum, quæ miscentur, viribus quodammodo paribus concurrunt, & ad mediocritatem moderationemque referuntur: & hic motus ad simplicem tendit mistionem. At in generatione contrariorum vires præter motum sunt impares, ideoque quod minus est & imbecillius ab ampliore victum perimitur. Idcirco neque lignum igni, neque alimentum corpori permisceri dicimus, sed illa corrumpi, noua oriri. Hæc enim motio ad interitum vnius & ortum alterius tendit. Sunt autem vtrisque ortui & interitui, & mistioni & dissolutioni veræ & simplici hæc communia, quod corporis moti prior forma perit, noua oritur & succedit. Sed eisdem hoc commune est, quod ceu ortui contrarius est interitus, sic mistioni dissolutio. Veræ mistioni & perfectæ, de qua est quæstio, hæc sunt propria, vt sit eorum, quæ miscentur, communis materia: vt tenuissima sint, & facile secari possint, qualia sunt liquida aut fusilia: vt contrarijs pugnent qualitatibus: & vt paribus quodammodo viribus certẽt. His igitur legibus obseruatis erit mistio, quæ sic definiri poterit. Mistio vera perfecta & simplex, est diuersorum minimorum corporum in communi materia motus per qualitates pugnantes æquis viribus, vt fiat vnio materiæ & formæ futuræ, & vnica ex omni-

In mistione & dissolutione simplici non fit resolutio omnium accidẽtium.

In mistione simplici qualitates æqualibus viribus cõcurrunt.

In generatione vires contrariorum sunt impares.

Cõmunia ortui & interitui, mistioni & dissolutioni.

Propria mistionis veræ.

Definitio Mistionis veræ perfectæ & simplicis.

omnibus mistis forma noua exurgat, manentibus quibusdam sensilibus accidentibus prioris materiæ & subiecti. Sic ex aduerso dissolutio vera simplex & perfecta, est misti corporis partium essentialium, quæ vnicam formam constituebant, secretio in alias partes, manentibus in illis quibusdam sensilibus accidentibus prioris materiæ aut subiecti. Quod autem in superioribus dictum est, aliquo corrupto aliud gigni, & aliquo genito aliud corrumpi, & aliquo misto dissoluto simpliciter aliud mistum oriri, & aliquo misto aliud dissolui, & sibi inuicem succedere, distinctione ex subiecti natura indiget. Mutationes enim hæ sibi inuicem succedentes in materia remota & media aut propinqua tantum locum habent, non autem in proxima. Vt puta, gignendus est canis, elementa sunt materia remota, panis, caro & alimenta, media, quæ semen immediate præibit, propinqua dicetur. Sic in Metallis materia remota ab argento & auro sunt Elementa, quæ subsequitur ante metallorum ortum, media est, metalla propinqua. In hac varia & multiplici materia priusquam ad proximam ventum sit, plures mutationes per ortum & interitum in vegetabilibus & animalibus, & per dissolutionem & mistionem in mistilibus simpliciter succedere necesse est. At vbi ad materiam proximam, id est, semen, aut quod loco est seminis, peruentum est, non interit subiectum, vt suboriatur aliud, sed idem tantum subiectum perficitur. Quod mihi vnus omnium perspicacius animaduertisse & subtilissime dixisse videtur Scaliger exercitatione sexta, distinctione secunda. Ouum enim quod est materia pullo proxima, interim cum fouente gallina mutatur, dum ad pulli formam peruenerit, non corrumpitur, sed perficitur. Et perfici hinc apparet, quod in ouo fracto putamine nihil corruptum intus inuenitur. Et quoniam, inquit, ouum & semen post ortum animalis desinit esse ouum, & semen corrumpi vulgo dicitur: verum apud sapientes, quoniam nihil ex subiecto perit, non corrumpuntur, sed perficiuntur. In perfectione enim nihil ex materia deperit, sed tota persistit, priore tantum forma deperdita, alia succedente. Sic argentum viuum siue vulgare, siue ex reliquis metallis prolicitum, mistum Argyrogoniæ aut Chrysogoniæ non corrumpitur, sed tantum perficitur. His fundamentis sic stabilitis, quæ necessaria videbantur ad ea, quæ sequuntur cõstruenda, redeamus ad defini-

Dissolutionis veræ, simplicis & perfectæ definitio.

Differentia mutationis & perfectionis ex natura subiecti est.

Materia remota media & propinqua corrũpitur & dissoluitur.

Materia proxima nõ corrũpitur, sed pficitur.

Scaliger.

In perfectione materia nõ perit, sed formę pereunti alia succedit.

Metalla non sunt materia proxima sed propinqua auro & argento.

tionis causæ efficientis explicationem. Dixi causam efficientem diducere argentum viuum à stanno, plumbo, ære & ferro. Ipsa enim non sunt proxima materia argento aut auro, sed propinqua tantum, ideoq; dissolutione simplici secernenda est materia proxima ab eorum materia, quæ est argentum viuum. Nec refert, fuerit nec ne fluidum illud argentum viuum, dummodo ab omni sorde & substantia ab argenti viui natura aliena, purgatum fuerit: imo quo perfectius concoctũ erit, proximius erit subiectum. Si enim à materia definiendũ sit nobis argentum & aurum, profecto nihil aliud erit vtrumque quam argentum viuum purum, ab omni substantia aliena defæcatum, & definitum & coctum, secundum cuiusque gradum. Aurum enim purius longeq; magis decoctum vsque ad extremum naturæ metallicæ, argentum minus. Hæc ita se habere ex mutuo amplexu argenti viui & auri & argenti, tum vero ex similitudine in ijsdem accidentium quorundam propriorum in superioribus manifestum est, tum quod arte fere aurum in argentum viuum fluidum soluitur. Ignis, quem causam dixi efficientem adiuuantem, hanc dissolutionem potissimum præstat. Separat enim Heterogenea, & congregat Homogenea: Idq; solus efficit, vel identidem & sæpius, atque alternis vicibus purgando hæc corpora, vel in momento admistione seminis argentifici vel aurifici, quod argentũ viuum eorundem quatuor corporum retinet, interim dum ignis externus heterogeneum & impurum dissoluit & excernit. Post dissolutam à quatuor illis corporibus alienam ab argenti viui natura substantiam, quod relinquitur ignibus inexpugnabile est, scilicet argentum viuum purum, cuius tamen mistio nondum est perfecta ad argenti & auri mistionem collata. Quo circa ipsam, nec non argenti viui vulgaris perfici oportere subiunxi. Mistionẽ Elementorũ in vnoquoq; corpore naturali perfectam appello, cum æquales eorundem vires in vnum coierint, vt calidi, frigidi, humidi, sicciq; pares sunt portiones, & iustitia, vt dicere solent Medici. Ideoq; inter diuersæ speciei metalla solum aurũ est temperatũ, & æquale. Est enim tẽperamentum eorũ, quæ in mistis sunt, principũ qualitatũ ꝓportio æqualis. Hanc autẽ æquabilitatẽ non magnitudine molis aut pondere metiri licet, quippe ꝙ in metallis, aut argento viuo vberior sit terræ & aquæ copia, quam in reliquis omnibus corporibus naturalibus, sed potestatis vi & effici-

Argẽt. viuum est materia proxima auro & arg.

Definitio argenti & auri à materia.

Ignis soluit argentũ viuum à metallis.

Effectus seminis & ignis in materiam proximã agentis.

Mistio ꝑfecta in corpore naturali in definitione causæ efficientis.

Definitio Temperamenti.

efficientia, cui omnia plane accepta referuntur. Quod igitur elementorū, ex quibus aurū concreuit, vires & qualitates sint æquales, in partes distrahi, aut in fumū se attolli nō patitur: siccū.n. retinet humidum, ne euolet: & humidum cōglutinat siccum, ne in cinerem abeat: frigidū calidi ferociam coercet, & calidum frigidi torporem excitat. In summa in auro omnia æqualibus viribus agentia & patientia sese ad moderationē redigunt. Sed argentum viuum vulgare propter frigidi & humidi exuberantiam, violentia ignis externi sursum in vaporē fertur. Non tamen secernuntur partes siccæ ab humidis propter mistionem vtriusq; arctissimam, propter quam humidū rapit secum terreum. Quod perinde est, ac si dicatur, substantias elementorum in argento viuo adeo vnitas quidem, vt diuelli ab inuicem nullatenus possint: vires autem aut qualitates eorundem impares & inæquales esse. Quæ autem in elementis argenti viui reliquorum metallorum vires aut qualitates insunt, non vsque adeo sunt inæquales, magisque ad temperamentum accedunt: attamen in omnibus indefinitum est humidum, quod definire necesse est, vt ad temperamentum argenti aut auri accedat. Tum perfecta appellatur mistio. Hæc perfectio concoctione fit. Concoctio enim ait Aristoteles, est pefectio quædam. Quæcunque enim concocta sunt, perfecta etiam sunt & genita. Concoctionem autem esse perfectionem, inductione probatur. Quæcunque enim communiter concoqui conceduntur, priusquam concoquantur, imperfecta esse conspiciuntur, ea deniq; per concoctionem perfecta fieri. Dixi autem concoctionem & perfectionem fieri à causa efficiente quā definiui. Quod quomodo & cur ita accidat, plenius etiam explicandum est.

Cur aurū non cedat igni.

In auro omnia moderata sunt.

Mercuri' fugit ab igne, sed non dissoluitur.

Humidū in Mercurio est indefinitū.

Mistio fit concoctione.

Quomodo & cur causa efficiens cōctione perficiat materiam proximā.

Materia, ex qua arte ministra semen argenti aut auri prodijt, fuit argentum viuum, sed coctum, scilicet argentum & aurū. Semen hoc calidum est & siccū: concoctione enim has vires & qualitates acquisiuit, quippe quod omnia concocta & calida sint. At materia nostra proxima, id est, argentū viuū vulgare & quod cæteris metallis inest potentia proxima, frigidū est & humidū, aliud alio plus minusve. Cum igitur semen & argentū viuum admiscentur facile coeunt, ob candē vtriusq; originē proximam & fusione calor igneus ea magis miscet. Qualitates autē seminis calidæ & siccæ agūt in qualitates frigidas & humidas argenti viui, & illæ agendo repatiuntur,

& hæ patiendo reagunt. Quod si ambarum cõtrariæ fuerint vires æquales, vtputa, semen sit calidum & siccum octo gradibus, argentum viuum frigidum & humidum totidem gradibus, traducetur argentum viuum ad temperamentum. Et fere idem fiet, quod in aqua calida & feruente mista aquæ frigidæ, quæ ob contrarias qualitates pugnantes fit tepida, & temperata. Verum calor in aqua est aduentitius & externus. At in semine argenti vel auri insitus. Quod si seminis & argenti viui vires fuerint inæquales, non sequetur temperamentum. Veluti si seminis calor & siccitas fuerint octo graduum, argenti autem viui frigiditas & humiditas vnius tantum gradus, hæ dominio illorum subijcientur, & argentum viuum vertetur in semen, minoris tamen efficaciæ ob euictos aliquatenus caloris & siccitatis gradus in semine. Dixi enim ortum & interitũ fieri, cum vires agentium nimiũ superant, patientium vero parum resistunt, mistionẽ vero, quãdo æqualibus viribus contrarijs certant. Hinc argentum & aurum in natura sua argento viuo mista in ipsum non agunt: non enim contrarijs inter se pugnant qualitatibus, sed eodem fere sunt temperamento. Cum igitur argento viuo tam vulgari, quam ei quod cæteris corporibus mistum est, accesserit temperamentum argenti vel auri vi qualitatum alterutrius seminis pugnantium æquabiliter adiuuante igne externo consummata erit permistio, & statim forma argentea vel aurea prosiliet, & radicitus tinctum reperietur metallum. Terreum enim argenti viui actu est album, & potentia rubrum, & cum decoquitur mistione seminis aurifici rubescit, & suum humidum fingit in citrinum. Color enim omnis est à ferro decocto: hoc in ora citrini coloris demonstratur, quæ coctione fit rubra. At semen argentificum, cum sit semicoctum, tantum non mutat colorem terrei, sed argẽtum viuum permutatum retinet proprium colorem, concoctũ tamen magis. Plura de materia proxima & causa efficiente dicenda fuissent, sed ad alias pertinent quæstiones. Satis sit ad eam, de qua agitur, vere, aperte, & sine fraude hæc demonstrasse.

Cur aurũ & arg. in natura sua non agant in argentum viuum.

III. Pars Argyropœiæ & Chrysopœiæ est Methodus.

Tertia ex ordine Argryopœiæ & Chrysopœiæ pars tractanda succedit, Methodus scilicet agendi, quæ præceptiones tradit, qua arte argentum viuum vulgare præparandum sit, vt proprius ad argenti vel auri naturã accedat: & metalla imperfecte mista in materiam argento vel auro proxi-

mam

mam resoluenda sint: Tum vero qua via ex argento vel auro semen argentificum vel aurificum producatur. Tandem quomodo eadē materia proxima cū alterutro semine misceatur, vt ex amborū mistione argenteæ aut aureæ formæ corpus exsurgat. De hac parte breuius disserere decreui. Sane noui qua arte argentum viuum præparetur, aut stannum, plumbum & æs in idem resoluantur, & supra quidquam attigi. Sed & quomodo ex argento & auro vtrumque semen oriatur, aliquid subodoratus sum. Verū satius existimaui, quæ tāta celauerūt arcana Antiqui huius artis periti, ne vilesceret ars, silentio etiam præterire, quam temere in vulgus tanta mysteria profanare. Sat erit, imo plus, quā deceat, si miscendi materiā proximā cum vtroq; semine methodū indicauero. Mistionis huius methodus bifariā diuiditur. Altera est æmula & imitatrix naturæ. Altera est violēta. Prior est quę imbecillo primū calore externo, deinde sensim & p gradus aucto materiam proximā vna cum suo semine argentifico vel aurifico concoquere docet, dum ad mistionem & vnionem perfectam peruenerint, vt hinc argentum vel aurum concrescat. Posterior methodus mistionis scilicet violenta est, quæ proiecto alterutro semine in stannum, plumbum, æs, ferrum & argentum viuum, cuiuscunque generis demonstrat argentum vel aurum statim in momento, igne adiuuante, producere. Discriminis huiusce ratio est, quod in priori agendi methodo minus validæ sint vtriusque seminis vires & qualitates igneæ, quam vt momento possint humidum argenti vini vel vulgaris, vel ex cæteris metallis prolicitī concoquere & definire, itaque sensim moueri materiam expedit. At in posteriore modo vires hæ igneæ seminis adeo sunt validæ, vt primo statim concursu & contactu calore externo adiuuante omne cuiusq; generis argentū viuū decoquant & transmutent in argentum vel aurū: non secus ac ignis violentissimus & sicca & viridia ligna statim sine discrimine conficit & exurit, nec impedit humidum aqueū, cum tanto feruori resistere nequeat: Qui tamen ignis si imbecillus esset, viridia ligna nō æque tanta celeritate exureret. Vtriusque methodi in opus deducendæ ratio non omnibus vna eademque est, quibus tamen vnus atque idem est finis & scopus: verum methodum, quæ magis ad naturam accedit, magisque sensibus fidem faciet, paucis perstringam.

Auctor nouit artē præparandi arg. viuū, resoluendi metalla in idē: & quomodo semen oriatur ex auro.

Methodᵒ miscendi materiam proximā cū semine duplex.

Definitio prioris methodi.

Definitio posterioris methodi.

Ratio discriminis vtriusque methodi.

Plures & diuersæ vię vtriusque methodi.

Quomodi prioris methodi.

Prioris methodi duos tantum agendi modos recitabo. In omni opere, inquiunt Physici, opus est agentis robore, & corporis passuri dispositione. Argentum viuum vulgare etiamsi sit materia argento & auro proxima, tamen est temperamento prætermodum frigido & humido atque indefinito, & longe magis ab argenti aut auri cõcoctione distat, quam argentum viuum à reliquis metallis arte prolicitum.

Quomodo ex argẽto viuo communi cum auro mixto producatur aurum itẽ argẽtum.

Si igitur consilium sit argentum viuum vulgare in argentum vel aurum transmutare ex præscripta priore methodo, necesse erit illud prius purgare, & à nimia frigiditate & humiditate vindicare: alioqui concoctioni nimium esset contumax. Hæc igitur est præparatio. Artifices autem, qui in his versati sunt alloquor, & vocabulis artis vti cogor, vt significantius omnia cõprehendantur.

Præparatio argẽti viui.

¶ Sublimetur argentum viuum quater vel pluries, dum niuem albedine superet, & vt vitrum in sublimatione excoctum transpareat. Hinc teratur & perfusum oleo tartari, igne valido adhibito destilletur in vas recipiens & reuiuiscat. Sic argentum viuum purissimum & splẽdidissimum habebis, & à frigiditate & humiditate nimia naturali aliquatenus vindicatum. Fæces enim, quæ illi in sublimatione miscentur, quidquid est impuri retinẽt, humidũ autem rarius, cuius & minus coctum in pulueris similitudinem ad superiorẽ vasis partẽ conscendit. Purior autẽ pars magisq; decocta grauior & solida in media vasis parte subsistit & adhæret, quæ peruia est, & ex eadem argentũ viuũ resolutum & fluidum est quodammodo tẽperatum. Ex hoc argento viuo defæcato, & argento vel auro in calcẽ reductis fiat malagma. Teratur diutissime sub marmore, deinde exprimatur crassiori linteo obuolutũ, dum aliqua argenti vel auri pars tenuior vna cum argẽto viuo pfluat. Addatur nouũ argentũ viuũ purgatum malagmati, quod ob crassitiem trãsmeare nõ potuit, rursusq; exprimatur. Et identidẽ toties hæc opera repetantur, dum totũ malagma pcolauerit. Quod si nimium erit contumax, fimo equino calente sepultũ aliquot dieb. emolliẽdum & attenuandũ erit, idq; repetendum, dum alterutrũ semẽ totum cum argento viuo pfluxerit.

Solutio auri & argenti in Mercurio.

Sic argentũ & aurum soluta erunt in argẽtum viuum cum argento viuo. Hæc ita resoluta iteratis vicibus destilla, dum tota in recipiens vas stillauerint sub argenti viui forma. Quod si quid imo vasis substiterit, addendum est ei nouum argẽtum viuum terẽdum, fimo equino

calente emolliendum & attenuandum, idq; repetēdum, dum totum in vas recipiens stillauerit.

Dissoluendæ vnicæ vnciæ argenti vel auri quadraginta fere vnciæ argenti viui præparati admiscendæ erunt. Quæ si nō suffecerint, rursus addendæ aliæ vsque ad quinquaginta aut sexaginta ad summum, quarum beneficio & vi humida potentia vnica illa vncia alterutrius seminis vere in argentum viuum soluta conspicietur. Hoc argentum viuum metaphorice animatum appellant. Nam veluti in animalium corporibus anima caloris est principium & causa, sine qua mortua iacerent corpora: sic argentum vel aurum principium est caloris in argento viuo, quod alioqui frigidissimum nec quidquam alteratum persisteret. Est autem argentum hoc viuum animatum adeo argento aut auro proximum, vt solum ex sese solo agente calore externo pauco tempore in argentum aut aurum transmutetur. Sed vt expeditius opus peragatur, sumatur drachma huiusce argenti viui animati, eique admisceatur drachma argenti vel auri in calcem redacti. Redigitur in calcem si prius ex alterutro & argento viuo malagma conficiatur, deinde igne sensim exspirauerit argentum viuum. Duæ hæ drachmæ scilicet argenti viui animati & calcis argenteæ vel aureæ simul mistæ lento primum igne, post aucto sensim vsque ad ignitionem maximam decem dierum spacio decoquantur, dum in puluerem candidum vel fuluum desierint. Huic deinde pulueri æquale pondus eiusdem argenti viui animati adijciendum, miscendum, concoquendum vt prius, dum in puluerem abierit, & colorem candidum vel citrinum contraxerit. Atque ita iteratis vicibus æqualitate ponderis seruata, totum argentum viuum animatum in puluerem album aut rubeum siue citrinum figetur. Hic puluis in pilulas albumine oui immisto formatus, & in portiunculam argēti vel auri sensim proiectus, in argentum vel aurum purissimum transmutabitur. Posterior prioris methodi modus eadem ratione nititur. Argentū enim viuum à stanno, plumbo & ære summa arte prolicitur, & calci argenteæ vel aureæ admiscetur, vt in superiori traditū est, cōcoquitur, & in corpus argenteū vel aureum reducitur. Sed nullum ex corporib. omnib. metallicis argentū viuum calci aureæ admistum celerius & perfectius mutatur, quam quod ab argēto puro arte prolicitur. Hæc omnia operā, diligen-

Argētum viuum animatum & quid.

Calcinatio auri & argenti.

Quomodo ex argē to viuo, ex Ioue, Saturno, & Venere prolicito, aurum & arg. producatur.

Mercurius Lunæ celeriter in Sole mutatur.

Posterior agēdi methodus per proiectionem.

ligentiam & manum artificis expostulant, nec nisi progressu temporis fieri possunt. A quibus excusabimur à posteriori agendi methodo, scilicet si desiderato semine perfecto argentifico aut aurifico potiemur. In omnia enim metalla igne colliquata proiecta, & colliquata illius portiuncula miscetur statim solis partibus argenti viui eorundem, ipsumque retinet, concoquit & vnitum perfecte tingit in argentum vel aurum. Ignis autem externus, quidquid est impuri, exurit, & in fæcem supernatantem excernit.

Cōfirmatio Chrysopœiæ & Argyropœiæ.

Vt autem ordinem propositum sequamur, confirmandum est nobis Argyropœiam & Chrysopœiam artem esse veram. Cum autem ad cōfirmationem quæstionis: An sit: multum valeant Auctoritas, ratio & experientia, possem primum multorum grauissimorum virorum testimonijs & auctoritate confirmare veram esse artem, nisi de his editus esset liber, cui titulus est: De veritate & antiquitate artis chemicæ & pulueris auctore Roberto Vallense, is editus Parisiis apud Fridericum Morellum 1561. Quapropter, qui volent auctoritatibus probari sibi veritatem artis, eos ad eiusdem libelli lectionem relegamus. Sed magis rationibus innitendum, & experimentis quibusdam demonstrandum esse putauimus. Nullis igitur probabilioribus rationibus & argumentis defendenda est nobis hæc Argyropœia & Chrysopœia, quam ex ijs, quæ dicta sunt, & quæ in refellendis Erasti argumentis posthac dicenda sunt. Scilicet ex cognitione materiæ argento & auro proximæ, & causæ efficientis. Quæ cum vtraq; ex ijs, quæ natura sponte sua in lucem edidit, arte elici possit, nemini dubitandum esse puto, quin illa ab hac perfici, & argenti aut auri formam ex præscripta vtraque methodo arripere possit. Sunt enim omnium operum & effectuum tam naturalium, quam artium fundamenta materia & efficiens causa. Tanto verius autem id præstari posse existimandum erit, quanto verissimum erit in artis potestate esse id, quod necessarium est ad impellendas causas naturales, vt agant. Atquod necessarium in arte videtur, hoc solum est, vt misceat elementa materiæ proximæ & imperfectā mistionē perficiat. Subiectum enim causę agentis est inanimū corpus, nec aliud eiusdē agētis est munus, quā miscere, non vegetare, alere, aut cætera munia obire, quæ in plantarū & animaliū ortu sunt necessaria. Atq; calor externus qualitates metallorū & elementorū materiæ pro-

Argumēta à rationib. probabilibus ducta artem cōfirmātia.

Materia & causa efficiens sunt causa. & fundamēta omniū effectuū.

In artis potestate est id, quod necessarium est ad impellendas causas naturales vt agant.

proximæ, & ſeminis vtriusque argentifici aut aurifici, mouere poteſt, & intendere aut infringere & miſtionem priorem interuertere, vt hinc noua miſtio inducatur, ſimulque prior forma aboleatur, alia ſuccedat & oriatur, & calor ille igneus externus eſt in artis poteſtate. Veriſſimum igitur erit artem beneficio ignis miſcere poſſe ea, quæ miſtilia ſunt, ijs obſeruatis legibus, quas paulo ante commemoraui, cum de miſtione agerem. Hanc miſtionem ab igne effici poſſe, cum negaſſet Cardanus libro de ſubtilitate rerum, à Scaligero exercitatione centeſima prima diſtinctione duodecima iure reprehenſus eſt. Nam in alembico, inquit, coaceruata & multa, & diuerſa & contraria, ita miſcet ignis in eo vaſe, quod recipiens dicitur, vt nulla vi præterea ſeiungi queant. Et hic ſane eſt à natura: nec ignis naturam temere à natura diſcerpendam eſſe ait. Sed ne longius exempla artis petantur, quibus eam vere miſceri demonſtrari poſſit: Nonne vitrum corpus eſt naturale materia & forma conſtans? Non enim terra, non aqua, minus aer aut ignis eſt, ſed ex horum miſtione vi qualitatum cõcretum. Atqui quod vitrum fit, nullum alium habet opificem, quam vitrarium, nec aliam cauſam agentem quam ignem. Materiam quidem, ex qua vitrum fit, ars non poteſt producere, at ligna igni ſubijcit, à quo exuruntur & in cinerem vertuntur. Deinde cinis miſcetur arenæ puræ aut lapillis perſpicuis minutiſſime tritis, hinc vtraque materia igne in calcem redacta, eademque tandem igne violento fuſa vertitur in vitrum. Sic ars metalla non producit, nec argentum viuum, nec materiam ſeminis argentei aut aurei, ſed ea igni ſubijcit, qui qualitates eorundem ſubigit & alterat, miſcet & quæ arti propria ſunt opera, efficit, quorum effectus eſt miſtio, aut huic oppoſita reſolutio in aliud miſtum ſimplex. Sane ſi vegetationem, ſenſum, permutationem vnius indiuidui in indiuiduum plantæ aut animalis induci oporteret, ignis aut calor igneus hæc minime præſtaret, ſed vis & calor efficiens inſitus materiæ & ſemini, qui non eſt ex genere caloris ignei, ſed cæleſtis & proportione elemento ſtellarum reſpondens, vt recte ait Ariſtoteles.

Ars poteſt miſtilia miſcere beneficio ignis.

Ignẽ poſſe miſcere Scaliger probat cõtra Cardanum.

Artẽ vere miſcere ab exemplo vitri demonſtratur.

In materia vegetabilium aut animalium vires inſitas eſſe.

At quæſtio non eſt de vegetatione aut ſenſu, ſed de miſtione inanimorum corporum, quæ non inſita vi, ſed pulſu agitantur externo. Quod ſi obijciatur in materia miſtorum corporum ſimpliciter vires etiam ſuas ineſſe, quibus ad formam

Materia inanimatorũ corporũ pulſu externo agitatur, non vi inſita.

vnicuique propriam promouentur: fit ita, non idcirco tamen minus forma argenti aut auri in materiam illis proximam inducetur. Si enim vi mistionis eadem materia proxima eosdem affectus corporeos induat, quos argentum & aurum, eam mistionem calore externo agente efficere nouerimus, argenti quoque aut auri formam eidem materiæ proximæ inducemus. Ex accidentibus enim argento & auro proprijs & sensibus cognitis formas eorundem intelligimus, cum ignotæ sint nobis differentiæ illorum specificæ. Hæc enim accidentia propria, vt & in cæteris corporibus naturalibus, formam vnicuique propriam sequuntur. ¶ Hæc autem Erasto responsurus luculentius tractabo. ¶ Etsi autem hæ probabiles sint rationes, quibus Argyropœiam & Chrysopœiam defendere possem, tamen experientiæ maior fides adhiberi solet, præsertim in effectibus eiusdem Argyropœiæ & Chrysopœiæ, qui sensuum iudicio, quales sint, vere iudicantur. ¶ Si enim quod hæc ars pollicetur, id est, argentum aut aurum, verum est, fidem faciet demonstratio, vbi vtrumque proprium subierit examen. Quod in ijs artibus, quæ solam ratiocinationem pro fundamento habent, non ita demonstratur. Idcirco experimenta duo enarrabo, quæ non semel, sed identidem sæpius probata in animum induxerunt, vt artem verissimam esse crediderim. Nescio an scriptis fides adhibebitur. Sed parum solicitum me reddit: crediderit Erastus nec ne, aut quivis alius huius artis ignarus. Affirmare tamen bona fide possum, vidisse me argentum viuum à stanno arte reductum vere fluidum vt vulgare, in purum argentum transmutatum fuisse. Ex quinque libris stanni vna aut circiter argenti viui prolicitur. Purgatur exemtum lauacro ex sale & aceto, dum sit splendidum, quatuor vncijs huiusce argenti viui admiscetur vna gummi cuiusdam argentei fusibilis & fixi. Fit autem fusibile & fixum mistione vnius vnciæ puri argenti cum quatuor vncijs arsenici prius sublimati, purgati & per reiterationem sublimationis fixi cum eodem argento. Hinc soluitur vapore aqueo calente, dum conspiciatur vt oleum spissum. Huius igitur olei portio vna cum quatuor argenti viui è stanno arte educti mista vasculo vitreo includitur, & vi caloris primum imbecilli, deinde aucti vsque ad decimum diem concoquitur, dum in puluerem cinereum fixum substiterit.

Cõfirmatio ab experimentis.

Mercurius ex stanno prolicitus in argentũ mutatur. Primum experimẽtum.

terit, qui cum plumbo liquatus & examini ceneritij probatus, vertitur in verissimum argentum. Cuius effectus causa in superioribus tradita est.

Alterum experimentum est argenti in aurum mutatio hac methodo. Destilletur aqua acerrima & tingens, quam plerique norunt, destillata rursus destillanda est & sæpius, & dum nullæ fæces post destillationem in imo vasis resederint. Magni enim refert omnia ab impura fæce & crassitie esse purgata: purgandum etiam est argentum viuum vulgare pluribus repetitis sublimationibus, dum perspicuum fuerit, hinc reuiuiscat. Soluātur seorsim a destillata aqua acerrima vnciæ duæ argenti purissimi. Eadē aqua soluantur seorsim quatuor vncię argenti viui purissimi, misceantur soluta: destilletur aqua primū imbecillo igne, dū tota stillauerit. Hinc augeatur gradus caloris, vt etiā argentum viuū destillatione exspiret, frangatur vas vitreum. In imo vasis massam argenteā conspicies partim cinereo, partim rubro subobscuro colore tinctam: Tandē reduc in corpus Hoc argentum etsi nondū mutauerit colorem, neque sit aurum, purius tamen est & solidius q̃ naturale argētum ipsiusq; humidū magis definitū. Idcirco in examine auri scilicet cementi ægerrime nec nisi repetitis sæpius diuellitur. Quin etiam solutum cum fuerit ab aqua acri separationis, ramenta quædam auri puri subsidere conspicies. Hoc signo totam argenti massam in aurum mutari posse iudicabis, cum sit eadem totius, quæ & partis ratio. Hoc opus maturationis fructuum speciem quandam gerit. Cum primum enim vuæ maturescunt grana quædam nigro colore perfusa conspicies, cætera autem sine vlla coloris mutatione, quæ tamen præcedente & continuato colore maturatione peracta, nigra sunt omnia. Sic si idem argentum sæpius soluatur ab eadem aqua acri, eiq; admisceatur argentum viuum solutum, & destilletur aqua: & exspirauerit argentum viuum & massa subsidens in corpus reducatur, tota in aurum mutabitur. Varios etiam subinde colores coctiones reiterando contrahet, dum tandem rubeus, splendidus, fixus & inpermutabilis color apparebit, qui perfectæ concoctionis signum est. Sed magna in reductione in corpus adhibenda erit diligentia, ne nimium decidat pondere, alioqui totum fere argentum in spiritus aquarum acrium in reiteratione operis in vaporem euanescet, nec aliud periculum in hoc experimēto pertimescen-

Secundū experimentum.

Exemplū probabile.

Calores diuersi cō coctionis signum.

Argētum euanescit cum aqua forti nisi ab artifice perito retineatur.

mescendum. Intertrimentum hoc euitare poterunt ingeniosi, neque ratio suadet omnia in vulgus profundere. Hæc agendi methodus etsi à superiori diuersus sit, tamen in vtraq; eadem causa, idemque est effectus. Hoc enim tantum agitur, & sæpe dictum sæpius etiam repetendum est, vt omnis aliena ab argenti viui natura impura substantia à metallo secernatur, solaque argenti viui substantia pura supersit, quæ concoquenda & definienda est, dum colorem citrinum contraxerit, signum perfectæ concoctionis. Atqui hoc experimento & agendi methodo hæc omnia præstantur. Certum enim est solutione cuiuscumque corporis misti in fluidam consistentiam ab aqua heterogeneam & impuram omnẽ substantiam excerni. Hoc exemplo salis communis atri & impuri demonstratur, qui solutus in aquam ab aqua impuritatem omnem in vasis imo derelinquit. Qui autem in aqua clarissima effusus & solutus est, si agente calore incrassetur, niueus conspicietur. Secretioni autem huic adiumento erit argenti viui substantia pura, ipsum enim quod suæ naturæ est, retinet, alienum respuit. Et in reductione post coagulationem, quod heterogeneum & impurum est, abit in fæcem. Quod vero purum est, liquatur & in canaliculam ferream proiectum in metallum frigore concrescit. Vis autem ignea aquæ acris definit & concoquit humidum: terreum autem argenti, quod actu est album, potentia rubrum, per operis reiteratione rubescit, suumque humidum tingit in citrinum, & hic color est indelebilis, est enim radicitus infixus. Sic argentum ab ijsdem causis, quibus & in superioribus agendi methodis, in aurũ transit. Cum enim sensim illi accidentia auro propria accedunt per præparationem, tandem auri formam contrahit. Omne enim corpus sub certa quantitate stans apprehendit ad se formam in momento. Argentum autem, quod propius ad auri naturam & mistionem accedit, quam reliqua metalla, facilius hac methodo formam auri ad se trahit: cætera ægerrime: sed excernendum prius est ab illis argentum viuum fluidum, quod cum calce auri concoctum in aurum mutari poterit. Hanc argenti in aurum mutationem hoc experimento nostro didicimus, à similitudine ferri in æs. Soluatur vitriolum in aquam ab aqua, in hanc aquam ferri ramenta proijciantur, ferueat aqua vsque ad consumtionem tertiæ partis illius, sub diuo relinquatur, subsidebit in imo vasis ferrum & vitriolum. Effundatur

Causę mutationis Lunæ in Solem.

Sal purgatur solutione.

Mutatio ferri in ęs.

datur aqua clara, immittatur alia. Hoc repetatur sæpius, dum tota vittioli substantia soluta in aqua, nec non impuritas ferri effusa sit, conspicies in fundo puluerem rubrum, qui in folium liquatus & in canaliculam proiectus, in æs purissimum concrescet. Si quis omnia hæc accuratius perpenderet experiendo & manum operi admouendo, lucrum inde non minimum captaret, & vberius quidem, quam alia aliqua arte consequeretur, si modo opus recte perageret. ¶ Verum hæc eo à nobis scripta non sunt, ditescendi vt artem doceremus, sed vt veram esse eam demonstraremus. Hic enim finis est & scopus nostræ Apologiæ. Scio tamen plures tanto comparandarum opum æstu flagrare, vt nullam aliam ob causam Argyropœiæ & Chrysopœiæ incumbendum esse putarent: perpaucos video, qui spreta opum immensitate, quam hæc ars suppeditare potest, paucis & necessarijs contenti admiranda Dei opera non solum in plantarum & animalium ortu, sed in mutorum & inanimorum horum corporum dissolutione & mistione contemplari desiderent, quæ hac arte inuestigando oculis cõspiciuntur & manibus palpantur. Illis famelicis & auri sitienbus vt satisfiat, horum autem pijs desiderijs vt prouideatur, & in vniuersum omnibus huiusce artis percupidis & amatoribus, si me, quibus operibus incumbendum sit, consuluerint, dicam ingenue & bona fide, & quod mihi, idem quoque illis consultum esse velim. Magna equidem sunt, quæ ex præscripta priori methodo aggredienda vere & aperte demonstraui, quæque si ad exitum perducantur, magno cum fœnore prouentura sint. Verum omnia hæc laboriosa, tædiosa admodum & difficilia, siue argentum viuum à corporibus metallicis arte summa eruendum sit, siue vulgare præparandum, vt necesse est, seu argento & auro vis quædam ignea accersenda sit, quæ in argentum viuum agendi facultatem habeat, & illud coquendi: seu argentum viuum cum auro tam arctissime per exiguas portiunculas miscendum & vniendum sit, vt in vaporem vtrumque simul sursum feratur igne agente & in vas recipiens in argenti viui formam delapsum coire oporteat, seu argentum summa præparatione præcedente sine semine in aurum mutandum sit. Præterea in hac priori methodo pluribus opus est vasis, fornacibus, aquis, oleis & quam plurimis alijs rebus. Sed & hæc non sine magnis sumtibus fieri poterunt, priusquam quod quæsitum est, verum esse experientia comperia-

Effectus superius dictorum.

Finis Apologiæ huius.

Consiliũ auctoris.

Incõmoditates prioris methodi.

comperiatur: multa enim in tractandis vasis pericula solent incidere. Insuper & hæc omnia assiduam operam sine intermissione desiderant. Et si illis incumbendum sit, propriæ professionis partes & functiones deserendæ sint necesse est. Atque hinc quod maius malum video, bonorum virorum existimationi plerumque detrahitur. Tandem ex tam multis & assiduis laboribus, opera & oleum, vt dici solet, teritur plerumque, nisi ab artifice ingenioso & maxime experto administrentur, qui etiam in causarum naturalium cognitione versatus sit, vt errorem, si, primum voti compos non extiterit, emendare possit. Neque tamen hæc damnanda aut contemnenda sunt, quippe quæ ad altera concipienda & capessanda aditum facilimum præbitura sint. Sed de ijs ita sentiendum esse puto, vt nihili æstimanda sint, si chrysogoniæ seu semini nostro aurifico comparentur. In huius inuestigatione cæteris omnib. explosis Argyropœiæ studiosis omnem operam collocare oportet. Cognitis enim paucis, quæ tantopere & iure quidem occuluerunt veteres, cætera nullius vel minimi laboris æstimanda sunt. Sunt autem quæ celauerunt, tria hæc, Materia, causa efficiens & locus, quibus nomen proprium non imposuerunt, sed inuestigantes ad naturæ opera relegauerunt, & recte quidem. Materia ex qua triticum generatur, est triticū & humor ex terra & aqua mistus: Causa efficiens partim est insita grano tritici, partim est externa, nempe calor solis in aere circumambiente. Locus est terra: sic in Chrysopœia materia ex qua semē aurificum generatur, est aurum, & suum argentum viuum: hanc materiam barbaro nomine appellarunt, REBIS, quod ex bina re primū cōponitur, quæ tandem coctione diuturna futura sit vna specie & numero. Causa efficiens est partim vis insita in auro, partim calor externus, qui calorem solis æmulatur. Locus est fornax, quam Athanorem appellant, cum suo tripode arcanorum & ouo vitreo, quo includitur materia. Humor è terra & aqua mistus calore solis & aeris circumambientis agente dissoluit granum tritici, quod corrumpi vulgo existimatur, vt superius diximus. Dissolutionem aut corruptionem sequitur germen, quod est materia semini futuro proxima: hinc crescit, multiplicatur & sensim concoquitur, dum ad maturitatem peruenerit: toto hoc temporis curriculo varios subinde mutat colores: sic argentum viuum nostrum dissol-

In solius seminis aurifici inuestigatione incumbendum.

Tria à veteribus celata.

Ortus seminis aurifici naturalis est non secus ac plantarum & animaliū.

REBIS.

Similitudines in ortu tritici & seminis aurifici.

dissoluit aurum & dissolutione peracta generatur germen, quod est materia semini argentifico & aurifico futuro proxima, quæ paulatim concoctione viribus augetur, dum tandem in massam rubram & duram vt vitrum concreuerit. Et hinc puto nomen lapidis illi inditum fuisse. Lapis hic vase effracto minutissime teritur & inclusus vase vitreo luto obstructo igne excellenti triduo concoquendus est, dum in puluerem rubrum seu purpureum fixum & igneum abierit, & perfectionem summam consecutus fuerit. In cuius superficie natabit terra impura, quam damnatam & vituperatam appellant, quæ abijcienda est. Hoc postremum opus trium dierum appellare solent. Nec pauciores toto motus tempore colores materia seminis nostri contrahit, quam planta. Quorum tamen tres præcipuos artis periti notarunt: nigrum, album & rubeum. Contracta tamen albedine appellatur semen argentificum seu Argyrogonia, vim & facultatem habens mutandi argentum viuum cuiuscumque generis in argentum purum: sed maluerunt vlterius progredi, & sola concoctione continuata aucto calore aurificum semen producere. Quemadmodum autem iactis in agros seminibus cætera Naturæ committit agricola, dum messis tempus aduentarit: Sic Argyropœiæ cultor, vbi primum vasi materiam incluserit: & conuenientem calorem exhibuerit & continuo fouerit, nihil illi laboris impendendum erit, sed calori committenda cætera, dum semen primum albedinem contraxerit: atque hinc vim & facultatem argentificam, tum demum vero continuata concoctione in puluerem rubrum aurificum prodierit. Huic operi conficiendo pluribus fornacibus, vasis, aquis, oleis minime opus est, sufficit vnica fornax apta, aurum & suum argentum viuum. Sufficit vnica ad summum auri vncia, nec posterum alia adijcienda est. Nulla etiam possunt incidere pericula. Semel enim incluso semine & calore circumposito, nec tangitur, nec loco mouetur, dum ad maturitatem peruenerit. Neque assiduam opus est collocare operam, sed solus ignis fouendus, minus deserendæ sunt propriæ professionis functiones, sed magna & admiranda moliendo, nihil agi vulgo putabitur. Sic apud omnes retinebitur plausibilis existimatio, neq; quicquam illi detrahetur. Porro si lucrum magis expetendum sit, quam

Vnde nomen lapidis.

Terra damnata & vituperata.

Opus triũ dierum.

Tres colores in semine aurifico dum mouetur.

Pauca sufficiunt ad artem hanc.

Admiranda Dei potestas in hac arte. quam admiranda Dei potestas in operibus naturalibus, quæ ab eius omnipotentia fluxere, nullus huic pulueri aurifico comparandus erit thesaurus, quippe cuius drachma, etiamsi semel tantum ortum subierit, argenti viui 200. vel plures ex quantitate virium statim igne externo iuuante, constringet, & in aurum purissimum mutabit. Diuitiæ. Vnde effectus hic tam admirabilis. Huiusce tam admirabilis effectus causa est vis ignea auro, postquam à suo proprio humido seu argento viuo fuerit solutum, longa & temperata concoctione quæsita. Quæ vis cum primum in auro sopita esset & potentia tantum, eadem solutione & concoctione in actum erumpit: non secus ac vis in ouo delitescens calore gallinæ excitatur, vt tandem inde pullus oriatur, qui longe nobiliori & præstantiori forma constat quam ouum. Sic & semen aurificum longe nobilius suo auro, à quo originem traxit. Vis hæc aurifica per qualitates igneas semini longa concoctione quæsitas redundantem argenti viui vulgaris, aut eius, quod metallis inest, humiditatem coercet & temperat, atq; ex hoc temperamento imperfecta argenti viui mistio perficitur, statimque aurea forma illi impertitur. Augmentatio virium in infinitum. Sed quod magis admiratione dignum est, vires illius in infinitum ex reiteratione operis adaugentur. Si enim semen illud aurificum semel ex auro productum rursus suo humido proprio certa proportione misceatur, soluatur, temperato calore concoquatur, tandem etiam in puluerem rubrum, & breuiori quidem tempore prodibit, multiplicatis viribus prioribus, & quo pluries opus reiterabitur, tanto celerius absoluetur, & efficacioribus viribus opus augebitur. Nam ceu tritici grana iterum atque iterum sata numerum & quantitatem in infinitum augent: sic semen aurificum iterum atque iterum solutum & concoctum vires proprias in infinitum augebit. Et vt in seminibus plantarum & animalium proprium hoc munus est, sobolem suam per generationem propagare, sic semini aurifico hoc proprium est, vt primum sæpius solutum à suo argento viuo & concoctum, viribus increscat, quibus per mistionem cum argento viuo vulgari vel metallorum, speciem suam auream propaget. Huiusce incrementi meminit Augurellius sub finem suæ Chrysopœiæ his Versibus.

Extremo hic igitur prudens ne cede labori,
Nam breuis atque artis minima est, sed diuitis vsus.
Ergo vel inprimis fuluo contunde metallo

Confecti

Confecti paulum medicaminis, idque beati
Pulueris actutum præ se vim ferre vid. bis.
Vel grauidum puro semen cum rursus ab auro
Haud facili, & multa extrusum collegeris arte.
Qui modus ex illis, quæ pridem exegimus extat
Expressus satis, & sati non omnia par est,
Hinc tu purpurei partem n. ex pulueris æquam
Immisce, atque illis lentum succende calorem,
Et geminos illos etiam simul excoque menses,
Quo serium spatio cunctam prodire colorum
Peruideas, qualem ternos miratus in annos
Videris, atque breui sumas, quæ maxima longo
Tempore iam tota quæsisti sedulus arte.
Idque iterum atque iterum facias quotiesq; peractum
Id fuerit, toties vires illius & ipsum
Puluereum exauctes cumulum, namque ocyus ipse
Crescit, & hinc aliam sumit retinetq; priorem
Virtutem crescentem etiam, nec credere vanum est,
Illum adeo interdum priscis auctoribus auctam,
Ipsius vt tenui proiecta parte per vndas
Æquoris, argentum tum viuum si foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum;
Neptunusque super diuos ditissimus omnes
Tum fieri, & strato lusum Nereydes auro
Ire super, puro siccantes sole capillos
Cærulea, quo non alius color aptius auro
Hæret, & æthereo cui plene conuenit aurum.

Postremum hoc hyperbolice ab Augurellio dictum est, vt intelligatur ortum & propagationem huiusce seminis & auri in proxima materia, scilicet argento viuo, in infinitum abire: non secus vt in propagatione aliorum corporum naturalium euenire solet. Sane huiusce seminis concoquendi & perficiendi ratio adeo est æmula naturæ, vt nulla opus sit arte, vbi primum aurum suo humore fuerit mistum, nisi quod calore proprio & conuenienti fouendum erit semen. Idcirco in administratione aut propagatione seminis huiusce nihil vtilius, quam assidue in contemplatione operum naturæ incumbere. Inficiari nolim recentiores huiusce artis auctores compendiosam magis viam edocere, quæ si præstari

possit, nec tam facilis est, nec cum tanto fœnore habet exitum. Insistamus vestigijs patrum, qui nusquam nos aberrare posse verissime professi sunt, si naturam ducem sequamur. Neque tamen ex ijs, quæ dicta sunt, tam facilem existimare artem oportet, vt quivis eam statim assequatur. Nam aurum prętparandum est, vt solutioni minime sit contumax, & id quidem satis arduum. Neque vero existimandum est argentum viuum, quod soluendi auri obtinet facultatem, esse illud vulgare, quod palam à Pharmacopolis aut mercatoribus venit. Cum enim à corpore, quod similitudinę totius substantię aurum referat, & temperamento sit calido & humido, solutionem eiusdem auri præstari oporteat, illam quidem similitudinem argentum viuum obtinere negari non potest, temperamento autem esse frigidissimo certum est & maxime indefinito. Sed aliunde nobis argentum viuum arte ingeniosa proliciendum & educendum est à corpore paucissimis noto, quod natura concoxit, quod etiam similitudine totius substantiæ aurum magis referat, quam argentum viuum vulgare, quodque nulla arte, sed primo quoque contactu & attritu cum auro non minus coeat & misceatur, quam aqua aquæ. Iam contemplare altius, quod nam sit illud corpus. Prætetea fornacem, quæ continuum & æqualem calorem subministrare possit, pauci norunt. Sed pauciores tripodem arcanorum, & paucissimi pabulum caloris, cui æquabilitatem præstare possit. Totum fere arcanum in gradu caloris consistit. Nam veluti vim pulli effectricem & ouo insitam, à calore externo superari non oportet, alioqui indurescerct ouum, nec pullum vsquam in posterum ederet: sic vis seminis fututi, id est, auri misti cum suo argento viuo exinanienda non est, alioqui non dissolueretur aurũ, nec germinabit, nec fiet materia auro proxima, sed in aurum calore nimio agente concresceret: rursus si defecerit calor, laborem artificis frustrabitur. Tandem vero puluis hic aurificus in Dei potestate situs est, quẽ, cui vult, largitur & subtrahit, & frustra ab ijs quæritur, cui denegatus est. Hinc Palingenius in suo Zodiaco ait, cum puluerem hunc aurificum viris pijs quærentibus respondisset Apollo sub ænigmate & oraculo quodam obscuro & hinc ad conuexa cæli euocasset, sic subdit:

Tunc mentis diuinæ homines oracula cæca
Voluentes animo ancipiti, vix tempore longo.

Veterum via facilior & securior quã recentiorum.

Ars difficilis est.

Argent. uiuum Philosophorum non commune est.

Fornax philosophica.

Arcanorũ tripos.

Arcanum in gradu caloris consistit.

Puluis in Dei potestate situs est.

Palingenius.

Experti multa & non paruis sumptibus illam
Inuenere artem, qua non ars dignior vlla est,
Fingendi lapidem æthereum, quem scire prophanis
Haud quaquam licet, & frustra plebs improba quærit.
Quem qui habet, ille potest vbi vult habitare decenter;
Nec fortunæ iram metuit, nec brachia furum.
Sed tanto paucos dignantur munere diui.

Videbor forsan plura dixisse quam quæ ad quæstionē propositam: An sit ars: necessaria fuissent. Verum adeo connexæ sunt quæstiones, vt, an esset ars, confirmari non potuerit, quin simul demonstretur, quomodo esset: Tum vero quod his, quæ dicta sunt, velut armis ex penu naturæ depromtis, argumentorum Erasti aciem oppugnare propero.

Nunc igitur, Eraste, ad te me conuerto, nunc mihi tecum cominus congrediendum est, & rationibus physicis opinio tua in re, cuius ignarus es, funditus euertenda est. Sed quoniam in omnibus ordo necessarius est, imo instructa vtrinque acie, qui dimicaturi sunt, plerumq, ex ordine opportune constituto victoriam referre solent: sic quem prosternendis argumentis tuis ordinem seruaturus sim, dicam. In primis conuicijs, iniurijs & maledictis, quibus Argyropœiæ & Chrysopœiæ studiosos insectaris passim, cum nihil aliud præstare possis, nullum à me responsum accepturus es. Nihil enim hæc ad veritatis cognitionem pertinent, hæc modestum & grauem virum minime decent, quem opinioni suæ contradicentes, demonstrationum vi & robore conuincere oportet, non vetularum petulantium more acclamare, & furentium hominum ritu excandescere. Sane in multis, quæ tu proponis, in tuam me iturum sententiam audies, quod fundamentis demonstrationum naturalium innitantur. Sed vt omnia magis aperta fiant, opportunum esse putaui, si quem ante in confirmatione Apologiæ continuata orationis serie stylū seruaui, in refellēdis, quæ aduersus eandem afferuntur ab Erasto argumentis, posthac mutauero. Nihil enim ad discernenda, quæ proponuntur aut enunciantur, vera an falsa sint, commodius & expeditius esse puto, quam omnia ad Syllogismi formam reducere. In his enim, quæ orationis copia dicuntur, plerunque imprudentes decipi contingit, vt pro certis incerta, pro veris falsa & vana amplectantur. At in his, quæ ad formam syllogismi reducuntur, omnia nuda &

Vltima Apologiæ pars.

Confutatio argumentorū Erasti.

Ordo in refellendis argumentis Erasti.

Reductiō argumentorum ad syllogismi formam.

aperta sunt, nullus fucus, nullus ornatus intermistus est, quibus veritatis lux, tanquam densissimis tenebris immersa & mens auditoris aut legentis perstringitur, vt intelligere non possit, sed cæcutire cogatur. Quocirca ab omnibus, quæ confuse, & identidem plerumque, Eraste, aduersus Chrysopœiam attulisti, detrahetur verborum & orationis copia & ornatus, & ad nudam syllogismi figuram reducentur. Sic ad Dialecticorum normas exacta, veluti aurum, cementi, stibij, sulphuris aut aquæ acris separatoriæ examinibus expositum, explorabitur, quantum veritatis aut ponderis in ijs contineatur, & quid de ijs, quæ à me in contrarium aduersus ea afferuntur, statuendum sit, certo cognoscetur. Sed antequam ad profligandam Argyropœiam & Chrysopœiam accedis, de natura metallorum, vt in visceribus terræ sua sponte & natura concreuere, disputas, & Aristotelem de materia eorundem differentem tueris aduersus Georgium Agricolam & cæteros. Quæ autem Aristotelis & cæterorum essent opiniones, supra attigi. Ex his quæ verior sit, certi aliquid pronunciare non ausim: Sed sit ita, vt vis, & concedatur opinioni Aristotelis potius fauendum. Nihil tamen ad quæstionem propositam pertinet, an sit Argyropœia aut Chrysopœia ars vera, quæ materiam, ex qua proxime in mineris metalla oriuntur, non inquirit: sed illa aliam materiam argento & auro proximam naturæ liberalitas obtulit, cuius mistionem imperfectam perficere possit causa efficiens, vt ex superioribus, quæ dicta sunt, manifestum est. Prosequeris de natura metallorum differens, ipsa esse specie differentia, & ductilia esse, neq; argentum viuum metallum esse profiteris. Ego quoque in hoc tecum consentio: Sed quam præcipuam metallo differentiam assignas, quod sit ductile, hanc ego communem omnibus metallis assero, vt ab argento viuo & alijs corporibus discernatur. Sed quod esse ductile sit differentia specifica, nego. Specificæ enim rerum differentiæ nobis ignotæ sunt, & loco differentiarum proprijs vtimur. Neque quod sint ductilia metalla à seipsis differunt, sed quod perfecte magis aut minus mista sint, & quod alia igni exurantur, aut in partes essentiales distrahantur, alia minime, vt argentum & aurum. Coarguis deinde chymicos, qui vnicam tantum metallorum speciem solis accidentibus differentem posuere. Tibi etiam in hoc, non illis adhæreo. Vnumquodque enim metallum

De natura metallorum in visceribus terræ.

tallum speciem & formam propriam obtinet, per quam ab alia differt, & ab eadem nomen habet. Iam ad argumenta tua progrediendum, eorumque dissolutionem, vt in hac tam celebri disputatione, quid certo sit statuendum, intelligatur.

PRIMVM ARGVMENTVM ERASTI *aduersus Argyropœiam & Chrysopœiam.*

QVæcunque ars ruinosis fundamentis nititur, cito collapsura est.

Atqui Argyropœiæ & Chrysopœiæ fundamenta sunt, metallorum alia esse perfecta, alia imperfecta, & hæc mutari posse in perfecta: quæ falsa sunt fundamenta.

Ergo Argyropœia & Chrysopœia cito collapsura est.

De propositione nemo ambigit. Assumtionem autem hoc probare vis argumento. Quæcunque formam naturalem habent, & per illam constant, perfecta sunt. Vnumquodque autem metallum perfectum est & sua forma constat & ab illa nomen habet, & falsum est, reliqua metalia esse quædam rudimenta auri. Ergo vnum quodque metallum perfectum est. Perfectionem autem maiorem reliqua metalla assequi non posse, hoc etiam argumento probare contendis. Vbi primum causa efficiens naturalis motum in materia perfecerit, cessat, nec amplius aliquid in ea meditatur. Neque vsquam naturam aliquod metallum in mineris terræ in aliud mutasse, & figmentum esse, quod de imperfecta horum metallorum mistione in mineris dixere Chemici. Cum primum enim à frigore in metallum densata fuerit materia, frustra coctionem expectari. Cum igitur natura viliora metalla in nobiliora nusquam transmutarit, minus etiam ars id præstare poterit.

Responsio ad primum argumentum.

Respondeo ad assumtionem: Metalla non dici alia perfecta esse alia imperfecta propter formam, sed propter mistionem. Vnumquodque enim perfectum est, si formam spectemus, quod per eam vnumquod constet, sin mistionem, aliud perfectum, aliud imperfectum. Quod enim imperfecte mistum est, imperfectum dici potest, vt ignobiliora metalla, quæ quod minus mista sint, igne dissoluuntur: Ar-

Perfecta dicuntur metalla propter mistioné non propter formam.

gentum & aurum, quod indissolubilia sint ab igne, præsertim aurum, perfecta dicuntur. Sic Aristoteles cruditatem, imperfectionem; concoctionem, perfectionem appellauit, libro Meteorologicorum quarto, & tamen quæ ad maturitatem nondum peruenerunt, formam habent substantialem, qua constant & perfecta sunt, vt vuæ immaturæ. Neque propterea velim cum quibusdam opinari, metalla reliqua esse quædam rudimenta auri, sicut in vuis immaturis dici potest. In his enim vis insita efficiens nondum motum suum perfecit: in illis scilicet metallis, cum frigore densata fuerit materia in speciem metalli, motum suum peregit natura. Non igitur falsum est fundamentum in Argyropœia & Chrysopœia, metallum aliud dici perfectum, aliud imperfectum, si mistionem eorum inuicem comparemus, & aliam imperfectam, & aliam perfectam, & aliam perfectiorem esse. Hæc perfectio & imperfectio in vegetabilibus & animalibus, quæ formam habent substantialem, dici non potest. Non enim constant per solam mistionem, vt inanima hæc & muta corpora, quæ sola mistionis lege diuersa differunt inuicem, sed aliquid præstantius habent, quod ea mouet, vt formam suam consequantur, vt etiam in superioribus dixi. Quod posteriori loco dicis, iam perfectum à sua forma à natura amplius perfici nō posse, nec eandem naturam ignobiliora metalla in nobiliora perficere in visceribus terræ, concedimus: Nec illis adstipulamur, qui impeditam fuisse naturam dicunt, quod omnia in aurum non transmutarit. At non propterea tibi concedimus consecutionem argumenti tui, scilicet arte adiutrice eandem naturam extra mineras terræ, ex ignobilioribus metallis nobiliora metalla producere non posse. Quædam enim in solius naturæ potestate sunt, vt metalla ex suis principijs concreta, quæ sua sponte à sola natura ortum habent, nullius artis aut alterius indigna. In his omnino imitari naturam non possumus, cum quæ eorum sit materia proxima & causa efficiens, ignoremus. Quædam vero natura sola sine adiutrice arte producere nequit, vt triticum. Nisi enim terra excolatur prius, deinde triticum seratur, non propagabitur. Quædam vero etiam magis sunt in artis potestate, & quæ sola natura nusquam efficit, nec effectura est sola, vt quæ arte miscentur aut dissoluuntur. Nam etsi omne corpus ex sinu naturæ prodierit, ex illo tamen nusquam natura sola produxit aut producet vitrum.

Perfectio & imperfectio in vegetabilib. & animalibus non dici potest, vt in solis metallis.

Natura sola quædam non potest efficere.

At

At ars subijcit omne corpus naturale igni, qui ipsum exurit & vertit in cinerem, & hinc ex omni cinere vitrum producitur. Sic natura aquam vitæ ex vino nusquam destillauit, ars prolicit eandem. Eadem diuersorum generum & specierum aquas vere permiscet, quæ nusquam natura miscuit. Nihil igitur mirum, si natura postquam in visceribus terræ ignobiliora metalla produxerit, ex ijsdem argentum & aurum producere sola non potuit aut possit. Quippe ipsa sine arte ignobiliora metalla in materiam argento & auro proximam dissoluere non potest, nec etiam meditata est, nec eandem etiam arti proximam materiam in mineris suis concoquere. Aliam enim materiam, aliam causam efficientem habet natura. Et ars dissolutionem hanc ex ignobilioribus metallis in proximam materiam, & eandem nec non argentum viuum concoquere, & mistionem imperfectam perficere nouit. Ipsa tamen est tantum naturæ adiutrix. Quippe quod omne corpus sit naturale siue agens, vt ignis, quo ars vtitur, siue patiens, vt metalla. Hæc opera in vegetabilibus & animalibus ars efficere non potest, quod motus in illis non fit in artis potestate, sed vis insita materiæ. At his quæ propter simplicem mistionem aut dissolutionem constant, causæ quæ eas præstant, sunt in artis potestate, vt ignis, & ea quæ sunt ignea, & mistionem hanc incoare & semicoquere vel concoctionem perficere potest, vt in lateribus semicoctis aut perfecte coctis. Prolixior in huiusce argumenti solutione fui, tum quod ab eo, tanquam a machina insuperabili, totam Chrysopœiam collapsuram putaueris, Eraste, tum quod multis alijs dissoluendis inseruiet. Sed & aliud sequitur argumentum, quod non minus, quam hoc totam artem confodere queat. Causæ naturales in mistione sunt in artis potestate.

Secundum Argumentum. II.

Perfectorum specie nulla est commutatio in aliam speciem sub proximo & vno genere comprehensam, vt asinus in canem transmutari non potest, quia sub eodem genere, scilicet animalis comprehenduntur.

Atqui plumbum, stannum, æs, & ferrum, argentum & aurum perfecta sunt specie, & sub eodem genere, scilicet metalli comprehensa.

Ergo, nulla eorundem est inter se commutatio.

Illa in hæc transmutari non possunt.

Responsio.

Hoc secundum argumentum sæpius repetis, Eraste. Sed propositionem tuam priorem non indistincte nec semper esse veram, demonstrabo. In stirpibus enim & animalibus diuersæ speciei sub eodem genere proxime comprehensis concedendam esse putabo, quod per ortus & interitus, siue generationis & corruptionis motum producantur, & in corruptis aut genitis nullum prius accidens sensile superfit. At in mistis simpliciter nego propositionem tuam habere locum. Mutatio enim ferri in æs purissimum, quam supra docui, contrarium demonstrat: Et plus fidendum demonstrationi, quam opinioni tuæ. Atqui ferrum & æs sunt sub eodem genere metalli, nec fit resolutio accidentium sensilium omnino in illa mutatione, sed vtrumque sub metalli forma permanet. Adieci etiam experimentum à me probatum de argento in aurum mutato, sine interitu metallicæ formæ, id quidem difficilius. Idcirco in ferro mutando in æs quisque nullis aut paucis sumtibus & facilime experiri poterit, vt propositionem tuam non semper esse veram iudicet. Quid si dixero cum Scaligero ouum cum in pullum mutatur, non corrumpi sed perfici, nec in alterius speciei genus transire, sed formam in eo esse actu? Sed esto, concedatur tibi tua propositio, sed & assumtio: an propterea conclusionem tuam tibi concedendam putabis? Nonne si Asinus a cane depastus, in semen caninum post longas mutationes transmutaretur, crederes semen in canem transmutari posse? Hoc te negaturum non puto. Quid si etiam dixerim, stannum, plumbum æs & ferrum in argentum viuum mutari posse, & materiam esse argento & auro proximam apud artem probauero, nonne illud in hoc mutari posse concedes? Neque enim dispar est ratio. At dices forsitan, metalla illa in argentum viuum dissolui non posse. A te quidem qui huiusce dissolutionis ignarus es, fieri posse non puto. Negabis etiam argentum viuum esse materiam argento & auro proximam. Ego autem id expertus sum in argento viuo ex stanno prolicito, quod sola coctione in purissimum aurum à causa efficiente mutatum est. Et materiam esse proximam argento & auro multis argumentis superius demonstraui, & ex his, quæ sequuntur, apertius declaraturus sum. Hoc igitur tuum argu-

Mutatio ferri in æs sine interitu speciei metallicæ.

Argenti in aurum mutatio.

Ouũ perfici non corrumpi.

Asinus mutatur in canem.

Mercurius ex sola coctione in aurum mutatus.

tuum argumentum nullatenus Argyropœiam aut Chrysopœiam labefactare poterit. Non enim, vt dixi, eadem est in omnibus ratio ortus & interitus, quæ simplicis mistionis & dissolutionis.

Tertium Argumentum. III.

Quæ Natura efficit, ars efficere non potest.

Atqui sola natura argentum & aurum generare potest. E. Chrysopœia aurum, aut Argyropœia argentum non generare potest.

Propositionem probas hac ratione, si ars esset effectrix generationis vt natura, nullum inter hanc & illam esset discrimen.

Responsio.

Responsum est supra primo argumento, Artem tantum esse adiutricem & impellentem, omnia autem fieri per causas naturales, vt præcipue agentes, & naturam aliquando ex se sola in visceribus terræ, ex sua materia metalla producere, & eandem naturam ex materia, quam iam produxit, argentum & aurum generare, sed solam id præstare non posse, nisi adiutrice & impellente arte, quæ igne & igneam vim habentibus reliqua metalla in materiam argēto & auro proximam dissoluens, post concoquit, & a causa efficiente perficit, si de potentia ad actum promoueatur. Adduxi etiam Exemplum de vitro, quod est corpus naturale materia & forma cōstans, quod ex omni materia in cinerem versa, vi ignis conflatur, quod nusquam natura sola efficere potuisset, nisi ab eiusdem causis naturalibus ars materiam præparasset. Quod igitur ais, naturam solam efficere, quæ ars efficere non possit, si de causa efficiente præcipua intelligas, facile tibi concedam: si de causa adiutrice, minime. Præcipue vero in his, quæ solam mistionis rationem & nomen obtinent, vt fusilibus & liquidis, quæ igne miscentur.

Ars non est causa efficiens prolifica, sed adiuuans.

Quartum Argumentum. IV.

Quod imperfectum incoatumque est, in specie nulla reperitur.

Atqui vnumquodque metallum sua specie est perfectum, Ergo.

Metalla reliqua dici imperfecta aut inchoata nō possunt, vt in argentum aut aurum mutari possint.

DD 5 *Respon-*

Responsio ad quartum Argumentum.

Huic argumento ex superius dictis respondemus, perfectionis nomen esse æquiuocum. Si enim forma & species vniuscuiusq; metalli spectetur, vnumquodq; est perfectum. Si mistura, sola auri est perfecta: at reliquorum imperfecta. Sed in naturalibus corporibus, ea, quorum humidum est indefinitum & definiri potest, imperfectum dicitur. Cōcoctio enim, inquit Aristoteles, est quædam perfectio & fructus immaturi priusquam maturescant, imperfecti habentur, quoad maturitatem, quæ est perfectionis species. Quod autem vua immatura sub specie naturali reponatur, propositionem tuam, Eraste, euertit. Vuam quidem acerbam & immaturam vuæ maturæ proximam & finitimam esse nemo dubitat. Sed argentum viuum vulgare paulo ab humiditate & frigiditate vindicatum, aut quod à metallis arte eductum est, magis in naturali rerum specie persistit, magisque est materia argento & auro proxima, quam vua acerba vuæ maturæ: quippe quod hæc, si desit causa efficiens, statim putrescat, si autem eadem præsens sit causa, maturescere nisi longo temporis interuallo non possit. At argentum viuum nusquam corrumpitur, etiamsi causa præteriti, quæ illi ortum dedit, fuerit absens. Hinc ipsum Plinius liquorem æternum appellauit. Vi autē efficiente semini argentifico aut aurifico insita, & calore igneo externo iuuante ex eodem argento viuo statim argentum aut aurum concrescit.

Mistura metallorū imperfecta est, nō forma.

Mercurius non corrumpitur. Liquor æternus.

V.

Quintum Argumentum.

Natura produxit omnes species propter fines vsusque certos & hominibus necessarios.

Atqui ferrum vsui hominum æque necessarium est vt aurum. Ergo.

Natura ferrum aut reliqua metalla non produxit, vt ex his aurum efficeret, sed vt vsui essent hominibus.

Responsio.

Argumentum hoc etsi verum sit, nihil tamen ad propositam attinet quæstionem: An Ars sit, nec concludit si propter vsus varios, natura produxit vnum quodq; metallum, ex alio aliud generari non posse. Diuersæ enim sunt conclusiones, & diuersa concludendi media.

VI. *Sextum Argumentum.*

Qui dicunt viliora metalla eadem tantum ratione ab argento

gento aut auro differre, qua æger à sano homine differt, inscire dicunt. At Carbonatij ita sentiunt. E. Inscite dicunt.

Propositionem ex eo confirmas, quod vnumquodq; metallum ab alio sua propria specie differt. Assumtionis probationem retices, sed ex eo colligendam dicis, quod semen argentificum aut aurificum quidam dixerunt esse medicinam metallorum, cuius Geber in summa tres statuit ordines, priorem quæ alteraret tantum, secundam quæ palliando tantum perficeret, posteriorem & tertiam, quę omnem extrariam ab argenti viui natura substantiam excerneret & vere perficeret. Tres o- nes [illegible] cinæ me- tallorum iuxta Ge- brum.

Responsio.

Priorem propositionem iam tibi concessi, & assumtionis auctoré esse Gebrum in sua summa perfectionis. Sed hos tres medicinæ ordines à metaphora statuit. Nam ceu qui sanus est, colorem ægri abiecit, & omnia sani hominis munera exsequitur: sic metalla viliora in argentū vel aurum mutata coloré splendidum acquisierunt, & examina eadé perferunt, quę argentum & aurum. Ex eorundem enim perpessione formas diiudicari dixi: sed vnicam tantum formam omnia metalla habere, ne somniauit quidem Geber, qui metallorum genera in sex species diuisit. Tibi autem, Eraste, assentior, improprie dictum esse, viliora metalla à nobilioribus differre, vt æger homo à sano, si ex proprijs accidentibus eorum formæ dijudicandæ sint: sin accidétia eorum communia tantum inspectanda sint, non omnino inscite ab ijsdem dictum existimabo. Quæ de- medicinis metallorū dicta sunt metaphorice sunt dicta.

Septimum Argumentum. VII.

Materia vnius formæ fieri non potest materia alterius formæ, nisi prius materia in aliam formæ proximæ futuræ materiam mutetur. At Chemici hoc non nituntur, sed communem dicunt esse omnium metallorum materiam. E.

Ex reliquorum metallorum materia argentum aut aurum efficere non poterunt.

Propositioné sic probas. Caro aut sanguis suillus aut quiuis alius nusquā animæ nostræ erit conueniens alimentum, priusquam in chylum album, & deinde in nouum aliumque sanguinem permutetur. Assumtionem ex hoc probas, quod Chemici hoc non moliuntur, vt plumbi aut cæterorum metallorum materia ita transmutetur, vt fiat argento aut auro materia conueniens & proxima.

Responsio.

Responsio.

Propositionem priorem concedo. In superioribus enim dixi, hanc esse naturæ legem inuiolabilem, vt nusquam alterius speciei indiuiduum sit alteri speciei conueniens, nisi illud in hoc mutatum fuerit. At assumtionem tuam nego, imo nihil aliud moliuntur Argyropoeiæ aut Chrysopoeiæ periti, quá vt reliquorum metallorum materia in materiam argento & auro proximam deuergat, eaque à causa efficiente moueatur & perficiatur.

VIII. *Octauum Argumentum.*

Si materia vnius speciei in materiam alteri speciei proximam mutari oporteat, tota illa mutanda erit.

Atqui cum Chemici metallorum materiam in argentum viuum, alij in metallum aliud mutant, non tota mutatur E.

Materia metallorum in alterius metalli aut argenti viui materiam mutata, non erit proxima argento, aut auro materia. Nusquam formam argenti vel auri obtinebit. Priorem propositionem confirmas argumento adducto de suilla carne aut sanguine, qui nusquam erit proxima humano corpori materia, nisi prius in chylum & sanguinem humanum mutatus sit. Assumptionem probas à sensuum testimonio. Metalla enim mutata in alia metalla aut in argentum viuum, videtur esse eadem materia: nam metalla fusa videntur esse argentum viuum, hoc autem sine igne est liquidum.

Responsio.

Falleris multum, Eraste, in similitudine carnis & sanguinis suilli mutandi in sanguinem humanum, & metallorum mutandorum in argentum viuum. Illius enim sanguinis mutatio est per corruptionem seu interitum eiusdem, & ortum Chyli & sanguinis humani, in qua mutatione omnia accidentia pereunt, & fit, vt dicunt, resolutio vsq; ad primam materiam, priusquam fiat sanguis humanus, nec quidquam sensilis materiæ prioris percipitur, non secus ac in ligno mutato in cinerem, qui est proxima vitro materia. At mutatio metallorum non est per corruptionem, sed simplicem dissolutionem & secretionem eius materiæ, quæ ab argenti viui natura est aliena: Argentum autem viuum quod cóspicitur post dissolutionem, non est per ortum aut generationem, sed per simplicem mistionem sub alia noua proportione misti corporis. In hac mutatione non fit resolutio materiæ metallo-

Mutatio metallorum nõ fit per corruptionem, sed per dissolutionem simplicẽ.

rum

rum vsque ad primam materiam, sed conspiciuntur sensilia quædam accidentia communia priori materiæ metallorum, & posteriori materiæ argenti viui, in vtraq; tamen mutatione fit interitus prioris formæ & ortus posterioris. Argenti enim viui forma nō est forma metallorū. Hæc in Argyropœia & Chrysopœia confirmatione luculentius dicta sunt, quæ hic repetere superuacaneum putaui. Hac igitur distinctione etsi tota metallorum materia mutata non fuerit, non desinet propterea argentum viuum ex eadē dissolutum esse materia argento & auro proxima, quod a causa efficiente proxima perfici poterit.

Nonum Argumentum. 19.

Si materia metallorum esset materia argento & auro proxima in mineris terræ ipsa causa efficiente præsente in argentum vel aurum mutaretur.

At nusquam hoc in mineris receptum est, imo postquam propria vnicuique metallo materia concreta fuerit,& metallum factum fuerit, nusquam permutabitur. Ergo

Metalla non sunt argento & auro proxima materia aut rudimenta eorum.

Responsio.

Nimis tibi incumbendum non est, Eraste, in probatione huius argumenti,quod totum tibi concedimus esse verum in mineris terræ. At ex ijsdem metallis extra minerarum locum argentum viuum prolici non posse a causis naturalibus arte adiutrice, & perfici in argentum aut aurum, tibi quidem, Eraste, est impossibile, quia ignoras nec vidisti. At his qui sciunt & experti sunt, possibile & facile. Hæc autem superius demonstrata sunt, vt longiori responsione opus non sit huic argumento.

Decimum Argumentum. 20.

Quod natura in mineris suis non efficit, ars quoque extra mineras non efficit.

At ex mistione vaporum diuersæ speciei in mineris vna & eadem species metalli non oritur,sed diuersæ.E.

Ex mistione metallorum diuersæ speciei cum argento vel auro extra mineras vnum specie metallum non oritur.E. vana est Argyropœia & Chrysopœia.

Respon-

Responsio.

Priori propositioni idem respondendum est, quod alijs argumentis, naturam esse præcipuam causam agentem, artem vero adiutricem & materiam subijcientem, vt causa efficiens agat in eam: Et eandem causam naturalem efficientem arte adiutrice, aliud efficere posse extra minerarum locum, quod in eodem loco sola efficere non potest: scilicet metalla resoluere in proximam argento & auro materiam, quod in mineris sola præstare non potest. Nihil igitur mirum, si ex diuersis vaporibus diuersa specie metalla in eisdem venis oriãtur, nec si aliud in aliud in eisdem non mutatur. Nec minus mirum, si ex vulgari & imperfecta mistione metallorum per fusionem suas quæque formas & species retinent: non enim ijs legibus coeunt, quibus diximus perfectam effici mistionem. Posthęc à te scripta, Eraste, quæ vrgere magis videbantur, & quæ ad syllogismi regulas reduximus, ijsq; respondimus, multis verbis diuersas chemicorũ opiniones de materia metallis proxima in mineris terræ enarras. Sed veræ an falsæ sint, parum refert, quantum ad propositæ quæstionis dissolutionem attinet, An sit ars. Non enim aurum elaboraturi indigemus materia illa proxima, quæ erat in mineris, priusquam illa concrescerent, iam enim diximus, id esse impossibile, maxime cum tot & tantæ sint de materia illa proxima opiniones, non solum inter Chemicos, sed & inter alios: Sed quærimus materiam argento & auro proximam, quæ est argentum viuum vulgare, ꝙ natura nobis vltro obtulit, & illud, quod ex metallis arte eruitur. Itaque quæ contra Chemicorum opiniones attulisti argumenta de materia illã metallis ꝓxima in mineris terræ, silentio prætereo, ne in illis confutandis operam & oleum terram. Hæc enim Argyropœiam & Chrysopœiam non oppugnant, quæ alijs nititur principijs. Sed ijs tantum argumentis respondere proposui, quibus artem hanc oppugnare contendis. Multa tamen à te docte scripta in refutandis Chemicorũ opinionibus non inficiabor, scilicet rem nũllam vere & perfecte mistam aut ortam iterum in idem illud resolui, ex quo proxime mista sit vel orta. Neq; enim si ex pane & vino fiat sanguis, hic in panem & vinum resolui poterit. Sic nec metallum in id, ex quo proxime mistũ fuit. Nam etsi dixerimus, metalla in argentũ viuum resolui, nõ ꝓpterea cõcessimus, ex argẽto viuo in mineris terræ ipsa proxime concreuisse

Causa naturalis efficiens aliud efficere potest arte iuuãte, quod sola efficere non potest.

Materia proxima metallorum alia est in mineris, alia apud artẽ.

Res vere & perfecte mista non iterum resoluitur in id, ex quo proxime est mista.

An metalla ex argẽto viuo in mineris concreuerint.

creuisse, sed ex alia materia proxima soli naturæ cognita. Fatemur enim generationes nusquam reflecti, & prorsum ire semper, dum tandem extrema dissolutione ad prima elementa, seu ad materiam primã ventum sit. Hac quoq; ratione dixerimus materiã proximam metallis in mineris, nõ esse materiam artis, sed argentũ viuũ, quod ex metallis resoluitur, quod ab efficiẽte causa in argentum vel aurum statim vertitur. Materia proxima metallis in mineris non est materia artis.

Nihil etiã respondebo his, quæ contra Chemicorũ opinionem de causa efficiente metalla in mineris terræ scripsisti. Hæc enim differt ab ea, quæ materiã nostrã proximã mouet, & perficit extra locum minerarum. Hactenus, Eraste, obiter allata à te sunt superiora argumenta aduersus Argyropœiam & Chrysopœiam, cum de materia & causa efficiente, quæ & qualis vtraq; esset in mineris terræ disputasti. Quę sequuntur argumenta tua aduersus eandem artem oppugnandã directe & aperto marte tendunt: ea igitur ad syllogismi formam reducenda sunt, vt quid verum, quid falsum sit iudicari possit. Alia causa efficiens metalla in mineris, alia apud artẽ est.

Vndecimum Argumentum. XI.

Si lapis Philosophicus vim & facultatẽ habet transmutandi metalla vel argentum viuum in argentũ vel aurum, certa debet esse eadẽ materia & certa præparationis & agendi methodus. Alioqui vana & futilia sunt, quæ de eo enunciantur.

At qui de eo scripsere, nec de materia, nec de modo præparationis, aut agendi methodo inter se conueniunt, imo de nulla alia re magis sunt dissentientes. E.

Vana & futilia sunt, quæcunq; de eo enunciantur: hinc sequitur, vanam esse Argyropœiam & Chrysopœiam: quippe ignorata materia & causa efficiente, ex qua & à qua lapis Philosophicus conflatur, nihil agitur. Omnium enim operum sunt fundamenta materia & causa efficiens. Materia & causa efficiens sunt fundamẽta omnium operum.

Responsio.

Validissimum est hoc argumentum quodq; pressius vrgere videtur, præsertim cum de materia agitur, ex qua semen argentificum aut aurificum prolicitur. Non enim omnis materia omnes obtinet facultates & vires, sed sua est cuique propria, & vnica & simplex est veritatis cognitio, & reuera variæ sunt de materia opiniones apud Chemicos. Nam & Geber in sua summa perfectionis, medicinam quæ coagulat argentum viuum vulgare, ex solis corporibus metallicis Variæ Chemicorum opiniones de materia lapidis.

pro-

prolici posse profitetur, vel ex ijsdem cum suo sulphure, vel arsenico præparatis, vel ex solo eodem argento viuo. Ex tanto opinionum diuersarum conflictu artem arguẽdi occasionem aliquam habuisti, Eraste, & idem pronunciandi, quo Dauus Pamphilum alloquitur apud Terentium: Quæ res in se nec consilium nec modum habet vllum, eam si tu ratione certa postules regere, nihili plus agas, quam si des operam, vt cum ratione insanias.

Plures viæ progignendi lapides.

Quod ad agendi modum attinet, non adeo me mouet, modo de materia aut subiecto constiterit. Plures enim sunt viæ ad vnum eundemq; effectum conspirantes.

Calor externus est causa efficiens externa adiuuans.

Vtrique tamen obiectioni responderi potest, materiam argento aut auro producendo proximam, eamque indefinitam scilicet argentum viuum, aut vulgare, aut quod corporibus metallicis reliquis inest, sola concoctione egere, vt definiatur & perficiatur: huius autem causam efficientem esse calorem externum adiuuantem qualitates materię proximæ insitas. Quod si materiæ, quam quisque sibi elegerit, ad progignendum quem appellant lapidem, vires & facultates igneas accersere aliqua methodo nouerit, & experientia comprobauerit, ijsdem facultatibus materiam nostram proximam concoquere & perficere, nihil est quod a subiecti varietate quisquam deterreatur. Eo enim tendunt omnia, & tandem in vnum redeunt eundemque effectum pariunt. Nam siue pullus ab ouo calore gallinæ fouente edatur, siue alio calore simili, nihil refert. Quid si etiã sine aurifico semine argentũ in aurũ mutari posse dixero, & cuius in superioribus patefeci experimentum? Huiusce enim effectus causa est vis ignea aquarum acrium, & aliæ causæ, quas retulimus. Quod si opinionum diuersitas, & plerunque ex diametro contrarietas sit argumentum sufficiens ad damnandam artem, quid magis contrarium, quam Physicorum, Medicorum & Iureconsultorum in scholis pugnantes opiniones in plerisque, de quibus est disputatio? Nonne in Iureconsultorum nostrorum Pandectis aliam alius opinionem condemnare sæpe solet, suam autem tueri? Nonne in forensibus iudicijs & iudices & consiliarios in diuersas trahi sententias quotidie experimur, in ijs præsertim quæstionibus, quæ in iure consistunt? Sed & ex Medicis, qui in consilium adhibentur, vt morbis ægrotantium consulant, & remedium afferant, raro videas plures,

Varietas materiæ nõ obstat.

Argẽtum potest in aurum mutari sine semine aurifico.

qui

qui in vnam eandemque eant sententiam? Quippe omnia hæc probabilitatē tantum habent, non demonstrationem. At quodnā subiectū semini argentifico aut aurifico producendo sibi quisque elegerit, aut inutile, aut vtile, aut vtilius fuerit, experientia demonstrabit. Nec ita metuendum erit, si aliter successerit, quam sperabatur, vti contemiscendum est in exhibitione medicamentorum, quæ plerunque hominem capiunt & conficiunt. Neque tamen propterea medicina contemnenda aut condemnanda erit: sic nec Argyropœia aut Chrysopœia, si, quæ materia Argyrogoniæ aut Chrysogoniæ concipiendæ & demum parturiendæ sumenda erit, quave methodo agēdi opus fuerit, obscurum sit. Expertis quidem ad easdem inuestigandas, nulla alia opus est arte, quam experientia. Sed quoniam qui experti sunt, aut scriptis patefacere detrectant, & iure quidem, aut illis fides non adhibetur, nisi coram demonstrent, quod minus etiam ferēdum est, ad naturam eiusque opera inquirentes relegarunt. Nam etsi ipsa natura Argyrogoniam aut Chrysogoniam ex se sola non produxerit, tamē ex similitudine aliorum corporum naturalium, q̄ arte ministra natura in lucē edidit, viā demonstrant, qua illæ in lucem proferri possint, & materiā protulit, & methodū agendi demōstrauit, & solā manum Artificis exposcit. Nullum verius aut vtilius, quā à natura petendū, capiendum, aut sperandum est consilium. Ex illius oraculo in ambiguis & ancipitibus respōsa verissima referuntur. Hinc videas omnes, qui hanc artem norunt, ad eandem naturā eiusdemq; opera Argyrogoniæ aut Chrysogoniæ producendę studiosos demittere. Illorum igitur tantum opinioni subscribo, qui naturam imitantes aurum & suum argentum viuum pro materia aut subiecto seminis argentifici aut aurifici assumunt, soluunt & concoquunt, dum in lapidem durum coierit, & tandē in calcem aut puluerem rubrum prodierit. Ad reliqua argumenta dissoluenda progrediendum est.

Probabilitas non demonstratio in medica sciētia.

Experientia.

Natura materiam protulit & methodū agendi demonstrat.

Materia lapidis quæ.

Duodecimum Argumentum. XII.

Opiniatur Erastus, & recte quidem, si quid in tota re insit veri, videri illos propius ad veritatem accedisse, qui lapidem Philosophorum ex auro concinnare studuerunt. Ex auro autem produci non posse, hoc vtitur argumento.

Vt ex auro fiat lapis Philosophicus, aurum perfectius reddi oportet, quam sit in natura auri propria.

Atqui perfectius reddi non poteſt.E. Ex auro procreari nō poterit,Ergo minus ex alia materia.Ergo vani ſunt & irriti omnes chemicorum conatus.

Prior propoſitio probatione non eget, cum manifeſta ſit ſenſibus, nec videamus aurum in natura ſua cæteris metallis aut argento viuo mistum miſtionem illorum perficere & aurum mutare. Aſſumtionem autē auctoritate Bracelci & Rogerij Bacconis probas, Eraſte, & ratione & experientia confirmas, quæ demōſtrat auri miſtionem adeo ſolidam & perfectam, vt igne diſſolui & corrumpi non poſſit.

Reſponſio ad Duodecimum Argumentum.

Bracefci & Rogerij Bacconis opinio.

Braceſcus & Rogerius Bacco, nec non cæteri huiusce farinæ ænigmatice, tropice, & nullo ordine artem tradiderunt, nec auro nomen materiæ lapidis Philoſophici dederunt, ſed potius cauſæ efficientis & informantis materiam informem, rudem & imperfectam, & ex amborum miſtione lapidi ortū dedere.Sed quoniam materia ſuperat quantitate vt menſtruum in fœtu, aurum vero viribus vt ſemen & cauſa efficiens, noluerunt aurum lapidis eſſe materiam. Quamuis reuera & aurum & ſuum argentum viuum ſit eiusdem lapidis materia ſcientibus, & intelligentibus, & alterum ſine altero ſit inutile, illud enim agens, vt mas, hoc patiens, vt femina. Quod autem aurum perfectius igne reddi non poſſit, aut diſſolui & in partes diſtrahi nequeat, concedo in natura propria & metallica ſolo calore igneo. Videtur enim aurum ad extremum perfectæ miſtionis omnium metallorū gradum a natura perueniſſe.Verū aquis quibuſdā diſſolui & in partes diſtrahi poteſt,& facile quidē his,qui ſæpe experti ſunt. Deſtillatur enim aqua ex ſale communi, quæ lento igne adhibito diſſoluit ſolam auri tincturam. Tingitur enim aqua calore citrino,cum prius eſſet alba vt aqua putei aut fontis. Et exhauſta omni tinctura ſubſidet corpus auri album, quod in corpus igne agente reductum conſpicitur argentū. Tinctura autem auri nuſquam in poſterū in corpus metallicum reditura eſt, ſed quod tenuiſſimæ ſit eſſentiæ & in vaporem deſtillatione quibuſdā adiectis feratur ſurſum, & deſtilletur in liquorē, corpus ſpirituale, aut ſpiritum corporeum appellauerunt. Hæc tinctura ab acrimonia, quam ab aqua ſoluente accepit, vindicāda eſt, & deinde multis & admirandis vſibus & effectibus inſeruit.

Aurum vt cauſa efficiens, ſuū arg. viuū vt materia.

Aurum igne ſolo corrumpi non poteſt.

Aqua ſalis cōmunis diſſoluit tincturam auri ſolā ab auro.

Sed

Sed quoniam hæc ignoras, Eraste, nec oculis conspexisti, fidem non adhibebis, nec tibi similes. Quod autem hisce oculis vidi & manibus palpaui, quodque etiam ab Adolescente ignato, me iubēte, confectum est, maiorē facit fidem, quam tua tuorumq; tibi similium ignoratio, nihilque ignorandi falsa & inanis tua præsumtio. Cum autem apud Tauladanū aduersus Bracescum disputantem legisses, aurum in natura solo igne mutari non posse, sed alijs additis in partes distrahi posse. Sequenti argumento & dilemmate vteris, vt probes ex auro, siue naturam metallicam retineat, siue eandē exuerit, nihil ad lapidem Philosophicum pertinere. Vsus tincturę auri. Tauladanus.

Decimum tertium argumentum.

XIII. Aurum, quod pro lapidis materia vsurpant Chemici, aut solutum in liquorem & spiritum, substantiam & vires auri mutat, aut sub liquoris & formæ permanet aurum.

Si illud primum, metallum non creabit, quod metalli genus excesserit: si posterius, cum non sit, nec perfectius in natura sua reddi possit, nec exuberantem obtineat perfectionē, eam cæteris metallis non communicabit, nec perficiet ea. E.

Quouis modo aurum pro materia lapidis vsurpetur aut præparetur, metalla reliqua vel argentum viuum non mutabit in aurum. Ergo frustra ex auro lapidem Philosophicum Chemici conficere tentant.

Responsio.

Respondeo, siue aurum naturam metallicam retinuerit, modo sit alteratum, siue eandem exuerit, perficere posse materiam nostram eidem proximam, id est, argentum viuum. In calcem enim reductum aurum naturam metallicam non exuit, non secus ac lapis in calcem reductus lapideam formā seruauit, quamuis de natura metallica in auro calcinato illæsa verius dici possit, quam de lapidea natura in lapide calcinato: huic enim multum, illi nihil in calcinatione de pondere deperit. Sed in vtroq; vis ignea calcinatione accersitur. Cū igitur calx illa auri admiscetur certa proportione argento viuo à corporibus metallicis, pſertim ab argento arte ꝑplicito, & certis ignis gradibus vtrunque mistum concoquitur, fit pugna contrariarum qualitatum in communi materia. Calcis enim aureę qualitates calidæ siccæ sunt, argenti viui metallorum, frigidæ humidæ: hinc fit temperamentum & noua mistio, & ex hac auri forma succedit. Dixi aurum alteratum Aurum alteratum potest Mercurium in solem mutare. Calx auri alterati mutat Mercurium metallorum.

hanc vim & facultatem obtinere. Nam si sine alteratione eædem in illo qualitates persisterent, cum ipsæ sint formæ instrumenta, per quas ipsa agit, nulla actio futura esset, nec noua mistio.

Mercuri⁹ vulgaris & metallic⁹ differũt inter se.

Dixi autem de argẽto viuo à metallis prolicito, quod vulgare ob nimiam frigiditatem & humiditatem nimium concoctioni esset contumax, nec ab auro solum alterato coerceri posset, nisi vnitum idem argentum viuũ vulgare & aurum simul destillarentur, vt supra dictum est in methodo.

Cum naturam metallicam exuerit, præstantioribus viribus est preditum.

Quod si, vt altera dilemmatis pars assumatur, aurum metallicam naturam exuerit, non minoribus instructum erit viribus, imo longe efficacioribus & præstantioribus, quæ solutione à suo argento viuo eorumq; diuturna & lõga coctione vtriusq; quæsitæ sunt, vt fit in argentifico & aurifico semine, quod in metallũ reduci nõ potest, sed illius mistione cum argẽto viuo cõmuni aut eo, quod metallis est insitũ, fit vera noua mistio, & hinc emergit corpus nouæ formæ, quod nec puluis aurificus est, nec argentum viuum, aut metallum quod erat prius, sed aurum, vt sæpius dixi, & repetere cogor in re tam seria tantiq; ponderis. Sed in his, Eraste, quæ ignoras, iudicas tanquam cæcus de coloribus, & nescis quodnam sit illud argentum viuum, quod soluit aurum, neq; coctionis modum, nec qua ratione puluis ille aurificus trãsmutationis huiusce sit causa. Inualidum est igitur argumentũ & dilemma tuum.

Erastus ignorat auri solutionem.

XIV. *Decimum quartum Argumentum.*

Lapis Philosophicus necessario constat in materia, quæ ipso auro perfectius cocta sit.

Atqui aurum perfectius concoqui non potest, nec est aliquod metallum æque illo perfectum. Ergo.

Vanus est omnis Chemicorum labor.

Responsio.

Erastus ignorat cõcoctionẽ.

Falsa est assumtio tua, Eraste, sed quoniam concoctio hæc post veram solutionem propria est huic arti, quam ignoras, impossibilis tibi videtur. Sed ignoratio tua veritati, quæ auctoritate præstantissimorum virorum, ratione, experimento & demonstratione nititur, nihil adijcit nec detrahit.

XV. *Decimum quintum Argumentum.*

Formæ ex materiæ sinu producuntur ab efficiente causa insita eidem materiæ, non aliunde inuolant.

Atqui

Atqui Chemici dicunt, formam in aliena materia fundatã esse, & vere a materia perficienda separatam, & per proiectionem formam infundi materiæ informandæ. Quod falsum est, Ergo Lapis illorum Philosophicus a materia perficienda separatus formam materiæ perficiendæ non infundet.

Responsio.

Magna est controuersia inter peritiores, an formæ rerum de materiæ sinu ab efficiente causa insita, non aliunde aut externe in materiam migrent. Fernellius Ambianensis ille Medicus, Medicorum & Philophorum huius seculi facile princeps, toto priore libro de abditis rerum causis, nihil aliud disputat sub persona Eudoxi aduersus Brutum. Et tandem concludit, ne minimum quidem formæ fuisse, antequam in eam migraret, sed perfecta & consummata præparatione statim formam in illam materiam cælitus immigrare multisque rationibus, & ex auctoritate Aristotelis confirmat, non solum in anima hominis, quam per se subststere extra corpus, & externe in corpus hominis migrare, & post exitum à corpore suo rursus per se subsistere certissimum est, & nemo ambigit: sed etiam in animalibus, plantis, & inanimis corporibus. Tu vero contra sentis in omnibus his, excepta hominis anima. Sed vtra, an Fernelij, an tua, Eraste, sententia in hac quæstione verior sit, non est disputandi locus. Concedamus tuam præualere & priorem huiusce argumenti tui propositionem veram esse, Non idcirco assumtio eiusdem argumenti vera erit: quippe quod ex hypothesi falsa sumta sit, cum ais Chemicos profiteri formam auri separatam esse in aliena materia & infundi in materiam informandam. Quod si quidam ex ijs ita senserint, ijs adhærere non possum sed sic se res habet.

An formæ ex materiæ sinu, vel externe in materiã migrent.

Formas cælitus in materiam immigrare.

Lapis philosophicus, quem tu ita appellas, non est forma auri, sed longe nobilior, etsi vim & facultatem aurificam nõ exuerit. Nec enim semper necesse ist id, quod informat, formam actu habere eandem, qualem habiturum est corpus informandum. Nam quæ ex putrefactione oriuntur animalia solum calorem habent opificem. Materia etiam nostra proxima non est forma auri. Sed tam lapis philosophicus quam materia proxima sua forma constat, ex eodem tamen fonte promanarunt, & similitudine totius substantiæ sese referunt: Qualitatibus tamen pugnant contrarijs, ille calidus, siccus, igneus, concoctus: hæc frigida, humida, aquea, cruda, & inde-

Lapis philosophicus non est forma auri.

definita. In amborum mistione externo calore agente fit pugna harum contrariarum qualitatum in communi materia, & vtriusq; priores formæ abolentur & noua & aurea eaque vnica forma succedit in misto ex ambobus corpore. Ex pugna enim harum contrariarum qualitatum fit temperamentum formæ aureæ conueniens, si æquis viribus certauerint qualitates: alioqui si lapidis aut pulueris aurifici qualitates & vires nimium exuperantes essent, non fieret vera mistio (in qua necesse est aliam qualitatem non excedere aliam, sed totum ad temperamentum reduci) sed fieret interitus argenti viui. Abiret enim in naturam lapidis, cuius tamē vires infringerentur.

Ex qualitatib. contrarijs pugnantibus in communi materia verā fieri mistionem.

Quantæ autē fuerint vires & facultates pulueris aurifici, certo sciri non poterit, nisi experientia. Proiectus enim nimia quantitate in argentum viuum, ipsum in puluerem aurificū etiam mutabit, viribus tamen diminutum, dum tandem puluis postremus non in puluerem, sed in corpus ductile mutauerit argentum viuum. Tunc enim æqualis erit vtriusque victoria, ex qua noua auri forma progredietur. Natura autem in mistis corporibus, quæ sua sponte edidit, ita se rem habere, nos edocet. Ex mistione enim terræ & aquæ concurrentibus aliorum elementorum viribus fit lapis, fit & metallum, sed diuersa proportionis lege. In hac mistione formæ, quæ actu elementis prius inerant, potestate tantum insunt lapidi & metallo, nouaq; & vnica lapidis aut metalli forma ex eorundem mistione exurgit. Idem & in ijs accidit, quæ destillantur vi ignis, si qualitatibus contrarijs æquabiliter pugnent, & vere misceātur. Exinanitis enim prioribus formis eorum, quę miscentur, vnica in destillata aqua prodit. Sic non aliunde aut externe, vt falso putas dici à Chemicis, forma infunditur argento viuo seu materiæ proximæ, sed à proprijs viribus eidem argento viuo & pulueri aurifico insitis.

Vires & facultates pulueris aurifici experientia docet.

Formæ pulueris aurifici & proximæ materiæ à propriis viribus infunduntur.

XVI. *Decimum sextum Argumentum.*

Quod vere transformat, formam materiæ informandæ tribuit. Atqui lapis Philosophicus fusus cum metallis non aliter dat illis formam, quam aqua absinthij infusa vitro, quæ formam absinthij non tribuit vino, sed odorem & saporem. Ergo.

Lapis Philosophicus mistus & fusus cum metallis formā auream illis non impertit.

Responsio.

Responsio.

Assumtio ex hypothesi falsa deriuata est, neque id artis periti dicunt, neque verum est, formā non aliter tribui metallis à lapide, quā vino ab aqua absinthij: Sed ex mistione lapidis cum argēto viuo vulgari aut metallorū vi qualitatum contrariarum æquabiliter in cōmuni materia pugnantium formam vnicam impartiri, vt in superioribus dictum est.

Decimum septimum Argumentum. XVII.

Formæ rerum nō agunt nisi in propriam materiam subiectam, in alienam minime agunt, quod non ita dici debet de qualitatibus primis, quæ assidue mutāt vniuersas substātias.

Atqui lapidis materia alia est à metallorum materia. Ergo.

Lapis aget tantū in suā materiam, nō item in reliquorum metallorum materiam. Ergo ea non transformabit.

Responsio

Respondeo formas rerum per se solas non agere in alienā materiam, sed accita vi primarum qualitatum. Anima enim non agit in alimentum, neq; suum facit, nisi per calorem naturalem insitum, vt etiam hoc argumēto fateris. Propositio ergo tua Eraste, vera non est indistincte, sed si formæ ex se solæ animaduertantur. Forma igitur lapidis Philosophici sola non agit in metalla aut argentum viuum, sed vi contrariarū & ignearum qualitatum. Non autem agit vt anima in alimētum per corruptionem & generationem, sed per mistionem vtriusque, in qua non fit accidentium propriorum omnium resolutio ad primam materiam, vt in ortu & interitu, sed prioribus tantum formis abiectis, consurgit forma aurea noua, si paribus viribus pugnauerint qualitates vtriusq;, lapidis scilicet & metalli cuiuscunq; aut argenti viui. Nec tibi concedimus, Eraste, propositionem tuam indistincte. Quod enim ab eodem fonte lapis Philosophicus & argentum viuum & metalla proxime fluxerunt, non est aliena materia: sed fuit eiusdem generis & quodammodo communis, sed quatenus formas obtinent diuersas, alia est eorum materia.

> Formę rerum non agunt in materiam alienam p se solæ.

> Forma lapidis non agit per corruptionem, sed per mistionem.

Decimum octauum Argumentum. XVIII.

Sola viuentia informare possunt materiam, in qua agunt.

Atqui lapis Philosophicus caret anima. Ergo.

Informare non poterit argentum viuum vulgare, vel quod metallis inest.

Responsio.

Lapides & metalla formam non ab anima aliqua accipiunt.

Vitrum formam suam nõ ab arte accepit.

Lapis Philosophorum caret vita & anima,

Falsa est propositio. Lapides enim & metalla ex Elementis proxime orta formam habent, qua constant, nec aliqua anima formam illis impertijt, sed sola quantitatum propriarum vi externo calore & frigore adiuuantibus, concreuere. Sed & vitrum formam habet naturalem substantialem, qua constat, nec illi ars eandem formam tribuit, sed subiecit materiam igni, qui a naturalium causarum efficientium numero abigendus aut distrahendus non est, & miscuit materiam, ex qua vitrum est formatum. Sic vires aurificæ in lapide Philosophico acceptis qualitatibus eiusdem igneis, externo calore iuuante, formam auream metallis & argẽto viuo impertiunt, etiã si lapis vita aut anima careat. Non. n. ijs subscribere possũ, qui metalla aut semen nostrũ aurificum aut argẽtificum, seu lapide Philosophorũ, viuere dixerunt, quod forsitan metaphorice intellexerũt, ob virium & qualitatum ignearum excellentiã.

XIX.

Decimum nonum Argumentum.

Omne agens naturale assimilat sibi passum in substantia aut qualitate. Lapis igitur Philosophicus agẽs in reliqua metalla aut argentum viuum, assimilabit sibi illa in substantia aut qualitate. Ergo,

Lapis Philosoph nõ agit per generationem aut corruptionem.

Lapis philosophicus agendo in illa non ex ijsdem efficiet argentũ aut aurũ, quod est finis Argyropœiæ & Chrysopœiæ, sed efficiet lapidẽ, quod nõ est ex genere corporis metallici: aut qualitatem & alterationem tantum inducet, non formã nouam.

Responsio.

Differentia generationis & corruptionis, ac dissolutionis & mistionis simplicis.

Lapis Philosop. nõ corrũpit metalla, sed per mistionẽ nouam formam excitat in illis.

Facile est ex ijs, quæ dicta sunt superius, propositioni respondere: nõ enim per generationem aut corruptionem lapis Philosophicus mutat metalla aut argentum viuum, sed per simplicem resolutionem & mistionẽ, inter quas hoc interest, quod in illis id, quod agit & vincit, trãsformat in sese id, in quod agit, & hoc corrumpitur cum resolutione omniũ accidentium, vt ignis agẽs in lignũ corrumpit ipsum, & quod illius imperio subijcitur, in sese conuertit. At in his dissolutione & mistione, quæ miscentur non pereunt, sed permanent, pereuntibus formis prioribus, & vnica noua forma succedit. Et si quid perit, vt in mutatione metallorum, non est ex materia argẽti viui, sed ab igne externo vincitur & corrumpitur, & in fæcẽ, cinerẽ & vitrum trãsit. Sic lapis Philosophorũ agẽs in metalla & argentũ viuum, illa non corrumpit, neq; in sese trans-

trásformat, nec suã illis formã imprit, sed ex mistione eorundẽ cũ illo, succedit alia forma, scilicet argẽti vel auri, si qualitates igneæ lapidis Philosophici, & qualitates frigidæ & humidæ argenti viui vulgaris vel metallorum contrariæ æquabiliter pugnent. Hoc enim proprium esse dixi veræ mistioni, vt ex duobus diuersarum formarum mistis corporibus, resultet tertium corpus nouæ formæ. Sane si vires eiusdem lapidis seu seminis aurifici in pauciorem argenti viui quantitatem agerent, quam huius vires viribus illius resisterent, hoc in naturam illius transiret, sed mistum minoris efficaciæ fieret, vt in responsione ad decimum quintum argumentum dixi, & superuacua esset repetitio. Quod autem de alteratione dictum est, sic intelligendum est, vt nisi lapis aurificus, aut metalla, aut argentum viuum contrarijs pugnarent qualitatibus primis, non fieret mistio, sed alteratio tantum quædam secundũ posteriores qualitates, vt duriciei & molliciei. Sed omnis Argyropœia & Chrysopœia eo tendit, vt illæsa vi aurifica aut argentifica in semine qualitates igneæ intendãtur, & quo efficaciores fuerint, tanto numerosior & locupletior succedit effectus.

Mistionis veræ proprietas.

Omnis conatus artis est, qualitates igneas seminis aurifici intendere.

Vicesimum Argumentum. XX.

Impium est credere, Artem aliquid præstãtius efficere posse, quam Deus & natura efficiunt.

Atqui Chemici dicunt, lapidem se efficere posse, qui sit auro præstantior, perfectior & efficacior. Ergo.

Impium est credere Chemicos præstare posse, quæ dicunt, per lapidem Philosophicum.

Responsio.

Calumniosum est proponere Chemicos aut conari, aut velle, aut posse præstantius aliquid efficere, quam Deus & natura efficiant: Agnoscunt enim Deum vt causam primam & vniuersalem, rerum omnium auctorem & opificem omnipotentem. Qui cum velit quicquam miraculose efficere, sine causarum naturalium interuentu id efficit: cum vero naturaliter, concurrit cum ijsdem causis naturalibus, quibus iussit, vt cum certis legibus & proportione coierunt prima rerum omnium primordia, scilicet quatuor Elementa, corpus aliquod naturale materia & forma constans in lucem prodiret, vt & tu alio loco loquens de mistione fateris, Eraste. Fatemur igitur, Chemicos nihil prorsus efficere posse, sed omnes omnium rerum effectus ad Deum & causas naturales referendos

Artẽ non agere, sed Deum &

causas vniuersales artē autē subijcere materiā.

esse, à quibus accepti sunt. Chemicos autem subijcere posse materiam naturæ vt ipsa agat, negari non potest. Agricola cum terram colit, cum semina iacit in eandem, non agit, sed est minister naturæ. Qui ignem lignis, carbonibus, oleo aut inflammabilibus subijcit, non exurit, sed ignis. Vitrum quod ex cineribus & arena fit, vitrarius non efficit, sed ignis, cui subijcit materiam. Interim tamen hi omnes efficere dicuntur, non velut causæ principes, sed impellentes & adiuuantes. Sic

Mistum aliquod perfectius produci potest à causis naturalibus arte iuuante.

aurum non efficiunt Chemici, sed ministrant causis naturalibus materiam, vt agant in illam. Quod autem ab ijsdem causis naturalibus subijciente arte aliquod perfectius mistum produci possit, quam quod natura sola sine arte efficit, in ijs, quæ solam mistorum rationem & nomen obtinent, non est inapium credere: vitrum enim perfectius est corpus mistum, quam corpus aliquod naturale. Ignis enim, qui omnia corpo-

Cur, & quomodo lapis auro est perfectior.

ra naturalia, auro excepto, corrumpit, exurit & dissoluit, ipsum nusquam potest corrumpere. Sic lapis longe auro est perfectior, idque duplici ex causa. Prior est, quod si mistionis inuincibilis & indissolubilis ratio habeatur, solutione & coctione diuturna ram firmam, solidam & vnitam mistionem sibi comparauit: vt nullum imposterum imperium ignis in illum habiturus sit quantumvis diuturnus & violentus. Altera, quod si qualitates primæ, quibus Philosophi vires omnes tribuerunt, spectentur, igneas sibi eadem solutione & concoctione comparauit, quibus aurum & vitrum destituta sunt, quamvis alioqui perfectissime mista sint. Hinc aurum non agit in reliqua metalla, vti lapis Philosophicus. Cur autem lapis Philosophicus perfectiori & nobiliori forma cōstet, quam aurum, iam dixi superius. In vniuersum enim quæcunque corpora naturalia iam mista rursus miscentur, perfectiora sunt.

Corpora naturalia mista si rursus miscentur, perfectiora sunt.

Pullus est ouo nobilior, & animal semine, ex quibus ortum habuerunt. Sic lapis aurificus nobilior auro & suo argento viuo, ex quibus proxime habet ortum. Quod etiam dicunt, aurum ex argento viuo vi pulueris aurifici formatum perfectius esse auro naturali, nec id etiam est impossibile. Argentum enim viuum omnis substantiæ inflammabilis est expers, à qua forsitan materia, ex qua aurum in visceribus terræ concretum est, non est omnino purgata.

Vicesi-

Vicesimum primum Argumentum. XXI.

Formarum immissio in materiam est creatio.

At creatio solius Dei est omnipotentis. Ergo,

Chemici formam auri in materiam immittere non possunt.

Responsio.

Huic argumento idem quod superioribus respondendum est, Chemicos scilicet formam rebus impertire nec velle nec posse. In plantis enim & animalibus vim formatricem seminibus insitam vident: in mistis vero tantum corporibus iussum & voluntatem Dei vim efficientem esse agnoscunt, quoties elementa certa lege & proportione coierint. Coeunt autem cum subijcit ars materiam, quam vires & qualitates eidem insitæ, calore externo iuuante, subigunt & miscent, & hinc forma in materiam prosilit.

Vicesimum secundum Argumentum. XXII.

Quod natura in vnoquoque genere perfectissimum efficit, nec perfectius efficere potuit, aut noluit, ars efficere non poterit. At natura in genere metallorum aurum effecit perfectissimum, nec perfectius efficere aut potuit aut noluit. Ergo,

Ars aurum perfectius efficere non poterit. Ergo nec ex eo lapidem Philosophicum, quẽ auro perfectiorem esse oportet.

Responsio.

Respondeo, vt ad vicesimum argumentum, in mistis tantũ corporibus mistionem arte ministra & subijciente materiam causis naturalibus, perfectiorem fieri posse quam in mistis & sola natura.

Vicesimum tertium Argumentum. XXIII.

Quod natura non tentat, nec potest efficere, ars etiam minime præstare potest.

At natura neq; tentat, neq; potest speciem vnam vnius generis proximi, permutare in speciem aliam nobiliorem eiusdem generis proximi. Ergo,

Nec ars poterit etiam idem præstare.

Responsio.

Idem quoque quod ad superiora respondendum est. In ortu plantarũ & animalium fieri corruptionẽ prioris materiæ, & resolutionẽ omnium accidentium. Idcirco speciem vnius generis proximi in speciẽ eiusdem generis nobiliorẽ aut ignobiliorem transmutari non posse, veluti canem mortuum non

In ortu plãtarum & animalium fit corruptio.

trans-

transmutari in capram aut aliud animal: vel plantam vnius speciei in plantam alterius speciei sub eodem genere plantæ (quamvis triticum in lolium & è contra hoc in illud quidam mutari dixerint) sed fieri resolutionem accidentium vsque ad prima elementa, nisi ex eadem materia post multas mutationes producatur semen alterius speciei sub eodem genere.

In ortu mistorum simpliciter non fit corruptio.

In ortu autem mistorum corporum simpliciter non fieri corruptionem materiæ, nec resolutionem omnium accidentium priorum, sed dissolutionem quandam simplicem relictis accidentibus communibus priori, & posteriori speciei, & vbi ventum fuerit ad materiam proximam, eam perfici, nec dissolui nec corrumpi: idcirco non esse necesse metalla, quæ mista tãtum sunt corpora, in speciem alterius generis quam metallici, cum ex his fit aurum, mutari. Hæc autem ex ijs, quæ dicta sunt, manifestissima sunt, nec repetenda puto.

Natura sola non potest efficere quod eadẽ arte ministra efficit, idque in mistis tantum. Erasti error.

Quod autem natura in mineris metalla reliqua non mutet in aurum, etiam responsum est, in mistis tantum solam naturam efficere non posse, quæ eadem arte ministra efficit. Hæc autem omnia superiora & proxima tua argumenta, Eraste, eodem fundamento nituntur, quod ijsdem legibus mistionẽ mistorum & inanimorum corporum metiri volueris, quibus ortum plantarum & animalium, quæ tamen longo inter se interuallo distare in multis, satis, vt opinor, supra demonstratum est. Atque hinc sequitur aliud tuum Argumentum.

XXIV.

Argumentum Vicesimum quartum.

Si aurum per multiplicationem generat aliud aurum ex materia metallorum, ceu grana tritici per multiplicationem generant plura alia grana, eundem modum & progressum temporis obseruare necesse erit in multiplicatione auri, qualem in multiplicatione granorum triciti.

At idem motus aut progressus temporis à Chemicis non obseruatur, nam per proiectionem lapidis aiunt multiplicationem hanc fieri in instanti. E.

Hæc auri multiplicatio fieri aut sperari non potest.

Responsio.

Alia est lex mistionis, alia ortus & interitus.

Idem etiam respondendum huic argumento quod cęteris, scilicet aliã esse legẽ mistionis simplicis in mistis corporibus, & aliam ortus & interitus in plantis & animalibus. Ex mistione enim lapidis Philosophici vi aurifica illi insita, p qualitates

igneas

igneas fit mistio perfecta in materia metallorum, & hinc aurum, seruatis legibus, quæ in mistione dictæ sunt. In plantis vero & animalibus fit multiplicatio vi seminis vniuscuiusque speciei. Libenter admittam lapidis Philosophici progignendi rationem a naturæ operib. exquirendam esse, neq; ipsum, nisi progressu temporis certo & præfinito, produci posse. Et quoniam ille ortus est etiam per simplicem resolutionem & mistionem, vires etiam illius in infinitum augeri posse, cum sit in potestate artis, subijcere quoties velit eundem lapidem naturæ, vt rursus eundem soluat & concoquat. Causa igitur multiplicationis granorum tritici eadem censenda est, quæ & auri. Est enim vis aucta vtrique, grano scilicet & auro, ex hoc scilicet cum progignitur lapis: At modus multiplicationis siue augmenti diuersus est. In illis enim non nisi stato temporis interuallo fit propagatio, in hoc per proiectionem in instanti. Hæc tamen auri propagatio plerunque fit progressu temporis, vt in priori methodo supra diximus.

Lapidis Philosophici progignendi ratio à naturæ operibus exquirenda. Vires lapidis in infinitum augeri possunt.

Vicesimumquintum argumentum. XXV.

Vt ars metalla reliqua in argentum aut aurum transmutet, in materiam proximam reducenda sunt, eiq; eadem forma insculpenda, qualem natura insculpit.

At nusquam corpus aliquod aut natura aut arte mutatur in proximam materiam, nam corpus animalis non redit in sanguinem, nec sanguis in chylum, nec chylus in alimenta, sed etsi ars posset retrorsum ire, formam, tamen vt natura, insculpere non posset. Ergo, Ars argentum aut aurum ex metalis efformare non potest.

Responsio.

Contendimus natnram aut artem nō posse resoluere metalla aut aliud corpus naturale in proximam materiam, ex qua statim & nullo intermedio ortum subierint, neque id necesse est apud artem. Probauimus enim solidissimis rationibus & experimentis materiam proximam, ex qua in visceribus terræ natura sola gignit argentum aut aurum, non esse eandem, quam ars subijcit naturæ extra minerarum locum. Sed materiam argento & auro proximam eamque etiam naturalem, scilicet argentum viuum tam vulgare, quam quod potentia proxima inest reliquis metallis, & ab illis eruitur, non per corruptionem, sed per simplicem resolutionem, neque ijsdem modis formam argenti aut auri materiæ nostræ

Alia materia & causa efficiens arti, alia soli naturæ in auro conficiendo necessaria.

proxi-

proximæ induci, quibus natura in mineris vtitur. De his enim omnibus nihil certo adhuc constat inter auctores, qui metallorum historiam scripsere. Frustra igitur obijcitur, eandem materiam & causam efficientem, quales sunt in mineris, assumendas esse ab arte, si velit argentum aut aurum producere.

Non constat de causa efficiēte, materia & modo. quib. natura agit.

Vicesimum sextum Argumentum.

XXVI.

Chemici dicunt se facere aurum naturale iuuando materiam, non secus ac agricolæ triticum, aut medici sanitatem, Atqui Agricolæ & Medici nec materiam nec causam efficientem præstare, nec formam conferre, nec triticum gignere, nec sanitatem efficere possunt. Ergo,

Nec Chemici arte sua argentum aut aurum efficere poterunt.

Responsio.

Ars tacita est naturæ ministr:: natura autē efficit.

Cum tantum iuuent materiam Agricolæ, Medici & Chemici, proprie & vere non efficiunt, sed eam tantum subijciunt naturæ, cuius sunt ministri. Causæ autem naturales agunt & sunt principes causæ agentes & efficientes. Male igitur ex propositione & assumtione obijcitur Chemicis, artem argentum aut aurum gignere non posse. Neque enim id se agere dicunt, nec possunt, sed solum naturam & naturales causas.

Vicesimum septimum Argumentum.

XXVII.

Natuta ex sua propria materia aurum facit, & eadem à suis naturalibus causis efficientibus formam substantialem auream tribuit.

At ars & initium & finem facit, & omnia externe agit. Ergo, Ars substantialem formam & insitam dare non potest.

Responsio.

Ars ministra naturæ agit per causas naturales.

Respondendum idem quod superiori argumento, artem non efficere argentum aut aurum, sed naturam solam, cuius eadem ars est ministra, & per easdem causas naturales, non autem ex eadem materia, & causa efficiente, quæ sunt in mineris.

Vicesimum octauum Argumentum.

XXVIII.

In materia reliquorum metallorum, vt ex his fiat argētum vel aurum, vires argentificæ aut aurificæ insitæ esse debent.

At in materia metallorum reliquorum hæ vires non sunt insitæ. Ergo, Ex materia reliquorum metallorum argenrum aut aurum nusquam fieri poterunt, nec natura nec arte.

Respon-

Responsio.

Vires bifariã æstimantur: Aliæ q̃ in materia bene disposita insunt, Aliæ quæ in causa efficiente. Illæ sunt in argento viuo, tam vulgari, quam quod corporibus metallicis inest, potentia proxima, quod diximus esse materiam argento & auro proximam, quod inquam argentum viuum dispositum est ad patiendum, & vt ab efficiente causa informetur. Efficientes autem argentificas aut aurificas & igneas fatemur non inesse argento viuo, sed pulueri seu semini argentifico aut aurifico. Ex cuius mistione cum eodem argento viuo metallorum aut vulgari, igne externo iuuante, aurum emergit, vt sæpe dictum est. Poterunt etiam quædam in quibusdam supplere vicem & munus lapidis aut seminis aurifici, vt de argento in aurum mutato diximus experientia comperisse. Verum id quidem magno cum labore, pauco fructu & fœnore, si cum semine nostro argentifico aut aurifico conferatur.

Vires quędam in materia, quędã in causa efficiente.

Mercurius est dispositus ad patiendum, vt ab efficiẽte causa informetur.

Vires efficientes aurificæ non in Mercurio sed in lapide insunt.

Quædam etiam sine lapide in aurũ mutari possunt.

Vicesimum nonum Argumentum.

Formæ naturales rebus insitæ non informant prius aliam materiam extra se, quam illam sibi propriam effecerint. Atqui nec lapis Philosophicus nec quidquã aliud potest materiam reliquorum metallorum suam facere: id est, argento aut auro proximam. Ergo,

Lapis Philosophicus non poterit informare reliqua metalla in argentum vel aurum.

XXIX.

Responsio.

Idem fere argumentum est, quod decimum quintum. Itaque huic vt illi, ne tædiosa sit repetitio, est respondendum. Sed quod in assumtione dicitur, lapidem Philosophicum materiam reliquorum metallorum suam efficere non posse, id est, reducere ad materiam argento & auro proximam: concedendum quidem est, si de materia proxima, qualis in visceribus & mineris terræ, intelligatur, hoc enim est impossibile: Sed si de materia proxima apud artem, id est, de argento viuo, falsa est assumptio. Lapis enim & argentum viuum ex eadem origine fluxerunt, & vtrumque igne est indissolubile: igitur propter similitudinem totius substantiæ vtriusque facile miscentur, & lapis aurificus retinet, concoquit, figit & tingit argentum viuum vi qualitatum ignearum, & cum vtrumque igni non cedat, nec corrumpatur, fit mistio stans & perseuerans: interim ignis externus agit in materiam à natura argenti viui alienam,

Lapis Philosophic. & Mercurius ex eadẽ origine fluxerunt.

Quomodo lapis Philosophicus trãsmutet metalla in aurum.

eam-

eamque exurit & excernit à substantia argenti viui. Sic mutatum apparet argentum viuum in aurum.

XXX. *Tricesimum Argumentum.*

Chemici asseueranter scribunt fieri non posse, vt argentum aut metallum conflet, quisquis non explorate cognitum habet, ex quibus & quomodo natura metalla generat.

Atqui hæc omnia ipsi ignorant. Ergo,

Ex metallis aurum conficere non poterunt.

Responsio.

Falsum est Chemistas dicere, necessariũ esse naturam metallorum, vti in visceribus terræ a sola natura concreuerunt, cognoscere: hoc enim certo sciri non potest, nec quæ fuerit materia illorum proxima, priusquam ortum subierint. Sed natura eorum inquirenda est, ex materia & forma eorundem, quæ & qualis est post eorum à natura ortum, & vti nunc ipsa conspicimus. Hoc autem ex perpessione materiæ iudicatur, & in quibus ex eadem aurum & argentum à reliquis metallis differant. Perpessiones autem hæ & differentiæ in examinibus proprijs & igne oculis conspiciuntur. Sic quæ perfecte aut imperfecte mista sunt, iudicio sensuum demonstrantur. Quibus perspectis statim inquirit huiusce operis inuestigator, qui fieri possit, vt reliqua metalla eadem, quæ argentum & aurum examina subeant. Quod neutiquam præstari poterit, nisi cognita materia illis insita argento & auro proxima, & causa efficiente. Hæc igitur sunt, quæ apud artem necessaria sunt, quæque facile demonstrari possunt, cum iudicium sensus de illis fidem faciat: quod non idem de materia metallis proxima in mineris terræ dici potest.

Metallorũ natura ex perpessione materię eorundem iudicatur.

Quæ scitu sint necessaria apud artem.

XXXI. *Tricesimum primum Argumentum.*

Quamvis Chemici scirent materiam proximam, & causam auri effectricem, tamen in alio loco, quam in mineris naturalibus aurum facere non possent.

Atqui nullum alium locum habent, quam fornaces. Ergo,

In illis argentum aut aurum efficere non possunt.

Responsio.

Falsa est propositio. Nam & alijs principijs incumbit ars, quam ijs quæ in mineris assumit natura: Et alio loco argentum & aurum efformanda esse, satis ex superioribus constat, nec alia refutatione opus est.

Tricesi-

Tricesimum secundum Argumentum. XXXII.

Chemici fatentur: Si natura in mineris naturalibus non transmutat viliora metalla in argentum & aurum, Ars Chemica etiam ea non poterit transmutare.

Atqui natura nusquam transmutat ea in argentum aut aurum. Vniuscuiusque enim metalli materia est proxima, quæ alterius metalli non potest esse materia. Ergo

Ars etiam ea non transmutabit in aurum.

Responsio.

Propositio auctorem habet Petrum Bonum Ferrariensem. Is censuit causam efficientem in mineris metallorum esse sulphur, aut aliquid ex natura sulphuris vulgaris: quod si ipsum natura coctione a materia metalli cuiuslibet secreuerit, fieri aurum, sin minus, imperfectum manere: Idcirco progressu temporis sulphur illud excerni in mineris, dum tandem metallum ab illo omnino purgatum aurum reperiatur. Multa autem esse impedimenta in mineris terræ, quibus purgatio illa sistitur & cohibetur. Petri Boni Ferra. opinio de causa aurum efficiente.

Verum huic opinioni subscribere non possum: sed aliam materiam & causam efficientem arti necessariam, aliumque agendi modum adhibendum sentio, à quibus idem effectus sequatur, vt probauimus. Itaque siue in mineris terræ natura viliora metalla transmutauerit aut non transmutauerit in argentum aut aurum, male sequitur, per alias causas naturales, quas diximus, arte iuuante eadem in argentum aut aurum mutari non posse. Improbatur opinio Petri Boni.

Tricesimum tertium Argumentum. XXXIII.

Si species metallorum permutari non debeant in eandem generis proximi speciem, resolui ea necesse est in materiam communem omnibus speciebus eiusdem generis.

At metalla validissimo frigore concreta in mineris, rursus in materiam communem eiusdem generis resolui non possunt. Ergo, In mineris magis perfici non possunt.

Responsio.

Parum refert scire metalla in mineris frigore concreta resoluantur necne in cõmunem materiam. Responsum est enim supra proximo argumento, artẽ idcirco oppugnari non posse.

Tricesimum quartum Argumentum XXXIV.

Vt species eiusdem generis proximi transeat in aliam speciem eiusdem generis, necesse est vt indiuiduum speciei

 prioris

prioris mutetur in indiuiduum speciei futuræ.

Atqui hoc fieri non potest. Ergo,

Metalla, quæ certam habent speciem, transmutari non possunt in aliam.

Responsio.

Verissima propositio, sed Assumtio falsa, saltem tibi, Eraste, impossibilis, qui ignorasti, nec expertus es viliora metalla in proximam argento aut auro materiam resoluere, nec nosti causam efficientem, quosve effectus producat.

XXXV. *Tricesimum quintum Argumentum.*

Quæ in bene institutis Rebuspub. & Ecclesiasticis legibus prohibita sunt, sciri non oportet.

At Chemica ars in ijsdem prohibita est. Ergo,

Non inquirenda.

Responsio.

Vera quidem propositio tua, Eraste, quæ tamen non ita generaliter concedenda, quin exceptionem aliquam pati possit. Quod si æque vera esset tua assumtio, obmutescerem. Sed vellem te nominasse auctores probatissimos huiusce propositionis. Quandoquidem eos ex officina tua prodijsse putabo, cum palam hodie & olim à principibus Germaniæ, & quam plurimis viris bonis hæc ars exerceatur. Sceleratis quidem & impostoribus, quibus nulla alia cura est, quam fallendi, & fallendo diuitum nares emungendi, inhibendam esse eandem artem, Reip. esse vtile existimauerim. Interim minime ferendum est, inquirendis naturæ arcanis pijs & probis viris viam occludere, qui non opum, cum pauco contenti sat diuites sint, sed admirandorum Dei operum iusto desiderio ad eiusdem artis cognitionem alliciuntur. At quod tu de Ecclesiasticis legibus dicis, reperio contra in illis eiusdem artis mentionem aliquam fieri. Esdras propheta libro 4 cap 48. Sic ait: Quomodo autē interrogabis terram, & dicet tibi. Quoniā dabit terram multam, vnde fiat fictile, paucum autem puluerem, vnde aurum fit. Nec omnino improbabile est per paululum pulueris intelligi semen aurificum. Thomas autem Aquinas in 22. qu. 77. art. 2. sic ait: Si per halchemiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere: quia nihil prohibet, artem vti aliquibus causis naturalibus ad producendos naturales & veros effectus, sicut etiam Diuus Augustinus dicit libro de Ciuitate DEI. Sunt & alia testimonia plurima, sed cum nulla

Sceleratis & impostoribus inhibendā esse artem hanc.

Esdras lib. 4. c. 8.

Thom. Aquin. 22. quæst. 77. art. 2.

nulla citas in contrarium, hæc enarraſſe ſufficiat.

Triceſimum ſextum Argumentum.

Formæ rerum non ſunt ſeparabiles, ſed in materiã tantum propriam agunt, non in aliam. XXXVI.

At formæ lapidis Philoſophici & metallorum ſunt ſeparabiles. Ergo,

Forma lapidis non aget in materiam metallorum.

Reſponſio.

Idem argumentum quod decimum quintum & viceſimum nonum. Idcirco huic idem quod illis reſpondẽdum eſt. Qualitates enim quæ ſunt in miſtis corporibus diuerſarum ſpecierum, ſi contrariæ ſint, pugnant, & agunt & patiuntur inuicem ſeſeque ad moderationem redigunt, ſicq; vnum corpus vnius formæ, prioribus exinanitis. Ex pugnâ contrariarum qualitatum fit noua miſtio & noua forma oritur.

Triceſimum ſeptimum Argumentum.

Indiuiduum vnius ſpeciei non poteſt transmutari in Indiuiduum alterius ſpeciei, eiuſdem generis proximi. XXXVII.

Atqui ſtannum, plumbum, æs, & ferrum ſunt ſub eodẽ genere, ſcilicet metalli. Ergo,

Aliud non poteſt tranſire in Indiuiduum alius.

Reſponſio.

Repetitum eſt hoc argumentum. Eſt enim ſecundum ex ordine ſuperius conſtituto. Itaque huic, vt illi, eſt reſpondendum.

Triceſimum octauum Argumentum.

Chemici dicunt, metalla debere reſolui in materiã eorum primam, ſi in argentum aut aurum ea mutari oporteat. At hoc fieri non poteſt. Ergo, In argentum aut aurum transmutari non poſſunt. XXXVIII.

Reſponſio.

Periti Argyropœiæ & Chryſopœiæ de reſolutione in primã materiam differentes intellexerunt de materia argento & auro proxima, quæ eſt argentum viuum, vt iam ſæpe dictum eſt; non de materia ex qua in mineris terræ miſta ſunt.

Triceſimum nonum Argumentum.

Quæ artes quotidie experimentis eſſe probãtur, veræ ſunt, vt Medicina, Ars fuſoria & cæteræ. XXXIX.

At Ars Chemica nuſquam experientia aliqua probata eſt. Ergo.

Ars non eſt vera, ſed falſa,

Responsio.

Falsa est assumtio. Nam si, Eraste, experimentum nullum vsquam verum vidisti, non sequitur, omnes nihil vsquam experientia verum comperisse. Negatiua tua est assumtio vniuersalis, quam particularis affirmatiua euertit.

XL. *Quadragesimum Argumentum.*

Impium est affirmare artem posse, quod natura efficit.
At qui hoc affirmat Ars Chemica. Ergo,
Impium est quod affirmat.

Responsio.

Falsa est assumtio. Chemica enim Ars non affirmat aliquid se efficere proprie, sed subministrando & subijciendo naturæ materiam, & causam efficientem naturalem efficere dicitur. Et ita responsum est supra ad similia argumenta.

XLI. *Quadragesimum primum Argumentum.*

Si hæc Ars esset vera, ditaret omnes, qui eam exercerent.
At fere omnes ex ea ad inopiam pene redacti sunt. Ergo,
Hæc ars est falsa.

Responsio.

Vulgo solet obijci hoc argumẽtum, nec validius aliud existimatur ad euertendam Argyropœiam aut Chrysopœiam. Sed huic argumento varie responderi potest. Omnium scientiarum & artium fines postremi sunt varij. Horum primo ordine est contemplatio sola in ijs artibus potissimum, in quibus admiranda Dei omnipotentis Opt. Maximi & sibi obsequentis naturæ opera non vulgo cognita relucent, in quorum contemplatione mens humana satiatur & acquiescit. Secundo ordine finis est, Actio earundem scientiarum aut artium, vt quam quisque didicerit artem, eam exercendo necessarijs miserrimæ huius vitæ transigendæ non careat, & Reip. prosit. Et hos quidem fines, quicunque sapit, laudabiles esse profitebitur: propter quos etiam Argyropœia & Chrysopœia iure expetenda est Illic enim admiranda naturæ arcana contemplari licet, nec qui eam recte norunt eosdem famelicos esse ipsa vsquam permittet.

Verum alius est artiũ finis vituperandus & damnandus, scilicet auri sacra fames, & habendi insatiabile desiderium. Postremũ hunc finem, Eraste, falsum, existimasti esse verũ Argyropœiæ & Chrysopœiæ finem. Nam si Medicinæ, quam profiteris,

Varios esse sciẽtiarum & artiũ fines.

Fines sciẽtiarum & artium laudabiles.

Qui finis artium & scientiarũ vituperãdus sit.

fieris, tibi is tantum scopus est, vt ditior fias, non vt Reip. aliquam vtilitatem afferas, minime laudandus eris. Ex falsa igitur propositione assumtionem & conclusionem falsam & vitiosam esse certum erit. Sed esto, concedatur finem Argyropœiæ & Chrysopœiæ esse opes & diuitias, ex illarum tamē copia aut penuria, vera an falsa sit ars, dijudicari non poterit. Nam argumentum tuum est à possibili, quo aliqua necessitas non inducitur. Si enim ex ignoratione huiusce aut alterius artis, qui eam exercuerit, pauperior euaserit, nō arti, sed ignorationi artificis imputabitur. Nec tamen propterea ars aut falsitatis aut impossibilitatis coarguenda erit. Sin ab ingenioso & perito exerceatur, nihil illi ex operibus deerit, & siue pauco contentus fuerit, nec nisi quantum rei familiaris necessitas postulabit, (qui sapientis verus est scopus) siue opibus se profluere & superbire, re ipsa demonstrauerit (qui insipientis est finis) veritas artis deprehendetur.

Veritas & falsitas artis nō ex opū copia aut inopia, sed ex ignoratione artis iudicanda.

Sed quoniam vt plurimum hæc ars ab imperitis tractatur, mirum non est, si ipsa pauperiem facere dicatur. Sane nisi ab expertis edoceatur, & re ipsa demonstretur, vix nisi longissimo tempore ad eam perueniri potest. In summa, si Argyropœiam aut Chrysopœiam exercentes ad inopiam rediguntur, non artis falsitas, sed turpis illorum ignoratio causa est inopiæ.

Imperiti artis pauperiem facere solent. Difficultas artis.

Quadragesimum secundum Argumentum. XLII.

Quæ à grauibus & probatissimis viris ars nec cognita nec probata est, ars non est.

At grauibus & probatissimis viris chemiæ ars non est probata. Ergo,

Ars non est.

Huic argumento adijcis aliud simile.

Quadragesimum tertium Argumentum. XLIII.

Quæ nouæ sunt Artes, non sunt Artes.

Atque ars Chemica quatuor aut quinque antehac secula non excedit. Ergo,

Non est Ars.

Responsio.

Si Hippocratis, Aristotelis, Galeni & cæterorum antiquorum Philosophorum & probatissimorum virorum seculis hęc ars incognita fuit, vt ars, nec etiam ab ijsdem probari aut improbari potuit. Nec quod forsitan tantæ sit antiquita-

Nouæ quædam artes veteribus præstantiores

tis, vt putas, idcirco ars non est dicenda. Nam & nauticæ pixidis, tormentorum bellicorum, & Typis excudendorum librorum artes vetustati incognitæ fuerunt, quibus tamen artibus antiquitas nihil par habet. Artes tamen sunt & verissimæ. Nec minus his omnibus verissima est & admiranda Argyropœia & Chrysopœia, quæ etiam cognita est viris probatissimis, & in naturalibus Philosophiæ præceptis peritissimis, licet paucis, inter quos primas partes tenet Geber, quem, tu Eraste, idolum Chemicorum appellas. Verum definitionibus, diuisionibus, causis & effectibus, & certis præceptionibus è physicis petitis artem verissimam esse probauit. Plura tamen dicta esse ab eo comminisceris, eaque redarguis, quæ nusquam somniauit.

Geber artem hanc esse verissimam probauit.

Erastus impugnauit Chemiam anno 1566.

Hæc sunt argumenta tua, Eraste, quibus non sine contumelijs, iniurijs & ira aduersus Chemicos pugnasti, anno, vt scribis, millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, mense Augusto. At cum deferbuisset ira tua, & ab egregio & docto viro, vt scribis, argumenta quædam opinioni tuæ aduersantia proposita essent, ijs respondisti sub finem huiusce disputationis, & modestius quidem, vt videtur quam superioribus argumentis.

Mercurius ex auro prolicitus.

Ostendit tibi is, vt ais, argẽtum viuum ab auro prolicitum, & ex cæteris metallis prolici posse profitetur, nec multum aduersaris. Sed quod argentum viuum vel vulgare vel ab imperfecte mistis metallis reductum sit materia argẽto & auro proxima, negas. Et quamvis ita se res haberet, tamen arte in argentum aut aurum mutari posse inficiaris: fateris tamen argentum viuum ex auro reductum facile & celeriter in aurum concoctione posse redire. Argentum autem viuum, quodcunque sit, non esse materiam argento & auro proximam, hinc conuincis, quod vnumquodq; argentum viuum sit tantum Indiuiduum suæ & propriæ speciei, & quod alterius speciei Indiduum nusquam esse possit. Vt si ex plumbo arte proliciatur argentum viuum sit Indiuiduum plumbi, si alterius, sit eiusdem Indiuiduum. Vt id confirmes, similitudinem adijcis in sanguinibus, qui à diuersæ speciei animalibus fluxerunt, qui omnes sese colore referunt, & idem sanguinis nomen obtinẽt, sed non eandem rationem, naturam & speciem gerunt. Sed & in carne & multis alijs rebus eiusdẽ nominis exempla adfers: hinc conficis: Si argentũ viuum vulgare aut quod à metallis prolicitur, non est materia argẽto & auro proxima, siue eorũdem.

Quædam concedit Erastus, quædam autẽ negat.

dem Indiuiduum, vanos esse omnes omnium Chemicorum conatus, cum nulla materia possit motu à causa efficiente formã certã apprehendere, nisi formæ huic sit potentia proxima.

Sane ex multis, quæ aduersus artem hanc attulisti argumẽta, nullum hoc verisimilius est, quodque magis vrgere videatur, sed cui tamen facile sit respondere. Nititur enim hoc argumentum tuum similitudine nominis, non rei aut substantiæ. Argumenta hæc omnia à simili plus ad illustrandam probationem quam ad illam stabiliendam prosunt. Nam fere omnia infirma argumenta à similitudine ducuntur, cum nulla sit tanta similitudo quæ per omnia extendatur. Nullã autem necessitatẽ inducunt, sed vt auditores vel legentes sese obsequentes dictis aut scriptis reddant, maxime accõmodata sunt: idcirco nullis argumentis facilius incautos decipi & falli contingit, quã ijs, quæ à similitudine rerum ducuntur.

Argumẽta à simili fere omnia ad probationem stabiliendam non prosunt nec necessitatẽ inducũt quia à simili ducuntur.

Huic igitur argumento tuo à simili petito, Erafte, sic respondebo. Materia remota & proxima eodem nomine appellari possunt, non eadem ratione censeri: vt puta sanguis suillus est materia remota carni humanæ, sanguis humanus proxima, & tamen vterque nomen habet sanguinis. Sed sanguis ille suillus nusquã erit materia proxima carni humanæ, nisi multis mutationibus in sanguinem humanũ mutatus sit. Discrimen hoc materiæ proximæ & remotæ, etsi verum sit in sanguine suillo & humano, non tamen hinc sequitur, argentum viuum vulgare, aut quod ex metallis arte prolicitur, aliud esse materiam remotam, aliud proximam argento & auro. Probauimus enim ex superioribus omne argentum viuum esse argẽto & auro materiam proximã & sola coctione differre: & quo plus fuerit decoctum eo propius esse eorundem indiuiduũ: nam veluti cineres ex quibuscunq; herbis aut lignis aut alijs rebus exustis, sunt proxima vitro materia, tametsi ex diuersorum generum aut diuersarum specierum corporibus prodierint: sic & ex quibuscumque corporibus argenti viui materia dissoluta fuerit, erit proxima argento & auro materia.

Responsio ad vltima argumẽta à simili petita.

Hæc etsi validissimis argumentis probauerimus tum ex similitudine totius substantiæ, tum ab accidentibus proprijs vtriusque communibus, tanto tamen verius esse existimandum erit, quanto certum est argentum & aurum finem esse & periodum naturæ metallicæ; non secus ac vitrum finem

Aurum & argentum finis natu-

tæ metal-licæ: vitrũ eſt finis omnium corporum naturaliũ.

nem omnium corporum naturalium. Finem dico, quod ignis illa diſſoluere aut corrumpere non poſſit, ſed omnem vim artis tolerent, atque eadem ſemper perſiſtant, quod proprie de auro & vitro dici oportet: ſed illud à natura ortum eſt, hoc ab arte elaboratum: hæc de cæteris corporibus ita dici non poſſunt, quæ non ſunt proxima & impermutabilis materia, ſed aſſiduis mutationibus obnoxia. Argentum autem viuum à ſua cauſa efficiente nihil aliud fieri poteſt, quam argẽtum aut aurum, ceu cinis igne violento agente vitrum.

Diſtinctio naturæ corporum eiuſdem nominis ſed diuerſæ rationis.

Omnia igitur argumenta tua, quæ ex diſcrimine corporum eiuſdem nominis, ſed diuerſæ rationis, attuliſti Eraſte, hac diſtinctione euertuntur, quod corporum, quæ ſunt eiuſdem nominis, alia ſint diuerſæ rationis, vt in ſanguine ſuillo & humano: & alia ſint materia remota, alia proxima: alia vero non ſolum ſint eiuſdem nominis, ſed & formæ & rationis, quæ tantum accidentibus quibuſdam differunt vt argentum viuum vel vulgare, vel quod corporibus metallicis ineſt, aut aliis rebus.

Præterea quædã corpora ſint proxima materia permutabilis in plures alias proximas materias, vt elementa, & quæ ex his concreuere multa corpora: quædam vero ſint proxima materia in quoddam extremũ impermutabile & fixum, vt argẽtum viuum, ex quo fit aurum, & omnis cinis, ex quo vitrum conflatur.

Sed video obijci mihi, ſi argentum viuum non poſſit aliud fieri, q̃ argentum aut aurum, & aurum ſit impermutabile corpus, ex ijs Argyrogoniã aut Chryſogoniam procreari non poſſe cum tamen illa proximam his materiã eſſe dixerimus: Reſpondemus, quod de proxima & impermutabili materia diximus, intelligendum eſſe in corpore, ꝙ ſola natura produxit, & omnibus notum eſt, vt argentum & aurum: ſed ſemen argentificum vel aurificum à ſola natura nõ eſt productum, ſed arte miniſtra & impellẽte, quamvis à cauſis naturalib. efficiẽtibus.

Peroratio.

Hæc ſunt, Eraſte, quæ ad euertenda argumenta tua ſatis eſſe puto, & plura fortaſſis, quã quæ primo propoſuiſſem, quæ quæſtionis, de qua agitur, limites prætergrediuntur. Iam igitur finem dicendi facere opportunum eſſe arbitror. Hoc vnum à vobis poſtulo, quos totius diſputationis iudices conſtituo, vt in memoriam hæc axiomata reuocetis: non hic agi de ſtirpium aut animalium viuentium interitu, ſed corporum

Epilogus axiomatum huiusce Apologiæ.

rum

rum in animorum & mutorum simplici mistione & dissolutione: vtraque diuersis leg bus circumscribi: illorum ortus à causa efficiente insita proficisci, quæ nec sit in potestate artis nec eiusdem ope indigeat: horum mistionem à causa efficiente prodire, calore scilicet & frigore in humidum & siccum agentibus, si Aristoteli cr dimus. Hæc cum sint inanima pulsu externo agitati oportere: causam autem hanc externam in artis potestate esse: vim insitam & prolificam semini plantarum & animalium infundere non artis quidem, sed solius naturæ esse munus: At materiam metallorum imperfecte mistorum resoluere, & ad materiam argento & auro proximam reducere, eamq; & argentum viuum vulgare perficere, non solum naturæ in mineris terræ, sed & extra eas opus esse artis impellentis causas naturales, vt agant in subiectam materiã. Formas eorundem metallorum ex perpessione materiæ & corporeis affectibus magis quã ab actionibus iudicari. Eosdẽ affectus & proportionem argenti & auri in materia illis proxima sola mistione accersiri. Quibus quæsitis & comparatis in eandem materiam proximam statim argenteam aut auream formam à causa efficiente prosilire. Argentum & aurum, præcipue vero aurum finem esse naturæ metallicæ mistionis. Vitrum vero finem esse omnium corporum naturalium, quæ corrumpuntur, & horum materiam tandem in vitrum misceri. Huius scilicet & illius vitri & auri mistionem ab igne esse indissolubilem. Metalla autem omnia & argentum viuum ad hanc auri mistionem arte reduci per causas naturales, & hinc formam naturalem & substantialem auream in materia oriri. Materiam proximam vnicuiq; corpori non corrumpi sed perfici. Quæ mista sunt corpora, si rursus misceantur, perfectiora & nobiliora esse, quam quę primo ex quatuor rerum primordijs, scilicet Elementis concreuere.

Quæ omnia cum æquilibri statera cum Erasti argumentis perpenderitis, scio vos, qui rerum naturalium periti, nec vllis animi perturbationibus vexati estis, iudicaturos esse, me non sine ratione Argyropœiæ & Chrysopœiæ defensionem suscepisse, illum male & perperam eandem artem falsi damnasse, meque optimo iure ab illius sententia ad Tribunal vestrum prouocasse, & quod ipsum iudicare oportuerat in hac disputatione sententiam illius rescindendo meamque in contra- Conclusio.

rium confirmando, Argyropœiam & Chrysopœiam artem esse verissimam pronuntiabitis.

Hæc sunt quæ in quæstione proposita, An Argyropœia & Chrysopœia sit ars, dicenda & differenda esse existimaui. Cui cæteræ quoque quæstiones obiter, propter connexionem & cohærentiam intermistæ sunt, scilicet: Quid sit: Quod sit: & propter quid sit. Quod si ea quæ prioris quæstionis & confirmationis stabiliendæ gratia scripsi, vobis, qui hæc perlegetis, grata esse intellexero, de cæteris quoque quæstionibus DEO OPT. MAXIMO fauente luculentius posthac aliquid editurum esse, quantum suppetet ocij, apud me constitutum est, idque abstrusum magis, & maiori admiratione dignum omniumque vtilissimum.

BERNARDVS G. PENOTVS A PORTV, &c. CANDIDO LECTORI SPIRITVM SYNCERITATIS, INTELLECTVS ET SOLERTIS laboris cum salute precatur.

NON defore multos (candide lector) sat scio, quibus huius libelli editio noua videri possit, quiq; Mysteriorum naturæ secretorumq; thesauri publicationē dānaturi sint. Illud Euangelij occinētes: Nolite margaritas porcis proijcere. Item illud Auctoris: Non tamen hoc commune omnibus, sed nobis solis nostrisq; scribimus, à communi autem plebe muroq; forti, seraq; firma secludimus: Alij non quidem prorsus id arguent, sed tempus nondum venisse, quo talia publicari debeant, asserent. Reperiuntur dubio procul & nonnulli (prout hodie infinitum maledicendi cacoethes est) qui mihi, quo iure Mysteria hæc pandam, cum eorum auctor non sim, obiecturi sint. Alij denique signa poscent, quibus artem veram esse, vt mihi credatur, probem: Scio scio inquam & expertus sum ipse, dum hæc ederentur, fuisse quosdam adeo nasutos, adeo veteratores, adeoq; omni humanitate exutos cinicos, vt quacunque

que ratione poterāt editionē impedirent: Et nunc plurimum obloquētes, latrare nō desistunt. Verū cū eorum latratus præter rationem insanire videā, nihili faciēdos esse ipse censeo. Magna certe laus est, tanta erga Deū ac proximum duci pietate, vt neq; Dei maiestati in suis magnalibus, dū publicaretur, detrahatur quicquā: neq; proximi bonis, quæ vel occultando supprimi, vel sinistre interpretando impediri, aut certe negligenter edendo perturbari potuissent, vlla in parte inuideatur. Sed ne lōgus videar in scribendo, primo latratui respondeo. Nam q̄ ex Euāgelio pferunt id in eum sensum trahunt, ac si soli ipsi homines essent, soliq; digni sint hæc preciosissima Dei dona, ac vere margaritas habere, oēs autē alij porci sint, & his bonis indigni. Nos vero q̄ hæc edimus fures simus, & bonorum dissipatores? Sed audi quæso quid dicam, nimirum omnes quidē qui amore Dei & charitate proximi accensi gaudent, & desiderāt mysteriorū arcanorūq; cognitionem adipisci: quorū in numero te quoq; (lector) collocamus, homines esse. Nos vero qui hæc huiusmodi viris cōmunicamus, fideles dispensatores mysteriorū Dei, illos autē ipsos qui hæc proximis inuident & in cœnū suæ ipsorum inuidiæ conculcant, porcos esse: quod more porcorum, etiam meliores fructus auidissime & inuidissime stercoribus misceant & deuorent. Quod ex auctoribus citant, propterea ne edi non oportuit, quia horum tractatuum auctores non in commune sed sibi suisque scripserint? Nonne Aristoteles Alexandro Macedonum Regi se sua physica ita edidisse respondit ac si non essent edita? Igiturne non imprimentur libri Aristotelici? absit. Quid Arabs ille philosophus vt Rex solertissimus Geber? An non ita scriptum reliquit: Nobis solis artem per nos solos inuestigatam edidimus & non ab aliis, &c. An ergo propterea Gebri scripta non fuerant prælo subdenda? imo

Arcana pandere haud cōtra Deum aut proximum esse.

Obiectionum responsio.

Geber rex & philosophus.

da? imo ideo hæc & similia in publicum emittenda sunt, vt quia obscure ad omnium vtilitatẽ scripta sunt, omnium ingeniis maiori diligentia dum exquiruntur, maiorem veritatis lucem consequantur, maioremq; etiam hominibus vtilitatem afferant. Verba enim edi possunt & imprimi, at manualis operationis industria in cuiusque experientia sita est: neque typis imprimi potest; imo vix ore tenus tradi nisi per manus. Nam aurum præparandum est, vt solutioni minime sit contumax, & id quidem satis arduum. Neque existimandum est argentum viuum, quod soluendi auri obtinet facultatẽ, esse illud vulgare quod palam vẽditur. Cum enim a corpore, quod similitudine totius substantiæ aurum referat, & temperamento sit calido & humido, solutionem eiusmodi præstari oporteat, illam quidem similitudinem argentum viuum obtinere, negari non potest, temperamento autem esse frigidissimo certum est & maxime indefinito: sed aliunde nobis argentum viuum arte ingeniosa proliciendum & educendum est, à corpore paucissimis noto quod natura concoxit: quod etiam similitudine totius substantiæ aurum magis referat, quam argentum viuum vulgare, quodque nulla arte, sed primo quoque contactu & attritu cum auro non minus libenter coeat & misceatur quam aqua aquæ: iam cõtemplare altius quodnam sit illud corpus.

Ars Chemica non scriptis sed manibus adipiscitur.

Aurum haud facile soluitur.

Argẽtum viuum philosophi arte ingeniosa elicitur.

Præterea fornacem quæ continuum & æqualem calorem subministrare possit, pauci norunt. Sed qui eius notitiam cupiunt practicam operis illius magni philosophi à Rouilliasco Pedemontani legant, quam anno 1582. edidi, quæ proprie Athanor dicitur, id est digestionis, nõ qualem sibi fingunt ignari. Sed pauciores tripodem arcanorum norunt: & paucissimi pabulũ caloris, cui æquabilitatem præstare possit. Totum fere arcanum in gradu calo-

Athanor philosophorum.

caloris consistit. Nam veluti vim pulli effectricem & ouo insitam, a calore externo superari non oportet, alioqui indurescceret ouum, nec pullum vsquam imposterū ederet. Sic vis seminis futuri, id est auri misti cū suo argento viuo exinanienda non est, alioqui non dissolueretur aurum, nec germinabit, nec fiet materia proxima auro: sed in aurū calore nimio agente concresceret. Rursus si defecerit calor, labor artificis frustrabitur. Tandem vero puluis hic aurificus, in Dei potostate situs est; quē cui vult largitur & subtrahit. Et frustra ab ijs q̃ritur, cui denegat⁹ est. Hinc Palingenius in suo Zodaico ait: Exēplum. Error opus destruit.

Tunc mentis diuinæ homines oracula cæca
Voluentes animo ancipiti vix tempore longo,
Experti multa, & non paruis sumtibus illam
Inuenere artem, qua non ars dignior vlla est,
Fingendi lapidem æthereum, quem scire profanis
Haud quaquam licet, & frustra plebs improba quærit.
Quem qui habet, ille potest, vbi vult habitare decenter:
Nec fortunæ iram metuit, nec brachia furum,
Sed tanto paucos dignantur munere diui, &c.

Cum autem ad confirmationem quæstionis. An ars sit, multum valeant auctoritas, ratio & experientia. Possem primum multorum grauissimorum virorum testimoniis & auctoritate confirmare veram esse artem, nisi de his essent editi plures libri inter quos, libellum de veritate & antiquitate artis chemicæ & pulueris: auctore Roberto Valense editum Parisiis apud Maurellum Fredericum anno 1561. Alium Chrysippi Phaniani de iure Alchemiæ: Nuper alterum, cui titulus est, Apologia Chrysopœiæ & Argyropœiæ, in qua disputatur & docetur, An quid, & quomodo sit Chrysopopœia siue ars transmutandi & perficiendi metalla, & firmissimis rationibus & demonstrationibus, certisque experimentis quibusdam, artem veram, certam & facilem esse, probatu Qui volunt auctoritate artē esse veram. Apologia contra Erastum.

batur & conuincitur: contraq́; Erasti contra artem & doctrinam hanc prolata argumenta solide refutantur. Memini me trecentos manuscriptos de hac arte legisse libros, hoc autem doctiorem ac digniorem librum nullum vidisse. Quapropter qui volunt auctoritatibus & exemplis p̄bari sibi veritatem artis, eos ad eorundẽ librorum lectionem relegamus. Ridiculum vero est quod de tempore ab istis pseudotẽporistis obijcitur, quibus cum nõ sit datum nosse tempora & momenta, neq; venerit ipsis hora publicandi, nesciunt venisse nostram. Ipsis igitur nondum venit tempus, at nobis certe aduenit: eas secũ ducẽs publicandi causas, quæ omnino immutari non potuerũt, neque refelli: Quarum quidem vna est, ipse finis, ad quẽ à Deo creati sumus vt cognoscamus & opera Christi per Theologiam, & opera naturæ per philosophiam. Hoc vnum te latere nolo (candide lector) libros philosophorum omnes, quicunq; de abstrusa illa Hermetica medicina loquuntur, nihil esse, quam spagyricos labyrinthos, quibus plerique artis discipuli in varias ambages, & viarum fraudes incidunt. Ita vt ad hunc vsque diem aut nulli aut paucißimi exitum verum inuenerint. Si enim via quædã facilis in hoc labyrintho sese aperit errãtibus, quæ videtur recta ad fores extremas deducere, mox occurrũt irremeabiles anguli, qui perpetuis carceribus deuios includunt. Sic si in philosophorũ scriptis offerũt sese interdũ, & faciles & manifestæ viæ, quæ prima fronte intuentib. secundum literam planæ videãtur: Mox incauti operatores apertis philosophorũ verbis decepti, innumeris dolis implicãtur. Accedit ad hæc, quod multi pseudochemistæ multos suis fraudibus & sophismatibus decipiũt, vendẽtes & spargẽtes mẽdaces chemicas operationes & chartas, quibus nimium credulis, aureos promittunt montes & lolium seminantes triticum expectare iubent.

Opera Christi per theologiam: naturæ vero per philosophiam.

Quare

Quare ego commiseratione tactus hosce tractatus plenos veritatis & rationum physicarum tibi offero, in quibus integram artem perspicue tamquam in tabella depictam habebis. Hos examina, perpende & firmis argumentis animi tui opinionem muni, sic errare non poteris. Qui enim omnibus sophismatibus absq; iudicio credit volens decipitur, vera ars multis inuolucris tecta est, quibus incauti facile intricantur. Ergo antequam operari incipias, causas rerum naturalium prudenti consilio perpende, aut noli rem aggredi: satius est tempus solerti iudicio & meditationi tribuere, quam temeritatis & stultæ inconsiderantiæ pœnas luere. Tu, amice lector, benigno animo editum benigniore suscipito, fideliter & magno cum iudicio lege, relege, ora, labora, operare, reitera. Et procul dubio tantorum secretorum particeps in honorem Dei auctoris mysteriorum & vtilitatem proximi per experientiam considerationis naturæ efficieris Vale.

Libri philosophorum acri iudicio sunt legendi.

DIALOGVS INTER NATVRAM ET FILIVM PHILOSOPHIÆ.

Egidius de Vadis suo amico N. S. P. D.



ON miteris super me (virorum optime,) qui omnium scientiarum ignarus, tantum opus super vires aggredior, virtus enim tanti vigoris est, vt non modo ignotos flagrans amore & desiderio conciliet, verum etiam inscios, ignauos, torpentesq; instiget, vt meram scientiarum omnium medullam cõcupiscant. Hos inter omnes (vt amici dicere solent) tui non obliuiscor, quippe qui virtutibus ita præditus es, vt minime possim aliquid agere, quin prius virtutem in te radicatam pro viribus honore postponendum cæteris diuulgarem. Honor enim (teste Philosopho) præmium virtutis est: & viuentium quidem cui potius attribuatur, omni adulatione postposita,

Deum

Deum testor, ambigo: quamplurimos equidem video, qui propter ornatum dicendi modum scribendive sibi honores magnos vendicant: qui tamen nihil aliud quam verborum lenocinijs, ac phaleratis dictis, meras fabulas & nugas docent: ij quidem nondum reliquerunt nuces, neque sapiunt patruos, sed tanquam pueri, vel iuvenculi, si quis pomum simul & aurum offert, aurum quod summi pretij est & valoris, nihili pendunt, & pomum nucem, quod minimum est anteponunt: hęc quidem Achillis & Glauci permutatio. Nam si quis de Naturæ secretis dissertaret, illi pro certo velut nucis testudinem lambentes nihilque medullæ dulcedinem gustantes, comptis & ornatis verbis, aut parum aut nihil ad rem pertinentibus, quasi garruli si respondebunt. Quāobrem istius verba proportione cum illis quadrant: qui dicit, loquentiæ satis, sapientiæ parum. Verumenimuero si illis plurimum deterior sum, tamen præcipue propter ignorantiam, cum etiam propter sermonis barbariam, quam ipsi balbutiem vel solœcismum vocāt: quantum ij de testudine politis verbis contendere ausi sunt: tantum ego (quamuis inornate) de illius nucis dulcedine intima diligenter perquirere delector, ij exterius, ego & exteriora & interiora liquide perspicio. Igitur confidentia mea in te tanta est, vt hæc nostra in te imprimerentur, & munus meum (quamuis exiguum) læta fronte suscipias: mutuoque me amabis (vt soles.) Vale, ex bibliotheca regia Richemetum. 17. Idus Iulij Anno 1521,

E. D. V.

AVCTORIS PRÆFATIO.

CVM annis plurimis super secretorum naturæ indagine, lucubrationibus non paucis propenso animo laboreque infatigabili, me defatigassem: deniq; perpendēs omnia eiuscemodi indagationis itinera, tramites, tum denormia, tum diuerticula, ambiensq; semitas, quæ non solum de plena, verum etiā scrupis, griphis, tropicis, ænigmatibus, apohothegmatibusq; varijs (ne dicam larvis) occupata: nam Philosophi omnes sunt adeo sententiosi, vna tamē difficultate minime contenti, tantis ambagibus

bagibus tam inuoluunt, vt per eas neminem ad optatum finē peruenire poſſe arbitrer. Sine ergo laruas (vt Plinio placet) cum mortuis luctari, & in palæſtra cum natura potius certare cēſui, pſertim Philoſophis dicentibus: Natura te docebit, quæ quidē multis variis multisq; modis pulſata quæſitaq; (Deo concedente) mihi tandem apparuit: quam primo impetu tantis varietatibus indutam, ornatam, rem intuens non parum ſtupefactus fui. Nam omnes hominum linguæ ad ſuorū veſtigamētorum enucleationem minime ſufficerent: Illa vero me cōſolari cupiens prædulci ac blando ſermone taliter alloquuta eſt. Noli timere ô fili (inquit) nā ego ſum Natura, quā tantis viribus quæſiuiſti, quæ ex mādato Dei tibi miſſa ſum. Euge ergo, exulta, & lætare, quia duobus modis te fœlicē reddā. Primum in hoc quod vides quantū miſericordia Dei, pro te viliſſimo peccatore facere dignata eſt, quæ me oculis corporis cerneres, cum ſis rudis & valde tenuiter qualificatus in ſcientijs. Secundo ſuper hoc conſolaberis, quod tibi dubitanti in omnibus reſpōdebo. Interroga ergo vt libet, & quod tibi conceſſum eſt aperiam. Cui ego, ô bona Domina parce mihi obſecro, nam balbuties mea nō me condignas ſinit tibi referre gratias. Nam vt iam aiebas, literis parum qualificatus ſum, pergam ergo, & Deo meo qui ſua largitate immenſa te mihi deſtinauit gratias referā. Reuerſus vero ſuper dubijs in quibus mergor, te interrogabo: At illa inquit, Age fili, & quod nouiſti ne moreris reddere: Ego interim finem orationis expectabo.

ORATIO.

O Domine Deus omnipotens, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, da famulo tuo licet indigno, te cognoſcere, te ſuper omnia velle, ſecundū te viuere, & curſum præſentis vitæ cōſummare Scio equidē firmiter & manifeſte confiteor: te eſſe fontem & originem vniuerſi boni, atq; deſiderij

honesti, & cognitionis omnis operationis atq; debitæ perseuerantię. Tu enim produxisti primum hominē naturalibus perfectum, & sufficienti scientia præditū: tu enim dedisti seruis tuis Bezaleel, & Aoliab scientiam excogitandi omne opus subtile in metallis: tu dedisti Salomoni seruo tuo cor docile, tu corda omnium Prophetarum tuorum inspirasti, tu etiā dixisti, petite, & dabitur vobis, pulsate & aperietur vobis. Te igitur clementissime Deus, conseruator ac protector meus, deprecor supplex atq; imploro, vt illumines cor meū ad petendū, quæ sunt ad gloriam & laudem tui nominis sanctissimi: non displiceat tuæ Deitati (quæso,) quod ego indignus peccator peto tuam misericordiam, me dignare illuminare, super cognitionem rerum naturaliū: & cum sis ignotus per prius, saltē per posterius, per tuos gloriosos effectus scilicet, cognosca-ris: Da mihi igitur clementissime Deus ita cognoscere, & efficaciter atque ornate, sine interruptione mundi, aut Diaboli perficere: cum corde meo in te fixo immutabiliter permanēte, vt omnia opera mea facienda sint in laudem & honorem sanctissimi nominis tui, ac in redemtionem captiuorū, atq; sustentationem pupillorum, atq; viduarum. ac omnium fidelium indigentium, intercedente Domino nostro Iesu Christo filio tuo, qui tecū viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

CAPVT I.

In quo Natura docet filium artis, quanam sit materia lapidis: dicens, quod ex fine intentionis resultat principium operis.

Filius.

IAm ergo Domina, postquā Deo meo ꝓ omnibus beneficijs suis gratias egi, interrogabo te, si vero libuerit respōdebis.

Natura. Propone fili, & cum Dei adiutorio tuis dubijs satisfaciam.

Filius. O domina, postquam in oculis tuis tantum inueni gratiæ, dic mihi obsecro, quare Philosophi in libris suis non nominant materiam, vnde lapis ipsorum procreatur? plures equidem tractatus me legisse memini, neminem eorum tamen quouis modo eam nominare intellexi.

Natura. Fili, scias omnes Philosophos eam in eorum libris palam nominare, sed quia non nisi Philosophis & filijs suis loquuntur, ideo qui non sunt in Philosophia qualificati atq; imbibiti, nō animaduertunt quomodo eam nominant; subtilitas vero apud ipsos est stulticia atq; rusticitas apud inscios.

Audi

Audi ergo, & sermones meos ausculta, quia ostendam tibi, quomodo viua voce nominant: Audiuistine auctoritatem Aristotelis dicentis, actus actiuorum sunt in patiente dispo sito: forma ergo non agit, nisi secundum dispositionem materiæ. Intelligis hoc. *Forma agit secundũ dispositionem materię.*

Filius. Imo Domina.

Natura. Vide iam quomodo eam nominant. Quoniam si dixeris, quid facere intendis, videbis & clare intelliges atque quod quæris perpendes: eo quod ex fine cuiusq; intentionis resultat principium eius.

Filius. Ego quidem solem & lunam producere intendo.

Natura. Aduerte iam quomodo principia tuæ operationis nominasti: dicendo finem tuæ intentionis: qui est aurum & argentum te producere velle: quę quidem erunt operis tui principium, ac si dixisses hominem te velle producere ibi tuũ agens nominasses. Quo habito nihil tibi deesset, nisi patiens tali generationi congruũ. Quia sicut non est possibile generare hominem sine homine, sic neq; aurum & argentum sine auro & argento: eo quod omne simile producit suum simile. *Ex fine intentionis resultat principium solis & lunæ. Intellige hoc de generatione vniuoca & non æquiuoca.*

CAPVT II.

In hoc secundo capite natura dicit mineralia esse hermaphroditæ naturæ eo quod vtrunq; sexum habent scil sulphur & argentum viuum. Et quod incrementũ alicuius respēdet à suo principio.

Filius. Quomodo Domina, video hominem generari, ex copulatione maris, & feminæ: in argenti siue auri productione, non percipio aliquam copulationem.

Natura. Scias fili, quod omne crescens, tum in vegetabilibus, mineralibus, siue animalibus, non educitur de potentia ad actum, nisi per coniunctionem formæ & materiæ: quæ loco masculi & feminæ capiuntur, si ergo in mineralibus & vegetabilibus, non fit coitus, est tamen attractio inter ipsa, per quam homo cognoscet formam materię conuenientē. Quia vt (inquit Plato) secundum meritum materiæ dantur formæ: nulla est generatio cōgrua, nisi ex conuenientibus in natura: Mineralia tamen atq; vegetabilia Hermaphroditæ sunt naturæ, eo quod vtrumq; sexum habeant. Nihilominus fit ex seipsis coniunctio formæ & materiæ, quemadmodum fit de animalibus.

Filius. O Domina ego te summe flagito vt illam copulationem ab ore tuo audiam:

Plato. Incremẽtum alicuius rei pẽdet à suo principio. Lac sanguis bis coctus.

Natura Audi quod Plato dixit, à quo dependet alicuius principiũ, in eodem erit suũ incrementũ. Nonne vides quod hominis generatio & ipsius productio fit ex sanguine menstruali & nutritio, siue educatio eius ex lacte, quod est sanguis bis coctus: quia à menstruo non differt, nisi per reiterationẽ decoctionis. Modo simili planta fit ex subtili terreo & aqueo: Cum ergo semen eius habueris, commenda id terræ, per cuius subtile cum humido simili producas de potentia ad actum: Considera similiter naturam mineralis corporis: hoc est dictum, vnde cœpit suam originem, & reduc etiam ad suam materiam, sicut dictum est de planta, & velle tuum adimplebis.

CAPVT III.

Natura docet, quænam sit illa materia operi physico necessaria, exẽplo probat vt videre licet legendo hoc caput tertium.

Prima materia neq; sicca, frigida vel humida est.

Filius. Profecto Domina mihi videtur quod si ipsum minerale corpus, ad suam primam materiam quã prius erat reducere vellem impossibile erit: quia prima materia secundũ Philosophum, neq; calida est, neq; sicca, frigida ve vel humida: ergo illa reductio erit valde remota à metallis.

Memoriæ tradas materiam 1. 2. 3. quarta est propinqua. Materia confusa arti necessaria. Materia ꝓpinqua metallorũ arti necessaria.

Natura. Quomodo intelligis primam materiam? ego enim nõ loquor de illa remotissima quæ dicitur hyle, neq; de illa quæ dicitur Chaos, quamuis materia cõfusa indiges, eo ꝙ nouam formam inducere conaberis: Neq; etiam intellige de naturis, vnde elementa proueniunt, neq; etiam de qualitatibus ab ipsis elementis prouenientibus, sed tantummodo de prima materia propinqua, quæ quidẽ in animalibus sperma, in vegetabilibus semina dicuntur, in mineralib. vero sulphur, & argentum viuum dicitur, Philosophorum supple: quia illa remotissima prima materia siue 2. 3. 4. ne est ita apta disposita, ad creandũ asinum sicut metallum: ego enim volo quod reducas, ad primam materiam sub conseruatione speciei, imo sub ipsius indiuidui conseruatione: species enim nõ sunt actionibus sensibilibus subiectæ. Iam nota bene exemplum

Exẽplum.

quod tibi dabo, super ista reductione; cum enim homines & mulieres coeunt, tunc reducuntur ad primam materiam, quia de eorum corporibus cruda spermata generantur, ex quibus ipsi primo prodierunt: non tamen eorum corpora destruuntur, quemadmodum fierent, si ad primam materiã remotam

motam reducerentur. Quare oportet quod sic facias in opere tuo, hoc est sub speciei conseruatione, quod quidem notare debes peroptime.

Filius. Certe Domina, ego iam tua gratia adiuuante sapere incipio, quæ sit illa reductio, differentias tamen istarum materiarum primarum ignoro.

CAPVT IV.

Quid sit chaos, & est materia illa arti necessaria. Materia etiam lapidis est propensa ad omnes formas suscipiendas: & palam venditur.

Natura. Fili, epilogare illud quod quæris, erit opus satis prolixum, nihilominus, quia te in istis propensiorem cæteris ppendo; breuiori modo quo possum ꝙ cupis enodabo: Scias itaque, quod materia remotissima dicitur Hyle, & est primordiale omnium rerum principium, de quo quod dicit Augustinus referam: ait enim cum aliquid informe concipio, prius nihil intelligo, quã intelligebã, quia sicut nihil videndo, tenebræ videntur, nihil similiter audiendo auditur silentium. Sequitur ergo quod hyle sit illud, quod inter aliquid & nihil pcipitur. alia vero materia, quæ non est adeo remota dicitur Chaos; quod quidem Chaos est rudis indigestaq; moles, in quo omnia erãt cõfusa, & cõmixta, quam alij appellãt materiam siue massam confusam: ab initio hiantẽ; alij materiam cæli & terræ informẽ, quæ primum ex nihilo facta est; de qua postmodo cuncta sigillatim per species varias formasq; proprias ꝓdierunt: quam Lactantius sic definit, Chaos est rudis inordinataq; materia confusa congeries, & vt melius istã primam materiam intelligas, quæ tibi super omnes alias est necessaria: eo quod absq; ea opus tuum minime perficies: dicã tibi planius qualis ipsa est, quia quamuis in principio summ⁹ Deus præparauit quatuor elementa, quæ erant confusa in ea, eo ꝙ terra & aqua, quæ sunt alijs grauiora attingebãt vsq; ad orbem lunæ, & ignis & aer leuiora cæteris elementis descendebant vsq; ad terræ centrũ: Quare talis materia merito dicebatur confusa, remãsit tantũ in mundo isto aliqua pars illius materiæ confusæ, quę ab omnibus cognoscitur & palã venditur; Pauci tamen sunt, qui huiusmodi Chaos siue materiam confusam esse opinantur; quare (fili) erit tibi necesse eam scire, cum sine ipsa (vt superius dixi) in vanũ laborabis. quia ipsa existens informis, & apta ad omnes formas, facilime talem

Hyle re. omnium primordiale principium.

Hyle est id quod inter aliqd & nihil pcipitur.

Chaos, materia confusa.

Lactanti⁹ Quid est Chaos.

Chaos materia prima necessaria arti.

Chaos quare dicitur materia confusa.

Lapidis materia publice venditur.

Lapidis materia ad omnes formas ꝓpensa.

formam sortietur, qualẽ attribuere ei cupies; & si vberius de ea inquirere volueris, vide Raimundum in suo testamento cap 30. & 75. & ibi videbis, quomodo Deus primo, quintam essentiam creauit, in qua in omnibus operib. vniuersaliter cõprehendor, quam quod in tres partes instar suæ essentiæ diuisit; & de parte prima magis pura creauit angelos. De secunda cælum & stellas, & de tertia mundum. Non intelligis tamen, quum Deus creauit terram simul absque aliqua temporis successione, & absque materia præcedenti, quæ respicit successionem generis: ego enim te hic instruo, ad tui operis propositum, quod primæ diuisioni assimilatur: quare si absque diuisione perficere intendis, conatus tuus erit impossibilis. De ista tertia parte diuisa in quinque partes Deus creauit primo quintam substantiã: de cæteris quatuor elementa. Lege ergo capitula superius allegata, & omnia ista ad longum habebis. Iam fili restat videre de naturis, quæ sunt simpliciores elementis, scias ergo duas esse naturas: prima caloris, altera frigoris: natura caloris actiua est; frigoris vero passiua; Calor generatur à motu, & frigus vel natura frigoris à quietudine terræ: lege Auicennam in claui sapientiæ & inuenies ista omnia ad longum, & delectabili modo ventilata, distinguẽdo quid sit simplex & compositum, de simplici: & compositum de composito. Duæ illæ primæ naturæ dicuntur simplices, opus vero ipsius dicitur simplex de simplici, quod est natura caloris, frigiditatis, humiditatis & siccitatis, & super istarum naturarũ generatione dicit quod in principio Creator absque sermonis prolatione dixit, fiat talis creatura; postea creata est creatura, quæ nec magna nec parua, nec subtilis nec grossa, nec mouens, nec quiescens dici potuit, neque alia quacunque declaratione determinari, nec rei cuilibet assimilari, in qua quidem omnia potẽtialiter extiterant, quæ vt ad actum reducerentur creauit creaturam secundã, quam lucem appellari decreuit; hęc Auicenna quantum ad quatuor Elementa, iam dixi tibi quod reductio ad ipsa est nimis remota, ad qualitates vero ab illis prouenieus, habita tamen materia prima & propinqua facies reductionem. Qui necessario habes Elementa diuidere, quare non indiges alijs materijs: materia illa confusa excepta, propter rationes superius tactas.

Raimundus inuestigandus.

Angelorum creatio.

Nota.

Duæ naturæ.

Calor generatur à motu.

Filius. Benedicta sis Domina, ego omnia tua dicta notaui, super

ſuper iſta reductione ad primam materiam, non tamen bene video, quomodo corpora reincrudere poſſum: ſaltem in mineralibus: in animalibus vero rem ſatis facilem video, per ſemina eorum, quę ab iſtis, indigeſta producuntur.

CAPVT V.

In iſto opere phyſico non capitur id ex quo metalla ſunt, adducēs exemplum de creatione hominis: item quomodo res in viſceribus terræ circulando generantur.

Natura. Non mirum eſt, quod nondum percipis modum, eo quod illa ex quibus procedunt, iſta adhuc ignoras.

Filius. Quid illud eſt ergo in mineralibus, quod terræ cōmendare, ſiue in primam materiam reducere præcipis?

Natura. Iamque tibi dixi, quod ex fine cuiuſcunq; rei reſultat principium eius.

Filius. Verum eſt Domina, vt videre videor quod ex fine cuiuſcunq; rei reſultat mihi materia, quod tamen erit forma non bene percipio, quod metalla homogenea ſunt; in ipſis autem pars à ſuo toto non differt; in heterogeneis vero, ſicut in animalibus & vegetabilibus, ſemina ſunt ſatis perceptibilia.

Natura. Fili, dixi tibi, quod à quo dependet alicuius principium, in eodem erit ſui incrementum.

Filius. At ſi hoc verum ſit, ſequitur quod forma & materia ſiue eorum incrementū erit ex Mercurio, & ſulphure, eo quod ſecundum omnes Philoſophos, metalla omnia ex ipſis originem ceperunt.

Natura. Fili, verum dicis, non oportet tamen in tuo magiſterio capere illud, ex quibus metalla ſunt, ſed illud quod ex ipſis eſt: verbi gratia, capiam primum exemplum in homine, qui natura naturante principio factus eſt ex limo terræ quidem, vnde primus factus eſt, quod eſt illud ex quo ipſe eſt; ſed ex eo popiſmate ſiue ſpermate; quod ex ipſo eſt: Item in vegetabilibus capiamus eandem ſimilitudinem. Planta enim (vt ſuperius expreſſum fuit) generatur vel potius producitur ex ſubtili terreo vel aqueo, ſimul mixtis, ſi ergo ad ipſam productam caperetur terreum & aqueum, quantumcunq; ſubtiliſſimum, nunquam intentum duceretur ad effectum. Non capiatur ergo illud, ex quo ipſa eſt, quod eſt ſemen vel ſurculus eius: mineralia vero generantur ex ſulphure & argento viuo, quæ quidem pro opere tuo perficiendo minime

In opere phyſico non capitur id ex quibus metalla ſunt.

Mineralia generantur.

capiuntur, cuius rationem tibi consequenter ostendam, per compositionem saponis, quod ex aqua extracta, ex cineribus clauellatis, & oleo vel sepo efficitur. Quia si quodlibet istorum per se caperetur & congelaretur aqua, siue lixiuia in sal, non esset possibile postea facere saponem: Inde quod similiter accidit de sulphure, quod primo erat aqua cuius natura erat frigida & humida, quæ postea circulãdo per calorẽ solis, vertitur in aerem, cuius natura est calida & humida, denique vertitur in ignem, cuius natura est calida & sicca, cum quo postea se temperat terra, & sic efficitur sulphur. Et eodem modo intellige de Mercurio, sed non eodem ordine, eo quod alter est summe calidus, alter summe frigidus. Si tamen illa aqua vnde componuntur ante talem circulationem haberetur, posset inde metallum fieri, sicut dictũ est de sapone: quod postea nullo modo fieri possit; quare cõcluditur sicut dictum est de animalibus, & vegetabilibus, illud non esse capiẽdum, ex quibus metalla sunt, sed quod ex ipsis scilicet metallis est; si ergo me intellexisti, fili, sulphur & argentum viuum, vnde creatur lapis, non est illa, ex quib. metalla generantur, quod cõbustibilia sunt, sed illud quod ex ipsis est, quod est nõ vrens.

Sapo conficitur.

Sulphur prius fuit aqua, quę circulando, vertitur in aerem.

Aqua illa si haberi posset &c.

Accipitur ex metallis quod est non vrens.

CAPVT VI.

Natura docet artis filium se non posse facere materiam, ex qua Mercurius Philosophorum fit, & quare vocatur Mercurius Philosophorum.

Filius. Profecto Domina, omne illud quod dixisti, verum arbitror, eo quod per iam dictas similitudines apparet, quod sic sit in rei veritate, nihilominus sum magis confusus quam primo fueram: quod nullo modo intelligere possum, qualis debet esse ista forma. Philosophi dicunt, cape Mercurium nostrum, & sulphur nostrum, & tu dicis illa non intrare in magisterio. Quid ergo accipiam ignoro, cum nulla alia sulphura neque argenta viua cognosco.

Natura. Fili, Philosophi dicunt, accipe Mercurium nostrũ in hoc dant tibi intelligere, quod non loquuntur de communi, quia dicunt nostrum; Mercurius enim dicitur eorum, sicut filius patris dicitur, qui eum genuit, quia non est mihi (inquit natura) datum producere, eorum Mercurium de potentia ad actũ, absq; adiutorio Philosophi, quare merito dicitur ipsorum, quia eum vsq; ad effectum producunt.

CAPVT

CAPVT VII.

Ibi Natura docet rem omnem habere suum contrarium. Vltra vbi est attractio, ibi erit & retentio, & quod attractio ferri à magnete artem manifestat.

Filius. Enarra mihi obsecro, qualis est iste Mercurius, qui dicitur semen metallorum.

Natura. Fili per hoc quod dixi tibi superius spero te intelligere, quæ sit tua materia, eo quod ex fine tuæ intentionis resultet, scias ergo quod omnes res aliquid habent odire & aliquid amare, quamvis in lapidibus conuenientibus dicitur attractio: quam amor vel odium, quod in animalib. melius congruit; Vide ergo qualis res in mundo sit, tua materia propinquior, in attractione scilicet, sciens quod leuia superius non possunt, nisi grauium inferius consortio detineri, vtraque ergo in opere erunt necessaria, graue & leue: inter quæ attractio quemadmodum inter causam & effectum. homo enim intuens mulierem, trahit & trahitur ab ipsa, magis quam à cæteris animalibus extra suum genus & suam speciem existentibus. Modo simili stomachus tuus esuriens, visis cibarijs, magis ea appetit, quam multa quod ab oculis videntur: nam solum ille appetit, quod naturæ suæ conuenit: quare scias quod vbi fit attractio, ibi erit retentio. Digestio sequitur, & per consequens Euacuatio: quod quidem oportet fieri in tuo opere, eodem modo, ac eodem ordine. Primo in summitate vasis vice stomachi, 2. centro ipsius loco epatis, 3. inter poros & ipsius meatus: quemadmodum in venis, & 4. & vltimo in omnibus partibus corporis vt in membris.

Graue & leue necessaria.

Attractio. Retentio. Digestio. Euacuatio.

Filius. Profecto Domina ego satis percipio omnia creata habere aliquid odire vel amare: Quamobrem Philosophus dicit, in habentibus symbolum facilior est transitus, tamen ad istud propositum, hoc videtur, esse contra dicta philosophorum, qui dicunt vnam rem fore in opere necessariam, cui nihil additur: nisi quod superflua remouentur: Si ergo fuerit attractio, necessario duas res esse ibi opportet.

Natura. Fili, nunquid definitionem speciei ignoras, quæ prædicatur in numero differentibus. Vir & mulier non differunt specie, sed numero tantum: sic in isto magisterio, erit alia differentia, quia erunt duo in carne vna, super quod dabo tibi exemplum in ipso homine, qui quidem generatur ex spermate actiuo naturali, & spermate passiuo innaturali, cum

sanguine menstruali contra naturam; quæ quidem spermata ab ipso menstruali originaliter prouenniunt: Imo est matrix, in qua huiusmodi recipiuntur, quæ nō differt ab ipso sanguine, neque totum corpus scilicet vtriusque viri & mulieris: vide ergo qualiter ego operer in vna te, quæ quidem non differt, nisi in combinatione Elementorum. Imitare me ergo in opere tuo & lætaberis; & tunc verificabitur illud dictum ante primitus assumptum, natura te docebit; Quod si ab isto itinere declinaueris, nunquam ad bonum finem peruenies; eo quod in portentis non delector. Scias itaque fili, quod attractio ferri à magnete propalat atque manifestat sapientib. maiorem partem secretorum meorum: quia per hoc perpendis quod attractio nō fit in animalibus duntaxat, sed est in lapidibus, dispone ergo materiam tuam sagaciter, & considera bene naturam eius per ea, quæ superius dicta sunt; per hoc enim cognosces formam sibi congruam atque operi tuo conuenientem; qua habita nihil tibi deerit.

Attractio ferri à Magnete propalat secreta naturæ.

CAPVT VIII.

Quid sit depuratio, & sine illa vix quicquam boni operabitur in hac arte, quia totum magisterium in materiæ præparatione consistit, & quod Aurum vulgi non sit lapidis materia.

Filius. O Domina, ego te obsecro, vt mihi dicas, quare Philosophi dicunt solem exaltari in arietem debere, an ibi sit motus Arietis obseruandus? ipso supple ascendente vel sole ibidem conueniente?

Medicinā exaltare oportet, nam quod in illa est frigiditas mutet qualitatē.

Natura. O fili scias, quod Philosophi non dicunt hoc, vt motus cæli mouetur eo quod omni hora & momento est generationi atque coruptioni congruus; quia hoc dicunt quod sol superius exaltatur in arietis signo, quod est Saturni casus & domus Martis est; qui est totus colericus, sic oportet ꝙ sol infernus, vnde opus tuū fit, exaltetur in domo Martis, in ariete scilicet, qui est tuus clibanus, in quo deprimitur frigiditas, quę est propria Saturno, & calor exaltatur, qui est causa exaltationi tui solis.

Filius. Quomodo Domina, non intelligo, quod sol noster exaltetur propter clibani calorem, quia perfectus est, vt omnes Philosophi testantur.

Natura. Intellige fili, quod virtute ignis sol tuus depuratur,

tur, quæ quidem depuratio à Philosophis pro exaltatione intelligitur: & quia in ariete sol incipit ascendere ad augem, id est ad suum fastigium, quod vlterius ascendere non possit; simili modo sol tuus semper exaltatur, vsque ad finem operis.

Depuratio dicitur exaltatio.

Filius. De quo sole loqueris Domina?

Natura. Neque de superno loquor, neque de illo qui vulgariter sol nuncupatur, eo quod si non sit mixtus non potest exaltari, vltra id quod est; ego loquor de sole Philosophorum qui est vna res vilis, & parui pretij, qui per istud magisterium potest exaltari super aurum gradibus infinitis, & efficitur impertiabile pretium, ac thesaurus incomparabilis.

Aurũ vulgi non est materia neq; subiectum Philosophorum.

CAPVT IX.

Necessario in hac arte duo necessaria esse, nempe agens & patiens: Quia vnum & simplex non agit in seipsum.

Filius. Benedictus sit qui te creauit Domina, & benedicta sis in omnibus operibus tuis, iam enim sapere incipio, & intueri tuam nobilissimam operationem, per tua gloriosa dicta: postquam ergo tua doctrina mediante formam & materiam habeo cum modo exaltationis nostri solis in ariete; Iam ostende mihi obsecro qua ratione forma agit, materia vero patitur: quia si me non fallet opinio, ibi latet arcanum, quia eiusmodi actio est necessaria, propter certam proportionem numerorum & mensurarum.

Forma & materia.

Natura. Fili verum dicis, quia tota vis magisterij tui ibi consistit, sed ad hoc intelligendum non habes ignorare, scientiam istam esse scientiam quatuor elementorum, quæ super omnes alias vberius ac melius de eorum symbolizatione & discordantia tractat: & quæ ipsorum sint nobilia, quæ ignobilia; quæ actiua, quæ passiua: quamvis omnia vicissim agunt, & patiuntur, quæ concordantia & quæ discordantia, quam symbolizationẽ intelligimus; quibus arte præceptis scies qua ratione agens agit & materia patitur, quia (Arist. teste,) omne agens suo passo nobilius est: Cuiuscunque ergo tuum agens complexionis extiterit, suum patiens contrarium necessario esse debet; verbi gratia, si tua materia frigidæ & siccæ complexionis fuerit, operæ pretium erit tuũ agens calidæ & humidæ complexionis esse, ꝙ par in parẽ non habet imperium;

Hæc sciẽtia est quatuor Elemẽtorum.

Agẽs semper suo patiente nobilius.

Par in parẽ non habet imperium

imperiũ;Sis ergo cautus ibi, nam Philosophi nihil celauere nisi quæ nunc quæris.

Filius O bona Domina,ego te summe flagito, vt hæc me docere non dedigneris,quia meo iudicio passus iste est omniũ difficilimus.

Natura. Verum dicis,omnia enim per pondus, numerum & mensuram esse creata;nemo sanæ mentis ambigit, sunt tamen talia bene recteque cognoscere,admodum difficilia; nemo enim hoc enucleat,nisi sit de electis sapientibus: quia rati sunt,qui in talibus delectantur,tu vero es fragilis & paruæ capacitatis; quare per satisfamiliare exemplum te instruam:& hoc super hominis generatione, in qua vir dicitur agens, & mulier patiens; Si ergo agens sit suo passo nobilius, oportet quod magis nobiliora elementa sint in ipso, quæ sunt ignis & aer,alia vero duo terra & aqua scilicet in patiente sunt,non intelligas tamen,quin omnia quatuor sint,tam in agente quam in patiente:sed non eodem ordine,quia(vt iam dictum est)par in parem non habet imperium Quare sequitur, quod si femina esset adeo calida sicut vir, generatio ab ipsis minime sequetur.Oportet ergo:quod mulier sit valde frigida respectu viri,cum ergo tuam materiam habueris, sua complexione optime speculata, suum agens facilime reperies, & hoc non exeundo latitudinem speciei quam quæris.

Exemplũ de hominis generatione.

Ignis & aer sunt nobiliora agentia, Terra & aqua patientia.

Quando materiam habemus, suum agẽs facilime reperiemus.

Filius. Omnia quæ dicis peroptime intelligo, modum tamen proportionandi non video.

Natura. Ego profecto te satis rudem inuenio, quare vnum exemplum tuæ naturæ simile tibi dabo, si aliquis tibi praciperet vt lapidem proijceres, quẽ si nimis grauem siue ponderosum inuenires,diceres eum te proijcere non posse, modo simili faceres de leuitate:quare tentando immediate perpendis, si proportio debita sit inter te & ipsum. Item cum esuris & vides cibaria,ignoras quantum ex eis tibi sufficiat, comedendo illico sentis virtute tui stomachi,quantum tibi conuenit, fac ergo similiter in tuo magisterio.

Exemplũ.

Filius. Certissime Domina dicta tua verissima sunt, minime tamen dubijs meis satisfaciunt.Certus enim sum his sicut in cęteris pondus certum esse determinatum; tu vero me hic instruis,non per causam quemadmodum Philosophi scire oportere dicunt:sed potius sicut rustici idiotæ huiusmodi probare solent;eo quod calidus stomachus,& fortis plus potest in digeren-

digerendo quam frigidus & debilis in productione alicuius speciei de potentia ad actum; opinor tibi certam mensuram esse obseruandam, imo pondus atque numerum determinatum, & quod hoc sit causa totius effectus.

CAPVT X.

Hæc scientia est pars cabalæ, & potest doceri in aure, modo quis sciat portionem pond. rum.

Natura. Verum est quod dicis, fili, ista tamen non sunt palam dicenda neque manifestanda, nisi Deum timentibus, & hoc per colloquia, eo quod scripta tam ab indignis, quam dignis videri possunt, quare aliqui dixerunt, istam scientiam esse partem cabalæ, quæ receptio interpretatur per colloquium scilicet. Nam Philosophi de ea tractantes tantis ænigmatibus, tropicis scirpis, gryphis, atque problematibus inuoluunt, quod tantum docet Pythagoras suo silentio, quantum ipsi scripturis suis: hic ergo in ista frutice latet lepus, eo quod ista proportio est clauis omnium secretorum; quia metalla quæ ab vna radice originem sumpserunt, in pondere diuersificantur, per istam proportionem duntaxat, atque lapides pretiosi ab ipsis metallis non differunt qualitate, calore vel leuitate, fusioneve, nisi ista mensura siue proportione mediante: eo quod illud, quod producit metalla in esse, ea gubernatione mediante: similiter preciosos lapillos in esse producit; secundum tamen diuersa instrumenta, atque informationem diuersam, quam à me accipit, vel ab ipso artifice mihi ministrante.

Deum timētibus. Hæc scientia pars cabalæ est.

Quomodo metalla inter lapides differant.

CAPVT XI.

Quomodo Natura regit omnia, tam inferiora quam superiora, certis mensuris & rotationibus elementorum.

Filius. Quid intelligis, Domina, per instrumenta diuersa atque informationem diuersam?

Natura. Intelligo quod locus generat vel conseruat locatum; quod quidem Lullius in libro primo suæ quintæ essentiæ, capitulo quod incipit, Referimus: namque tibi egregie ventilat, dicendo, fili audi, quid super ista proportione dicit: hæc est multiplicatio & proportio tincturæ, quam Dominus noster dedit mihi naturæ ad faciendum transmutationem. Quoniam ex vno pugillo terræ, & nouem aeris, fiunt decē pugilla aquæ, & de vno pugillo aquæ, & nouem ignis, fiunt decem

Locus generat & conseruat.

Pondera sapie[illegible]

cem

cem pugilla aëris, ascendendo per scalam viuificationis naturæ grossæ, in simplicem & altam: similiter ex vno pugillo ignis, & nouem aquæ, fiunt decem aeris mortui, qui est aqua viua: & iterum de vno pugillo aeris mortui, qui est aqua viua, & nouem terræ, fiunt decem aquæ glorificatæ. Intellige ergo quia ista est doctrina, per quam omnis mensura, & omnis temperantia indiget fieri; & est necessarium quod sic fiat in hac arte, quia aliter fieri non potest. Ista enim proportio est cathena deaurata, & rota circulorum totius seculi, per quam ego natura gubernor, per omnia mea instrumenta in rotando & circuiando, hæc Raimundus.

Aqua viua.

His ponderibus tota natura gubernatur.

CAPVT XII.

In hac arte radices metallorum sunt cognoscendæ. Cognita hac scientia cæteræ scientiæ facile cognoscentur. Idcirco Deus omnium scientiarum donator orandus est.

Filius. Obsecro Domina, doce me clariore ac faciliore modo si poteris, nam ista quæ nunc retulisti, sunt nimis obscura.

Natura. Fili, vtere consilio Auicennæ, qui dicit, quod cognitio metallorum eorumque radicum, facile facit hoc magisterium: scrutare naturas eorum, & facilime quod tu desideras inuenies: scias quod per cognitionem speciei quã quæris, qualis ista proportio esse debet. Noli ergo vlterius de ipsa inquirere, eo quod magistro meo non placet, quod talia diuulgantur; sed stude diligenter, & implora tui creatoris auxilium, vt sua misericordia tuũ intellectum illuminare dignetur, non in ista specie duntaxat, sed in omnibus alijs, vt vna cum isto magisterio omnia simul agnoscas. Quia quicunque istam sciẽtiam per causam & rationem intelliget, omnia mea fere secreta eidem propalabuntur; eo quod ista est peculiaris ad omnes alias cognoscendas. Adhuc fili, volo te scire, quod Arithmerici suam materiam in Diadi siue binario constituunt; formam vero in monadi siue in vnitate. Nam Auerrois commentator Aristotelis (inquit) Infima supremis proportio dupla ligauit. Quare fili, prudenter interrogasti, pauci equidem sunt, qui de talibus dubitant. Imo inter mille vnum non video, qui considerat, quid in opere erit materia, siue forma, quam merito decipiuntur; nam eorum interrogatio non est nisi super Mercurium, quam si semel intelligunt argẽtum viuum esse, non petunt vlterius. Si sit bipartiens, vel vnicus, sufficit

Radices metallorum sunt cognoscendæ.

Deus donator secretorum orandus est.

Cognita hac scientia cæteræ cognoscuntur.

Materia est in binario & forma in vnitate.

sufficit illis, solum inuenire modum mortificandi ipsum, quia tunc existimant se inuenisse magisterium, cum in rei veritate sunt magis remoti quam ante fuerunt, quare super dubijs tuis te summe laudo.

Alchemistæ decipiuntur nomine Mercurii.

CAPVT XIIII.

In numeris omnia sita sunt. Imo elementa certis numeris ligantur.

Filius. Profecto Domina, memini me legisse in principio Boetij, de consolatione Philosophiæ, Tu qui numeris elementa ligas, quod eum temere non sic dixisse arbitror, vidi & certo experimento elementa inuicem combinari, aliquo numero, quod alio minime fieri potest; præterea Philosophi miradicunt de numeris. Nam Picus Mirandulanus ita eos exto lit, vt non vereatur dicere, per ipsos respònderi posse, ad omne scibile, quod profecto verissimum arbitror. Quare libentius de ijs interrogassem; saluo quod huiusmodi docere recusas.

Boetius de consolatione philosophiæ. Elementa numeris ligantur.

Natura. Multa secreta in numeris sita sunt, nihilominus si mihi intimaueris, in quibus erudiri cupis, ego forte precibus tuis acquiescam.

In numeris omnia sita sunt.

Filius. Ego enim informari cupio super corpus æquatum, vel potius æquandum; nam Philosophi affirmant, medicina nostra mediante; Omne corpus tam humanum quam minerale, siue vegetabile, rectificari posse: si ergo æquatum nō fuerit, quomodo dabit quod non habet?

CAPVT XV.

Hæc scientia est inuestigatrix rerum naturalium, qua peruenitur ad cognitionem abditarum rerum.

Natura. Profecto fili, quod quæris satis arduum est, quia tamen primo super dubijs tuis respondere spoponderam, omnia tibi manifestabo, sub conditione tamen quod nemini indigno reuelabis. Idcirco primum scire debes, quod ista scientia super cæteris profundius secreta mea inuestigat, eo quod ipsa sola imitatur me, tam in generationibus, quam in transmutationibus per digestiones superius declaratas. Quæ quidem ostendunt, qua ratione vegetabilia in animalibus & animalia in hominibus, hoc est dictum carnem & sanguinem humanum conuertuntur; denique ipsa rimatur omnimodas elementorum combinationes, quæ in vniuerso sunt, & (vt Auicennæ placet) centum quadraginta quinque numeran-

Natura vnius in naturam alterius.

numerantur. Quibus omnia per me propagata generantur, variantur, atque diuersificantur: quarum & cognitio ad illud quod quæris inueniendum erit tibi admodum necessaria; possuntque 145. prædicti ad 24. modos reduci, quos prout consequenter explicabo, quibus auditis percipies aliquas qualitates agere & pati; & hoc secundum magis & minus, per quas quidem finaliter inuenies modum æquandi elementa in vno corpore, quod est illud quod quæris. Non opineris tamen quod talis æquatio fieri possit secundum quantitatem leuis & grauis, quia corpus sic mixtum neque moueretur neq; quiesceret; oportet ergo quod fiat secundum substantias & qualitates elementorum. Quantum ad æqualitatem virtutis potentiæ in operando, quia possibile est ad multum de terra ponere, minus de igne, vt illud quod terræ est, habeat tantam potentiam, ad agendum sicut illud de igne; Et sic de cæteris. Quę cum sic fuerint congregatæ in mixto, Philosophi mixtam habere æqualitatem, in quo quidem maxime delector: eo quod in tali corpore neque est actio, neque passio, sicut videre potes in auro, quod minime corrumpi potest, ratione prædictææqualitatis: ad istas ergo combinationes accedamus. Quare prima talis est, quia aut erunt duo elementa, scilicet maiora, & duo minora, aut tria maiora & vnum minus, aut tria minora & vnum maius; Aut omnia æqualiter. Et hæc combinatio non potest esse secundum pondus, neque secundum quantitates qualitatum: oportet ergo vt sit secundum virtutes & potentias actiuas ipsarum qualitatum, eo quod complexiones attenduntur penes potentias & virtutes qualitatum, & non penes pondus & quantitatem. Intellige ergo quod ego hic loquor, de complexionibus, provt dixi tibi superius, si vero duo sunt maiora, aut erunt ignis, aer, aqua & terra erunt minora: hic est primus modus: Aut erunt ignis & aer minora, & aqua & terra maiora; & hic est secundus modus: Aut erunt ignis & aqua maio ra, & aer & terra minora; Et hic est tertius modus: Aut ignis & aqua minora, & aer & terra maiora; Et hic est quartus modus; Aut quod ignis & terra sunt maiora & aer & aqua sunt minora: Et hic est quintus. Aut ignis & terra sunt minora. & aer & aqua maiora; & sic est sextus: si vero aer combinetur cum aqua & terra (vt prius dictũ est de igne) aut cum terra fiunt combinationes sex: Licet non erunt modi diuersi secundum rem sed solum secundum rationem combinandi,

vt

vt patet: Quia si dicitur, quod aer & aqua sint maiora, terra & ignis sunt minora, iam fit sextus modus; si vero dicatur, quod aer & aqua sint minora, & ignis & terra sunt maiora, sic fiet modus quintus; si vero dicatur, quod aer & aqua sunt maiora, & terra & ignis minora, tunc est quartus modus; sic è conuerso tunc est tertius modus; si vero dicatur, quod aqua & terra sunt maiora, ignis & aer minora, tunc est secundus modus; si vero è conuerso, tunc est primus modus. Quare intelligere debes, quod Auicenna obnubilando has diuisiones, ponit duodecim modos, qui sunt nisi sex secundum rei veritatem. Qui si diuidantur in viginti quatuor, quilibet 4. modos habebit. Nam cum dicitur, quod aer & ignis sunt maiora, potest esse quod ignis sit maximus, & aer minor, & aqua minor, & terra minima. Et sic possunt modi omnes alij variari per quatuor, secundum formam nunc dictam. Nam in secundo modo cum dicitur, quod ignis & aer sunt minores, & aqua & terra maiores, potest esse quod ignis sit minimus, aer maior, aqua maior, terra maxima; & sic primus modus: vel ignis minimus, aer maior, terra maior, aqua maxima; & sic secundus: vel aer sit minimus, ignis maior, aqua maior & terra maxima; & sic est modus quartus. Et sic intellige per alios modos per exemplum istorum. Quare, fili, si ista omnia cognoscere volueris, lege ipsum Auicennam in sua maiori Alchemia.

CAPVT XVI.

Quatuor sunt gradus in rerum natura & non plures, & quod aurum est vltimus appetitus materiæ & formæ.

Filius. O Domina, non est mihi possibile tuæ doctrinæ dulcedinem explicare: quare te summe flagito, vt me iam instruas super illo corpore æquato, in quo neque est actio, neque passio, vbi dixisti te quiescere: eo quod in illo est vltimus appetitus formæ & materiæ.

Natura. Fili scias, quod complexio æqualis & temperata est ex qualitate quantitatum, quantum ad potentias actiuas, quæ quidem dicitur habere suos gradus; saltem respectu complexionis humanæ, & hoc vsque ad 4. secundum gradum dominij, vel secundum aliquos vsque ad decem gradus, quamvis Latini non doceant plures gradus quam quatuor, respectu sensus & humanæ complexionis, tum naturaliter & secundum se infiniti possunt esse gradus temperati, & æqualitatis. Tu vero in æqualitate tua habebis respectum ad aurum, ad instar

Vltimus appetitus materiæ & formæ. Quatuor gradus. Lapis non fit ex a... re, ... quo... est ... auri.

eius adæquabis opus quod quæris, & hoc fiet cũ radices eius cognoſces, alias decipieris.

Filius. Deo adiuuante tuam doctrinam imitando ſpero peruenire ad optatum; deprecor te tamen, vt exponas mihi iſtos quatuor gradus, ſecundum ſenſum humanæ complexionis.

CAPVT XVII.

Adhuc ſcientiam graduum proſequitur, & quod gradus vnus alium ſuperat.

Gradus vnus alterum ſuperat.

Natura. Fili ſcias, quod primus gradus reſpectu humanæ complexionis eſt ille, in quo eſt æqualitas, ſecundus vero æqualiter excedit, tertius quodammodo ad læſionem declinat; ſed quartus propter ſuum exceſſum lædit ſenſum. Exempli gratia. Aqua multum tepida ſenſum ſuccumbit, nec delectatur ſenſus in ea: & ſic eſt primus gradus. Quando vero eſt bene temperata, calido cum frigido, vt ſenſus in eo delectetur, tunc eſt ſecundus gradus. Quando vero eſt calida, & lædit ſenſum, tunc eſt gradus tertius; ſed ſi eſt bulliens, tunc eſt quartus gradus. Et ſic iſti gradus poſſunt ire in infinitum: quantum ad nos ſecundum augmentum iſtarum qualitatum, tamen in quarto ſtatu, reſpectu humanæ complexionis. Maxime cum complexio, de qua ſuperius tactum eſt, dicitur æqualis, & temperata humanæ complexionis, eo quod eſt humanæ naturæ maxime conueniens: non tamen ſentiendum, & ſciendo quod gradus deſideratur hic in rebus, quantum ad tactum & ſenſum; & ſecundum virtutem & poteſtatem vidi. Nam, Zingiber ſecundum tactum, naturam, ſenſum & ſubſtantiam eſt frigidum & ſiccum; ſed ſecundum virtutem complexionis, eſt calidum & humidum. Et vinum eſt frigidum & humidum ſecundum tactum exteriorem, & ſecundum ſubſtantiam & ſenſum; & ſecundum virtutem complexionis eſt calidum & ſiccum. Et ſic intelligere potes, quod vnum magiſterium eſt ſuo occulto contrarium.

Omne manifeſtum eſt ſuo occulto contrarium.

Filius. O Domina, quam dulcia ſunt eloquia tua! declara mihi adhuc modicum ſuper illa æquatione quam tantum deſidero, quia in iſtis combinationibus me in tantis inuoluiſti, quod cui parti adhæream ignoro.

Natura. Si magis de illo corpore æquato vel æquando ſcire deſideras, audi quid ſuper hoc ſentiunt Philoſophi.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Hic docet quid sit quadratura circuli, quam multi periti frustra quærunt, et Aristotelem non intelligunt, et alia tractantur in hoc capite.

Natura. Euclides in Rosario sic ait: huius aquæ proportionale scire poteris, si multiplices pondus corporum in duodecim. Item quidem alius: si continens habuerit duas libras, appone duodecim grana Mercurij præparati: Item lapis aquilæ sit 9. fermentum, id est pars tetræ, quia modicum de fermento totam massam corrumpit. Socrates in turba, si parum de auro posueris, exiet tinctura potens & candida. Parmenides, vnum superat decem. Hali, quantitatem ipsam, & scias eius pondus, & adde ei de humiditate quantum potest esse: eius quantitas non habet pondus determinatum. Item & alius metrice dicit: cuius pars dena rerum sit germina plena. In tractatu qui incipit terra stat. Terra debet bibere tantum, quantum de vino ipsum est. Item in eodem tractatu, pone tantum de vino, quantum de altero alio. Item Bacon de complexionibus corporum; Spiritus debet esse proportio, vel decima pars corporis. Item in alio tractatu: Proportio corporis fit secundum rationem tuam; proportio vero metalli est quinta & sexta pars medicinæ. Item in tractatu qui incipit, Venerande pater, per quadrangulum intellige quatuor elementa, & per duodecim tertiarias imbibitiones accipe pondera, verte ergo quadrangulum in rotundum, & totum habebis. Item in eodem aduertendū est oppido, quod pondera in hoc loco sumuntur æqualia sine angulo, & illud ideo quia sic vtimur æquali linea; sume ergo de vnoquoque æquale, eorum pondus. Iterum & alius metrice: Sulphuris & tantum capiatur de flumine quantum. Item tractatus quia nimis sermo: vide quod quantitas matris sit penes filium, vt habeat se numerus ternarius, 4. vicibus in se deductus. Audi similiter quid Hermes super hoc definit. O fili sapientiæ (inquit) scitote aquam sapienter ponderatam esse, cuius proportionem docebo consequenter Accipe ergo de humore 2 tertias, & de rubore meridionali, 4. partem, de sebit, id est, terra citrina, similiter, & de auri pigmento similiter dimidium, quæ sunt octo. Quæ quidem verba mystica sunt mysterijs plena, & sensu obscuro relata Item Ioannes Daustin, qui fuit excellens Philosophus.

Nota.

ſophus, ad quendam Cardinalem ſcribens. Ex denario diuino ſtatues vnitatem. Item Raym. Lulius cap. 91. Et ideo demonſtratum eſt, quod vapor menſtrualis terreſtris & argenti viui, non debent excedere, neque pondus metalli puri, niſi æqualiter illi. Et idem cap. 82. Adiungi ſibi capite rubeo nouenam partẽ; cuius complexio eſt calidiſſima, cum duabus partibus pedis albi. Item Comes Bernhardus: Deus fecit vnum & decem, & decies ipſum multiplicauit, & iterum idem, pone decimam partem cum decima parte. Item Arnoldus de villa noua. Non ſis prodigus neque auarus, ſed tene medium. Item alius: Vt ſit opus ſummum minus exigit vncia nummum. Item & quidem alius; Pondera propono, quibus hic ſecreta repono, Pondera quinque Iouis viui, ſint vincta duobus, Pondera quinque meri vicies, dant vulnera Marti. Item & alius, ſunt 24. horæ diei, adde vnum, & erunt 25. Fili, ego poſſem adducere adhuc plura eorum dicta ad iſtud propoſitum, ſed meo iudicio iſta videntur dubijs tuis ſatisfacere poſſe ſi illa intelligis, quia quamvis diuerſificari inuicem, in ſententijs concordant tamen omnes, in ſenſu & intentione.

Filius. Ego gratias tibi ago immenſas ô bona Domina, ſuper omnibus beneficijs tuis, non modo duntaxat, ſed multo tempore antehac exhibitis, tu enim me hic pulcre & ſagaciter inſtruxiſti, quamvis illa quæ nunc retuliſti, ſunt ſatis obſcura atque admodum difficilia; ſpero tamen (gratia DEI interueniente) mediantibus illis ad optatum peruenire: memini enim me legiſſe in libro Mariæ ſororis Moyſi, Matrimonifica gummi cum gummi: Et Morienus inquit, fac vt fumus rubeus album capiat: modum agendi tamen non declarat, ſicut multis modis iam (licet obſcure) feciſti.

Natura. Non eſt de iſta ſcientia quemadmodum de cæteris, nam iſta omnibus dari non debet: pauci enim ſunt tanta gratia digni. Quare eam per ænigmata, parabolas, ſcirpos, gryphos tropicos, & huiusmodi, de more antiquorum tradere oportet. Sapientes enim & DEO dilecti ſciunt eligere granum ex paleis, & teriacam conficere de ſerpente. Nam Bacone citato, vbicumque Deus magnam virtutem poſuit, ibi magnam difficultatem pro cuſtodia reliquit, vt eſt videre in viperis, in quibus maximum ſecretum latet, cum magno periculo, atque difficultate. Taceo iſtam ſcientiam quæ ducit maiorem partem hominum in eo laborantium ad confu-

Granum ex paleis ſeligere. Vbi Deus magnam virtutẽ poſuit, pro cuſtodia difficultatẽ relinquit.

confusionem : eo quod rari admodum sunt qui eam inueniant ; infiniti vero qui per eam deperdantur: tamen nihil in mundo ea verius inuenitur. Tu vero si prima lectione quæ tibi retuli intelligere nequiueris, reitera lectionē: & roga Creatorem vt tuum intellectum illuminare dignetur. Et sic finaliter quod quæris inuenies.

Precibus erga summum bonum assiduū esse.

CAPVT XIX.

Hæc scientia non acquiritur receptis aut vanis studijs, sed laborando, meditando, & re ipsa præstando.

Filius. Ego te imploro Domina, vt vnum saltem ex dictis tuis enucleare mihi non dedigneris, dixisti enim superius, viginti quatuor horæ sunt diei, adde vnum fient viginti quinque. Quod vtique verissimum esse arbitror, quid tamen per hoc velis ignoro.

Natura. Non te præterijt, quod sole lucente dies est in die tuo: quod est sol tuus ad istud opus peragendum: adde vnum lunæ, qui est Mercurius, & erunt 25. habes ne iam quid sit.

Mercurius Philosophorum.

Filius. Imo Domina, quare iterum atque iterum de omnibus viribus meis regratior. Profecto multum obligamur Philosophis, qui hanc scientiam nobis taliter tradiderunt, vt eam acquirendi cautos atque subtiles, imo & Deo magis deuotos redderent. Bene inquit Cato, dicens: Dulcia non meruit qui non gustauit amara, Dignus non est imperio qui negligit certare pro illo. Quis etiam victoriam potest sperare sine pugna?

CAPVT XX.

Docet quid sit primum mouens in rebus naturalibus. Quomodo ex vno grano seminato natura multiplicat in infinitum. Sic & Ars facit imitatione naturæ; Et absoluto lapide poteris ad talem formam ducere qualem volueris.

Natura. Iam fili video quod sapere incipis, quare libentius àmodo te instruam. Scias ergo quod primum mouens in me natura, est spiritus vegetatiuus, qui in vegetabilibus humor aereus, in animalibus vero humor radicalis: vel calor innatus dicitur: Et est propriæ ignis naturæ: Non intelligas tamen, quod sit calidus ignis & siccus. Imo vt prius dixi, est naturalis: qui proprie dicitur calidus & humidus: & propter hoc Philosophi dicunt suum lapidem esse vegetabilem,

Primū innatus est Spiritus vegetabilis, Ignis naturæ neq; calidus & siccus, sed calid' & humidus.

eo quod absque tali spiritu neque cresceret neque pullularet.

Filius. Quomodo eum crescere ac pullulare ais, ô Domina? ego enim non intelligo quod crescat neque multiplicetur, nisi prout panis crescit apponendo magis de farina, & rebus cæteris quo ad ipsum faciendum requisitis.

Natura. Fili tu male intelligis: eo quod lapis id est medicina quam quæris pullulat, & multiplicatur, quemadmodum granum frumenti cadens in terram bonam, cum mortuum fuerit, multum fructum affert. Quia (Diuo Paulo testante) quod seminatur non fructificatur nisi prius corrumpatur, & moriatur. Cum corrumpitur, ergo multa alia grana inde producere poteris. Modo simili hic intelligere debes, quia de vno calco quod est pondus minimum, grano excepto, centum mille talenta quod est pondus maximum; imo millesies mille millia talenta & vsque in infinitum, sine fine, aut aliquo numero determinato, quantum ipse volueris de potentia ad actum producere poteris. Quare satis debile exemplum de pane assumpsisti, eo quod panis nullam cum eo similitudinem habet (fermentatione duntaxat excepta) quæ quidem in isto opere est admodum necessaria, & hoc pluribus rationibus. Exemplum in hominis creatione vel potius generatione, si matrix mulieris non habuerit aliquid de menstruis post ipsorum generationem, (quæ ibi pro fermentis capiuntur) generatio hominis esset impossibilis. Similiter panis quem pro exemplo adduxisti, si non fermentaretur, esset satis difficile eum ducere in saporem panis: Quare fili multa secreta latent in fermentatione: quæ longum esset enarrare. Quia in tei veritate, ibi latet fere totum secretum. Quia postquam lapis est completus & perfectus, tu poteris eum ducere ad quamcumque formam quam volueris, ista fermentatione mediante. Vide ad hoc propositum quid dicunt Philosophi. Omne fixum in fixo, vertitur in naturam fixi. Nonne vides sperma in omnibus animalibus vnum? eo quod generatur ex sanguine bis cocto, & tamen in diuersitatem loci in quo proijcitur producit diuersas formas? Aduerte ergo quid dixi superius, quod locus generat locatum. Sperma enim in omnibus animalibus est, quemadmodum Mercurius in mineralibus; dicitur enim Mercurius propter suam mirabilem conuertibilitatis adhærentiam: nam adeo versipellis est, quod semper illi assimila-

Nota.

Exemplũ de hominis generatione.

Nota.

Postquam lapis est perfectus, potes eũ ducere ad talem formam, quã volueris.

Sperma est sanguis bis coct⁹. Hic.

Mercurius versipellis.

assimilatur cui iungitur. Vt in superiori astronomia, cum bonis bonus est, & fortunatus, cum malis malus & infortunatus, scias ergo ipsum in astronomia inferiori temere non posse modo simili assimilatum, nam in inferioribus omnino se haber, sicut in superioribus, quæ omnia profecto te intellexisse arbitrabar, nisi paulo ante satis stolide locutus esses.

Filius. Ædepol, Domina, memini me audiuisse quendam Philosophum dicere: qui nondum errauit, nondum incepit; sine me ergo paulatim errare antequam incipiam; quia in multis alijs etiam ambigo, quamquam gratiose in omnibus quæstionibus meis respondisti: ego adhuc incertus sum, super hoc quod superius dixisti, ipsum oportere habere spiritum vegetatiuum: non enim in mineralibus talem spiritum videre possum. In animalibus siue in vegetabilibus ipsum clare video.

Qui non incepit, nondum errauit.

Spiritus vegetabilis necessarius.

CAPVT XXI.

Medicinæ pharmacopæorum sunt corruptibiles, Medicina physicorum incorruptibilis; Lapis multiplicatur multitudine spirituum.

Natura. Audi Fili, quid Raimundus Lulius & Ioannes de Rupecissa eius collega, in suis quintis essentijs super hoc sentiunt; Velle præseruare per rem putridam & cito corruptibilem, & reformari per rem deformitati subiectam, & facere corruptibilem per rem deficientem, & infirmum curare per rem infirmam, & pulcre facere per rem fœdam est fantasticum & inane. Cum ista enim medicina poteris omnem infirmitatem etiam desperatam sanare: Aurum & argentum lapidesque producere preciosos; si ergo ipsa de re corruptibili facta esset, quemadmodum medicinæ de præparatione apothecari, quarum virtus momentanea recedit prima actione proiecta; quoniam non mutant, sed mutantur: quamvis actionẽ fecerunt ad diuersa (digestione tamen superante) vertitur substantia earum in idem medicatum: eo quod sunt ex rebus cito corruptibilibus composita (vt superius dixi) Audi etiam quid Rogerius Bacon super hoc sentit; Ait enim in epistola de retardatione senectutis: Res quam plurimas quæ suas vires & fortitudines ostendunt, sua forma, sua materia, essentia, colore, durabilitate, conseruatione, & corruptione. Nam vt ipse ait: illud conseruat quamdiu cõseruatur; & illud corrumpit, q̃ cito corrumpitur. Vide ergo qualis complexionis & potestatis esse debet;

Raimund & Rupecissa de quintis essentiis.

Pharmacopolarum medicinæ mutantur sed non mutant.

Materi lapidis debet esse incorruptibilis.

debet; Quia si sit corruptioni subiecta, in vanum super eam laborabis; Quia vt Iob placuit; quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? per istas rationes clare videre potes, rem istam, quam quæris, minime subijci corruptioni: Quantum ergo ad hoc, quod de spiritu

Exemplū.

vegetabili dubitasti? Nonne vides, quod si granum frumenti vel alterius seminis perforatum fuerit antequam seminatur, perdet suum spiritum vegetabilem; quia non potest crescere nisi illo spiritu mediante, Deficiente enim causa, ergo

Lapis multiplicatur multitudine spirituū.

deficiet & effectus. Modo simili, quomodo sperabis ex parua quantitate tui lapidis medicinam multiplicare in infinitum, nisi virtute illius spiritus. Nullam enim rem vegetare possum absque illo. Illa enim est prima potentia in homine dicta vegetabilis (potentia elementari excepta) &

Cum potentia vegetabilis debilitatur cęteræ potentiæ pariter debilitatur.

habet sub se potentiam generatiuam sub alijs quatuor potentijs, quas ego explanaui tibi superius, & dicuntur appetitiua, retentiua, digestiua, & expulsiua; quæ cum bene proportionatæ sunt sine aliqua alteratione, vt ego ipsas ordinaui, totum hominis corpus erit sanum; & alia potentia, quæ dicitur sensibilis completa. Perfecte dijudicas, per suos quinque sensus exteriores, omnia eorum obiecta, & si deinceps tertia, quæ dicitur imaginatiua: denique & quarta, quæ rationalis dicitur. Vide enim aliquid in potentia vegetabili debilitatum, sensualis potentia infatuatur; quia putat videre quæ non videt, & audire quæ non audit: gustus non est ei bonus, nec recte discernit per olfactum. Quare ipsa vegetabili potentia alterata; alterantur & destruuntur cæteræ potentiæ. Peroptime ergo sequitur illam potentiam vegetabilem, siue spiritum eius peculiarem, ad tuam medicinam generan-

Nota. Iste spiritus quærendus est tā in corporibus quam medis.

dam siue producendam. Quod si tu (vt prius dixisti) ignoras talem spiritum fore in mineralibus. Inquire diligenter de eo, tam in corporibus quam in spiritibus, siue medijs, quia sine ipso nunquam perficies.

Filius. Profecto Domina, omnia quæ dixisti verisimilia sunt prima fronte, tamen sunt intellectu difficilia. Memor sum te dixisse superius, ad medicinam instar auri esse æquandam, sequitur ergo quod non sit aurum.

Natura. Dedi superius distinctionem auri, vbi de Angelis solis locuta sum; & qualis ille sol est, qui exaltari debet, cum nonnullis rationibus: Quare sol vulgi nō exaltatur; quem

quem Plinius in ſua naturali hiſtoria definit, dicens: Sol omnium corporum nobiliſſimus, nihil igne deperit, tantisq; incendijs rogisq; durante materia. Perpendis iam, quod ſi æquatus in ſuis qualitatibus non eſſet, ignem tolerare minime poſſet, & hoc durante materia. Quare dixi tibi, quod ad inſtar ſuæ qualitatis, medicinam tuam adæquare neceſſe eſt. Nō erit ergo ille medicina, ſed coadiuuans; quia nō habet illum ſpiritum vegetabilem in ſe, de quo locuta ſum; quamuis Raſis dicit tincturam eſſe in lapidibus, quemadmodum cor in animalibus. Et ſic clare vides quod ipſe non eſt, ſed Philoſophorum qui exaltandus eſt; ego enim ipſum exaltaui quātum poſſibile eſt. Quare dicitur carus, alter vero vilis, & parui pretij. Exalta ergo ipſum ſublimando vſque ad ſuum faſtigium: Tu enim reperies eum per attractionem, quam ſuperius declaraui: & cum videris eum ſic exaltatum, tunc eſto certus, te operare in vna re; quia puritas eſt vnius eſſentiæ, impuritas vero diuerſarum. Vide ergo diligenter, vt vnam rem & non plures habeas, & in ſumma, vt tibi ſatisfaciam, totius artis iſtud ſecretum per anacephalæoſim reſerabo. Intellige fili, iſtam ſcientiam ſe omnino habere, quemadmodum alimenta in alitum. Ego vero ſuperius locuta ſum de appetitiua, retentiua, & digeſtiua, hic iterum conabor, non ſolum modū digeſtionis tibi oſtendere, verum etiam qua ratione ipſum in alitum vertitur.

Materiam lapidis aurum eſſe minime, ſed inſtar æquanda ☉ eſt.

Sol, non erit medicina ſed coadiuuans.

Sol philoſophorū vilis & parui pretij.

Puritas eſt vnius eſſentiæ

CAPVT XXII.

Digeſtio fit beneficio caloris humidi, & non ſufficit in opere calorem externum habere, ſed illum qui in materia deliteſcit.

Natura. Intellige fili, quod vbicunq; vegetatiuum eſt pro inſtrumento, ſenſitiuum vero pro motore: quare apparet digeſtio fieri virtute motoris, & non inſtrumenti: Quia, dato quod animal ſumat ſibi aliquod vegetabile pro cibo, non tamen conuenit ille cibus in vegetale, ſed in ſenſitiuum; oportet ergo quod ipſa cōuerſio fiat virtute caloris naturalis illius ipſum cibum digerentis: Eo quod nullam aliam cauſam quare hoc fit perpendimus. Non eſt tamen veriſimile hoc fieri (calore duntaxat mediante) quia ſi ſic, digeſtio fieret citius per focum, quam per calorem naturalem. Quæ ſic facta, non tamen conuerteretur in ſanguinem & carnem & oſſa, (vt experientia docet) neceſſe eſt ergo, aliquam aliam cauſam oc-

Digeſtio fit beneficio motoris.

cultam ibi esse, quæ minime apparet, & dato quod locus cõseruat & generat locatum, (vt superius dictum est) tamen illa causa non per hoc propalatur: est tamen aliquo modo satisfaciens dubijs hominũ. Intellige ergo fili quod calor extrinsecus ignis, non erit tibi sufficiens in tuo opere, habitis etiam omnibus rebus operi necessarijs cũ illo calore naturali materiam digerente, nisi illam causam occultam etiam habueris, quam ego clare hic aperui, si me bene intellexisti. Ipsa enim latet in motore, & non in instrumento, vt superius dictum est.

Calor externus nõ sufficit.

In motore latet & non in instrumẽto.

CAPVT XXIII.

Natura docet rem omnem esse cum anima, id est, spiritu vegetabili, qui quidem Spiritus mouet res ad esse. Item hanc artẽ, arbitrij nostri non esse sed Dei omnipotentis: Ideo inuocandus & orandus est.

Filius. Domina, tu hic profunde loqueris id videre videor, illa quæ nunc addnxisti tangunt rem cum acu; nõ tamen bene video, quomodo ad instar illius causæ occultæ possum opus meum dirigere, nisi quod dicis motorẽ illius effectus esse causam. Erit ergo illa causa in anima, quæ nullum effectũ faciet, nisi existens in corpore proprio, eo quod natura, nõ nisi in sua lætatur natura, vt dicitur de spiritib. in corporib. mortuis existentibus, quia quamuis faciunt mouere ipsa corpora, loqui & comedere; non tamẽ digerunt per calorem naturalem, quem minime habent, & per consequens per illam aliam causam occultam, de qua sic locuta es.

Natura. Fili, optime respondisti, quia sic est in rei veritate. Iunge ergo animam cum suo corpore (suo spiritu mediante) quia anima nullo alio modo coassumet suum corpus, nisi per proprium spiritum, eo quod ipsa est in natura, à suo corpore nimis remota; verum si interponatur spiritus cum vtroq; symbolizans, tametsi corpus per se efficax & ineptum, longeq; à natura animæ remotum, tamen existens conformis vtrique facile vtrumque, & ad vtramq; fiet attractus. Intellige ergo quæ tibi dixi, quia ꝑ hoc attinges magisteriũ. Quod si omnia capere primo impetu nequiueris, roga Creatorem tuum, vt gratiam suam concedere tibi dignetur, mediante qua intelliges & cõplebis. Noli tamen hanc medicinam ab ipso quærere, vt alios excedas & superbiaris, quemadmodũ faciunt arrogantes & ambitiosi, se ipsos de possessionibus suis iactantes, quo-

Iunge animam cum suo corpore.

Nota.

Creator rerum exorandus est.

Philoſophi artem potius occultare conati ſunt quam patefacere: Etenim in Metallis ſcientia tota conſiſtit & eorum radicibus: propterea characteribus, diuerſiſque Nominibus ad artem occultādam vſi ſunt: Ego vero ſtudioſis ſcientiæ plane, vt nactus ſum in meis peregrinationibus offero: boniquе conſulite:

B. à Portu Aquitanus.

Pigmæi.	*Siluani.*	*Vulcani.*	*Penates. Superi.*	*Heroes.*	*Nymphæ.*	*Lemures. Manes.*
♄ *Pluml um.*	♃ *Stannum.*	♂ *Ferrum.*	☉ *Aurum.*	♀ *Cuprum.*	☿ *Mercurius.*	☾ *Argentum.*
Myſterium extremæ vnction.	*Myſterium. Ordinis.*	*Myſterium. Contritionis.*	*Myſterium. Altaris.*	*Myſterium. Coniugij.*	*Myſteriū Confirmationis.*	*Myſterium Baptiſmatis.*
Sal marinum.	*Sal armoniacum.*	*Sal petræ.*	*Sal commune.*	*Vitriolum.*	*Alumen plumoſum.*	*Alumen.*
Splen.	*Epar.*	*Fel.*	*Cor.*	*Renes.*	*Pulmo.*	*Cerebrum.*
Antimonium.	*Viſmat.*	*Chobolt.*	*Sulphur.*	*Thutia.*	*Cinabrium.*	*Talc.*
Capricornus.	*Libra.*	*Aries.*	*Leo.*	*Taurus.*	*Virgo.*	*Cancer.*
Noctua.	*Columba.*	*Struthio.*	*Aquila.*	*Pauo.*	*Ciconia.*	*Cinnus.*
Linum.	*Hordeum.*	*Auena.*	*Triticum.*	*Piſa.*	*Milium.*	*Siligo.*
Vrſus.	*Ouis.*	*Equus.*	*Vnicornu.*	*Alpus.*	*Panthera.*	*Tigris.*
Bufo.	*Aranea.*	*Scorpio.*	*Draco.*	*Lacerta virid.*	*Baſiliſcus.*	*Serpens.*
Decrepitas.	*Senectus.*	*Virilitas plena*	*virilitas prima*	*Iuuenilitas.*	*Pueritia.*	*Infantia.*
Calx metallorum.	*Oleum vel reſina metallorū.*	*Sal metallorum.*	*Tinctura metallorum.*	*Crocus metallorum.*	*Mercurius metallorum.*	*Liquor metallorum.*
Putrefactio.	*Deſtillatio.*	*Calcinatio.*	*Tranſmutatio*	*Coagulatio.*	*Sublimatio.*	*Solutio.*
Dij terreſtres.	*Dij aeri.*	*Dij ignei*	*Dij cæleſtes.*	*Dij mortui.*	*Dij aquei.*	*Dij infernales.*

Hæc tabula inſerenda eſt pagina 123. ſecundæ partis, ante prologum lib. 12. portarum Georgij Riplei.




0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

quoniam omnes tales, non solum à Deo, sed ab ista scientia, & omne Dei dono reprobati, & indigni inuenti sunt. Scrutare ergo illam, vt omnibus viribus Deo seruias, & videas quãta impie fecit pro hominibus bonę voluntatis, & sic finaliter, qui misericordia infinitus est, gratijs infinitis dignum inuenies, cuius sanctissimum nomen sit benedictum Amen.

Oportet philosophum operatorẽ humanũ esse, superbum iactabundum, esse minimę.

GEORGII RIPLEI ANGLI IN LIB. SVVM XII. PORTARVM PROLOGVS.

O Lumen incomprehensibile, Gloriosum in maiestate.
Cuius radiorum claritas offuscat nostra lumina.
O vnitas in substantia, & triplex in Deitate.
Hyerarchij iubilei gratulans glorificatio.
O misericors, animorum purificatio, & pura perpetuatio.
Ex occurrentibus periculis qui nos eripis benigne.
Ex hac turbulenta valle vanitatis cælo infers.
O potentia & sapientia, ô benignitas inexplicabilis,
Sustine me quotidie, sisq; meus gubernator,
Vt numquam tibi vita mea displiceat, sed potius
Tibi obediam tanquam fidelis professor.
In meo principio (Bone Deus) audi preces meas.
Virtute tua gratia adauge voluntatem meam.
Da simul vt possim voluntatem tuam absoluere.
O scrinium excellens & abundans omni thesauro,
Tu es a quo omnis bonitas largissime manat
Ad homines atque ad quamlibet Creaturam.
Digneris igitur tueri opus tua potentis dextra.
Ne tempus nostrum in vita teramus inutiliter.

Concede sine fraude, vt victũ nobis cõparemus ne in periculum grande peccatorum incurremus: Et quandoquidem nos tua de causa renuntiauimus nostræ voluntati, mundo & con-

& concupiſcentijs eius. Tanquam proprium & ſpontaneum profeſſorem me recipe, cum ex te ſolo dependeat noſtra fiducia tota: vlterius non poſſumus: nos tibi ſubmittamus oportet, occultos tuos theſauros dignare nobis detegere. Oſtende nobis tua abſcondita, nobisque ſis benignus. Inter alios qui te profeſſi ſunt, me ipſum offero cum humili ſubmiſſione orantem, vt tuus ſeruus poſſim eſſe, vita integra, non aliena à mea profeſſione: deprecor Domine vt mihi velis ignoſcere, famulis tuis fidelibus ſi tua ſecreta aperuero. Amen.

GEORGII RIPLEI DVODECIM PORTARVM AXIOMATA PHILOSOphica.

DEVS æternus in principio omnia ex nihilo, Sphæricum opus & obſcurum ex confuſo chao creauit.

Ex vna Maſſa confuſa creata ſunt omnia quæ nunc ſunt.

Hoc principium vnum eſſe poteſt ad declarandum noſtri benedicti lapidis materiam.

Noſter lapis appellatur Microcoſmus, vnus & trinus, Magneſia atque Sulphur, & Mercurius à Natura proportionatus.

Philoſophi vocant argentum viuum, & non vulgare, ſine quo nullum exiſtens eſſe poteſt.

Propinquius inuenitur in quibuſdam rebus; quam in alijs.

Intelligas tres eſſe Mercurios, qui ſunt claues totius ſcientiæ, Raymundus vocat ſua menſtrua, ſine quibus nihil fit in arte.

Mercurius aliorum corporum eſſentialis, noſtri lapidis præcipuum materiale eſt.

Lapis eſt anima & ſubſtantia, per quam terra recipit ſplendorem.

Quid aliud eſt Aurum & Argentum quam terra munda, alba & rubea.

Totum compoſitum vocamus noſtrum plumbum, qualitas ſplendoris à Sole & Luna prouenit,

Tolle

Tolle ab eis præfatum ſplendorem, & tunc terra erit parui momenti.

Nullum corpus immundum (excepto vno) quod vulgariter à Philoſophis vocatur Leo viridis, quod eſt medium coniungendi tincturas, inter Solem & Lunam cum perfectione, intrat magiſterium noſtrum.

Ambo principia materialia debent ſolui & formalia, alioqui parui eſſet momenti.

Hæc menſtrua noſcas tibi dico, ſine quibus vera calcinatio nec naturalis diſſolutio fieri poteſt.

Hic lapis eſt vapor potentialis metalli, hunc quo pacto acquiras oportet te eſſe cautum.

Inuiſibile profecto eſt hoc Menſtruum, quanquam cum ſecunda aqua philoſophica per ſeparationem elementorum in forma aquæ claræ, apparet. Et ex hoc Menſtruo labore exuberato cum eo poteſt fieri ſulphur naturæ ſi ſit circulatum in ſpiritum purum. Tum cum eo poteris diſſoluere tuam baſim aut maſſam diuerſis modis.

Oleum inde extrahitur coloris aurei aut huic ſimile ex noſtro ſubtili rubro plumbo. Nam Raymundus cum proximus eſſet morti, ex eo fecit aurum potabile, quod illum reuificauit

Iſtud aurum potabile, ſiue oleũ citiſſime occidit Mercurium crudum, quum ſuper eum proiicitur, & Mercurius ille tingit ſtabili tinctura omnia corpora in Solẽ & Lunã perfecte. Hoc pacto guberna baſim vtramque & rubeam & albam.

Calcinatio eſt purgatio noſtri lapidis, eum reſtaurans ſuo proprio naturali calore, inducens ſolutionem noſtro lapidi inprimis neceſſariam.

Neque enim corroſiuis, aut igne ſolo, aut aquis ardentibus, aut vapore plumbi, noſter lapis calcinatur: nam huiusmodi calcinatione corpora deſtruuntur, quæ diminuunt humiditatem noſtri lapidis.

In calcinatione noſtra humidum radicale multiplicamus: nam genus cum genere habet inclinationem appetibilem, qui hoc non nouit, cæcus eſt in ſcientia.

Iunge genus cum genere, & ſpeciem cum ſpecie, vt æquũ eſt: nam vnumquodq; ſemen reſpondet ſuo proprio ſemini.

Omnis Spiritus figitur cum calcibus ſui generis.

Philoſophi calcem conficiunt vnctuoſam, tam albam quã rubeam,

rubeam, trium graduum, antequam nostra basis sit perfecta, liquida vt cera, alioquin nulli est vsui.

Annum enim sumimus pro nostra expectatione: nam minoris temporis spacio, calx nostra non potest confici.

Si aqua tua æqualis fuerit, in proportione cum terra, calore mensurato, ex his emergit nouum germen, simul album atque rubeum, quod in igne perpetuo durabit.

Fac trinitatem vnitatis sine dissensione, hæc est certissima optimaque proportio.

Quo minor pars spiritualis, hoc facilior erit dissolutio potius quam si nimia aqua terram submergeres, quod totum opus destruit.

Semper hoc in pectore geras, vt nunquam tua terra aqua suffocetur.

Noli quærere in re id, quod in ea non est, vt, in Ouis, sanguine, vino, vitriolo, aut in medijs mineralibus.

Nihil emolumenti in rebus non metallicis est.

In metallis, ex metallis, per metalla, perfecta metalla fiūt.

Primam omnium tuorum Elementorū, fac rotationem, & in aquam, terram conuerte ante omnia: Deinde ex Aqua fac aerem, & aerem reduc in ignem. Hoc peracto, retrorsum reduc terram tuam, aliter incassum laboras.

Lapis noster habet nomina propemodum infinita: nam ab vnaquaque re, quæ nigra est in aspectu, denominatur. Cum lucidus fit, tunc habet nomina iucunditatis, secundum res albas similiter & rubeas, & tandem est vna res.

2.a. Virtute nostri primi Menstrui clari & lucidi, in quo corpora nostra patiuntur Ecclipsin, & à suis duris & siccis compactionibus, subtiliantur & in suam primam materiam retrograduntur.

Nihil hic est pręter Sororem & Fratrem, id est, agens & patiens, Sulphur & Mercurius coessentialia generantur.

Dissolutio vnius partis corporalis, causat congelationem alterius partis spiritualis.

Cum terra prorsus in cinerem redigitur, tunc est aqua cōgelata, hoc intellige Quando corpus à prima sua forma est alteratum, noua forma immediate inducitur.

Nihil est in rerum Natura spoliatum omni forma.

Omne metallū fuit aliquando aqua mineralis. Quamobrem, cum aqua rediguntur in aquam omnia, in qua aqua natu-

naturaliter sũt quatuor qualitates repugnãtes cũ diuersitate.

In vno vitro debent omnia fieri, ouo simili in forma & bene clauso.

Nunquam permittas tuum vitrum esse calidius, quam vt possis sustinere manu nuda, quamdiu lubet, durante tempore solutionis.

Caue ne vitrũ hoc vel aperias, vel moueas vnquã, ab initio vsq; ad finẽ, si secus feceris, opus tuum perficies nusquam.

Exicca terram, donec illa sitiat calcinando: alioquin in vanum laboras. 3

Materiam in duas partes diuide, ita, vt subtile à grosso separes, donec terra in fundo manserit colore liuido.

Pars altera spiritualis est, & volatilis, sed omnia illa in vnã rem debent conuerti.

AQVAM, ad quam debes reuificare lapidem, vide vt destilles eam, antequam cum ea opereris, sæpius per se solummodo ex visu poteris cognoscere, quum erit purgata à fæculẽtis fæcibus, quam aliqui possunt multiplicare cum Saturno, & alijs substantijs, quas reijcimus.

Destilla eam, donec sit mũda & tenuis, vt aqua, colore cœruleo splendenti liuido, retinens simul suam figuram & ponderositatem. Cum ea humectauit Hermes suam arborem, cũ suo vitro, fecitque crescere in altum flores.

Tum enim est vera theriaca, maxime valet ad expellenda venena, & in suo opere mirabilia quædam ostendit, multos morte eximens, vitæque seruans. Vnde eam ne misceas cum corrosiuis.

Hermes eam vocauit suum vẽtum, ob suum volatum procliuem à Sole & Luna, marito & vxori, faciens mox cum eo lapidem nostrum volatilem, mortuum vitæ reddens, vitamque impertiens Soli & Lunæ, marito & vxori.

Itaq; prius diuidas quod prius natura ligarat, Mercurium essentialem cõuertens in ventũm, sine qua naturali & subtili separatione, nunquam profutura complebitur generatio.

Aqua debet septies esse sublimata, alias nulla naturaliter fiet dissolutio, nec putrefactionẽ vllam videbis, picis instar liquidæ, nec apparebunt colores, ob defectum ignis in tuo vitro operantis.

Quatuor sunt igniũ genera q̃ scire debes: Naturalis, Innaturalis, contra naturam & Elemẽtalis, qui accendit lignum, his ignibus vtimur, & non alijs pluribus.

Ignis

Ignis Naturę ineſt omnibus rebus, & eſt tertium menſtruum. Innaturalis ignis occaſionatus vocatus, & eſt ignis cinerum & balneorum ad putrefaciendum, & abſque his nihil perduces ad putrefaciendum.

Ignis contra Naturam debet excruciare corpora, ipſe eſt draco violenter comburens, vt ignis inferni.

Fac igitur ignem intus in tuo vitro, qui comburat corpora efficacius, quam ignis Elementalis.

De Conivnctione.

Coniunctio eſt copulatio ſeparatarum qualitatum, vel adæquatio principiorum.

Qui non poteſt ſeparare Elementa, & ea diuidere, à via aberrat.

Diuide Animam à Corpore, anima cauſabit coniunctionem perpetuam.

Mas, id eſt Sol noſter debet habere tres partes, & illi⁹ vxor nouem, tunc par cum pari gaudebit ſemper.

Centum quinquaginta dies, in putrefactione vſque ad albedinem, inſtar oculorum piſcium.

Sine dubio ſolutio & connexio ſunt duo principia arduæ huius ſcientiæ, licet plura alia principia ſint.

De Pvtrefactione.

Ea eſt corporum interemtio, tanto tempore in balneo, vel noſtro fimo, dum noctes transierint nonaginta, in humido calore hoc conſerua diligenter. Mox poſtea nigredo erit tibi index, quod illa ad putrefactionem properat.

Nam ſimul vt pix liquida, eo tempore turgeſcent & ebullient, colores inſtar iridis, aſpectu pulcerrimi, & tunc Aqua incipit omnino dealbari.

In corporibus humidis calor temperatus agens, nigrediñe parit, qua habita non eſt quod timeas: nam eo modo ſubſequetur germinatio noſtri lapidis, & ſtatim cum triginta dies transierunt, Vuas habebis. Hoc eſt noſtrum Adrop, Vzifur atque plumbum rubeum.

A violento calore ac ſubito frigore defende vitrum tuum, moderatoque adeo vtere igne, & caue à vitrificatione.

Aduerte quam tibi deligas materiã, ne miſceas de ſalibus, ſulphuribus, nec medijs mineralibus: Nam quicquid Sophiſta garriat, Sulphur noſtrum & Mercurius ſunt in Metallis tantum.

Si

Si Deus hanc scientiam per medium aliquod tibi cōcesserit, ne detegas quicunq; sit qui postulet, nec fauore nec pretio aliquo. Ne sis oppressor, scortator, impudens, sed Deo seruias, & pauperes sint tibi curæ.

De Coagulatione.

Congelatio est mollium rerum induratio in calore candido confixatioq; spirituum volatilium.

Elementa protinus conuertuntur, nostra autem congelatio minime: quæ congelata in aere non liquescit in Aquam, aliter opus nostrum destrueretur.

Cum Materia facta est cādida, tunc Spiritus cum corporibus congelabuntur. Tibi est adhuc statuendus longus terminus antequam talis congelatio tibi appareat in similitudine perlarum.

Causa horum omnium est calor temperatissimus operans & mouens continenter materiam.

Crede mihi omnis perijt tuus labor nisi terra tua reuificetur aqua, Congelationem veram nunquam videbis.

Aqua est secretum ex vita omnium rerum in toto orbe existentium, aqua res singulæ habent suum initium, vt cernere est in feminis paturientibus, quæ prius aqua ab illis ante partum emanat non sine magnis doloribus.

Substantia nutritur suo proprio menstruo quod Aqua & Terra solū produxit, cuius color est viridis ꝓprio aspectu.

Intellige nunc quod ignea nostra Aqua sic acuata vocatur Mēstrualis aqua, in qua terra nostra soluta est, & naturaliter calcinata per congelationem: vt ea nunquā possint diuidi.

Quando fecisti imbibitiones septem, tunc iterum debes totam circumuoluere & putrefacere omnē illam materiam sine additione, primo nigredinem spectans, tunc in albedinē congela totum: Tum basim ad finem perduxisti: ac post per medium, in rubedinem ascende.

Sic aqua tua diuisa est in duas partes, cū prima parte corpōra purificantur. Secunda pars imbibitionibus destinatur, cum qua postea materia denigratur, statimq; super leui igne albificatur, reduc eum ad Rubedinem.

De Cibatione.

Cibatio vocatur nutritio nostræ materiæ siccæ, lacte & cibo datis vtrisq; moderate, donec reducatur ad tertiū ordinē. Nunquam illi tantum des, vt eam suffoces, ne aquei humores

ſuperent ſanguinem: nam ſi bibit nimium, prouocandus eſt vomitus, alioquin diu ægrotabit.

Tribus vicibus rotam tuam circumuertes ſeruans dictæ cibationis Regulam, ac tum, quam primum ignem ſenſerit, vti cera citiſſime fundetur.

DE SVBLIMATIONE.

Ne ſublimes ad ſummitatem vaſis: nam ſine violẽtia, non coges rurſus ad fundum.

Temperato calore inferne quadraginta dierũ ſpacio, donec nigrum ſit & obſcurum.

Corpora dum putrefiunt ſublimantur magis ac magis, donec in aquam omnia eleuata fuerint.

Sublimationem facimus tribus de cauſis: prima eſt vt corpus fiat ſpirituale, ſecundo, vt ſpiritus fiat corporalis, & fixetur cum eo, & conſubſtantialis fiat. Tertia cauſa eſt, vt ab originali immunditia purgetur, & eius ſalcedo ſulphurea diminuatur in eo qua eſt infectũ, ſublimãtur in altũ albiora niue.

DE FERMENTATIONE.

Fermentationes fiunt diuerſis modis, per quas medicina noſtra perpetuatur.

In claram Aquam quidam ſoluunt Solem & lunam, & cũ eorum medicina, faciunt ea coagulari, talis fermentatio non eſt noſtri propoſiti.

Hoc totum eſt de noſtra intentione, vt prius atteres antequam fermentes.

Fige tuam Aquam & terram ſimul ſtatim, & cum medicina tua fluit vt cera, tunc vide (vt ſupra) vt ſupra amalgamata eam proijcias Et cum omne illud ſimul eſt mixtum ſupra tuum vitrum bene clauſum fac ignem, donec totum ſit fixum, tunc fac proiectionem, ſicut placet tibi, quia ea eſt medicina omnino perfecta, ita facies fermentum tuum, tam rubrum, quam album.

Vera fermentatio eſt animæ cum corpore incorporatio, reſtaurans ei naturalem odorem, iuſtum, & colorem, per naturalem inſpiſſationem rerum ſeparatarum.

Nam ſicut magnes trahit ad ſe ferrum, ſic noſtra terra per Naturam trahit deorſum animam ſuam ad ſe, eleuatam cum vento.

Nam terra fermentum eſt ſine dubio aquæ: & viciſſim aqua terræ.

Aquam

Aquam facimus maxime odoriferam, cũ qua omnia corpora in oleum reducimus, cum quo nostram medicinam facimus fluentem. Quintam. essentiam vocamus hanc aquam, hominumq; sanat omnes ægritudines: fac igitur Oleũ ex Sole & Luna, quod est fermentum odoratu fragrantissimum.

DE EXALTATIONE.

Exaltatio parum differt a sublimatione, si verba Philosophorum intelligis.

Si igitur velis tua corpora exaltare, illa sublima primo Spiritu vitę, donec terra sit bene subtiliata per naturalem rectificationem omnium Elementorum. Tunc pretiosiora multo erunt auro, propter quintam essentiam, quam retinent.

Quando frigus vincit calorem, tum in aquam aer conuertitur, & sic duo contraria simul obuiam fiunt, donec cuique cum altero recte conueniat.

Hoc modo igitur fac vt circuletur vnumquodq; in alterũ festinanter exaltãs, ac in vno vitro bene sigillato hæc omnia peragantur non manibus.

Conuerte aquam in terram, quæ est protinus nidus aliorũ Elementorum: Nam terra in igne est, quæ in aere quiescit. Istam circulationem debes incipere in occidente, tum post meridiem versus donec exaltentur.

DE MVLTIPLICATIONE.

Multiplicatio est res, quæ facit augmentum medicinæ, in colore, odore, virtute & quantitate: nam est ignis, qui excitatus nunquam moritur, sed semper tecum habitat, cuius vna scintilla potest excitare plus ignis in virtute multiplicati.

Diues est ille qui particulam habet nostri Elixiris, quia potest augeri in infinitum vna via, si dissoluas nostrum puluerem siccum, & facias horum frequentem coagulationem, tu facies augmentationem, & sic potes illum multiplicare, vt in vitro crescat in modum arboris, quam Hermes arborem vocat aspectu pulcerrimam: cuius vnum granum multiplicatur in mille, si sapienter noris facere tuam proiectionem.

Sicut Crocus puluerisatus sic cum liquore paulatim temperatur, & postea addatur maior quantitas liquoris, tingit multo plus liquoris in quantitate, quam si esset integer in sua grossa substantia: Sic nostrum Elixir, quo tennius factum fuerit, hoc largius se profecto sua tinctura sparget.

Cooperi tuum ignem vesperi æque ac mane, ne tibi sit opus ostiatim disquirere inter vicinos vt ab illis accipias mutuo, quo diutius retinebis eo amplius lucraberis, multiplica semper magis ac magis in tuo vitro, enutriēs illum Mercurio dum vixeris, sic habebis amplius quam tibi opus erit.

Ne frenum laxes propterea peccatis, sed Domino Deo tuo attentius inseruias. Cogita te aliquando ante Dei tribunal assistendum illic rationem redditurum.

De Proiectione.

Si tinctura sit vera & non variabilis, probabis cum pauca quantitate medicinæ metallo vel Mercurio, vt pix adhærebit & tingat in proiectione vt omnē ignem sustineat: sed multi per ignorantiam destruxerunt opus suum, quum faciunt proiectionem super metallum impurum.

Vide vt Medicinam tuam proijcias super fermentum tuū, tum erit illud fermentum frangibile vt vitrum, proijce illam frangibilitatem supra corpora mundata, tunc habebis Metallum omni iudicio probatum.

Devs Æternvs Benedictvs Amen.

RECAPITVLATIO.

Attende diligenter latitudinem nostri lapidis, & incipe in occidente, vbi mas rubens & coniux alba fient vnum, desponsati spiritu vitæ, vt viuant in amore & quiete.

Terra & aqua æqualiter proportionatis: & vna terræ pro tribus spiritus & etiam bona proportio, quæ est spiritus duodecim pro quatuor partibus terræ siue corporis. Tres partes feminæ & vnam viri debes accipere.

Et quo minus fuerit de spiritu in hac desponsatione, eo citius tuam calcinationem absolues.

Quo pacto perfecte calcinatis corpora dissolues, diuides, & putrefacies, & omnia secreta aliæ nostræ infimæ Astronomiæ cum perfecta intelligentia omnium polorum in nostro cælo lucentium coloribus inexplicabilibus pulcriores nunquam sunt visi, apparebunt ante perfectum album.

Et post perfectum album, Citrinus & falsus citrinus, & postea apparebit sanguis rubeus impermutabilis. Tum habes medicinam tertij ordinis in suo genere multiplicabilem.

Sed hoc secretum omnino non debes ignorare, quod noster mas rubeus non tingit, nec illius coniunx, donec tingantur.

Si

Si igitur velis tibi hac arte rem parare, altitudinē tuorum corporum abſconde, & patefac eorū profunditatem, deſtrues primam qualitatem omnium tuorum materialium, & ſecundas qualitates excellentiores, quam primum in his ſepara: & in vno vitro vno regimine conuerte quatuor naturas in vnum.

Diuidendum erit tuum Elixir rubeum in partes, antequam rubifices: quod pones in duobus vitris.

Si vis habere Solis & Lunæ duplex Elixir, fac ſic; Tum cū Mercurio multiplica ſtatim in magnam quantitatem, ſi in initio habes tantum, vt cochlear ſolum impleat: poteris multiplicare ſimul in albū & rubeum, vt etiā ſi viuas mille annis, & conuerte illam in perfectum oleum, quod in circulatione fieri debet ſecundum noſtrum propoſitum: Hæc olea figent crudum Mercurium in perfectum Solem & Lunam.

Hanc Oleagineam ſubſtantiam fixam & puram Raymundus ſuum Baſiliſcum vocauit, cuius nunquam tam planam fecit explicationem.

Memento hominem eſſe nobiliſſimam creaturam in cōpoſitione terrena, quod vnquā Deus creauit, in quo quatuor Elementorum proportionatorum per naturā neutralis mercurialitas, quæ omnino nihil conſtat, producitur arte ex ſua minera.

Nam noſtra Metalla nihil aliud ſunt quā noſtræ duæ mineræ, nimirum Solis & Lunę, vt Raymundus ſapienter notat, ſplendor Lunæ, & Solis lucidi. In has duas mineras ſecretæ deſcendunt quamuis ſplendor ſit abſconditus tuo viſui: Arte potes efficere, vt appareat manifeſte.

Hunc lapidem abſconſum, hanc vnam rem purifica, laua in ſuo liquore donec albeſcat, tum fermenta ſapienter & ſic habebis ſummam totius operis.

SEQVVNTVR ALIA AXIOMATA PHILOSOPHIÆ.

Albertus libro de mineralibus dicit, quod aurum vbiq; reperitur, quia non eſt res aliqua ſine quatuor Elementis elementata, in qua non inueniatur aurum in vltima affinitione naturaliter, & ideo dicit vbiq; lapidis materia reperitur.

Item dicit & probat, quod maxima virtus mineralis est in quolibet homine, & maxime in capite inter dentes, vt suo tẽpore inuẽtum est aurum in granis minutis & oblongis, quod esse non posset, nisi in homine esset illa virtus mineralis. Quæ virtus mineralis est in elixire nostro, & propter hoc dicitur, quod lapis est in quolibet homine.

Hermes habuit tres partes Philosophiæ totius mũdi, quas ostendit in partem mineralem, vegetabilem, & animalem, quæ partes continentur in vno lapide, scilicet in Mercurio, id est, sub hoc nomine Mercurij: quia omne, de quo fit lapis siue minerale, siue vegetabile vel animale, nomine Mercurij appellatur.

Si de omnibus rebus lapis fieri non posset, quod dicit Alfidius verum non esset: nam (inquit) plura sunt, quæ soluunt & congelant. Et Ortulanus dicit, quod Philosophi vocant lapidem omne illud, à quo quatuor elementa possunt separari per artificium nostrum alchemicum: sed à quocunq; vegetabili & animali possunt per artificium nostrum alchemicum Elementa separari: ergo à quocunq; vegetabili vel animali possit fieri lapis physicus.

Exẽplum. Videmus autem quod si extrahamus aquam ab Absynthio, si repente extrahit calor igneus, extrahitur humiditas aquea, & remanent partes terræ adustæ: si autem procedamus cum calore moderato, qui est similis naturali, extrahitur tantummodo humiditas vitalis, & sic reliqua erunt perfecte cocta, nulla remanente cruditate.

Ex terra & aqua sunt Metalla, & quæcunq; igne liquescũt forti mixtione, cõuertitur aqua in quoddam genus terræ adustæ, quæ in se aliquam salis substantiã cõtinet, vel aluminis, & ideo Geber in principio sui testamenti dicit: ab omni re combusta fieri sal posse. Hic sal, qui occultatur in tali terra adusta, est principium remotissimum omnium metallorum, & vulgo nominatur vitriolum, & illud est medium minerale & proprium semen generandi omnia metalla.

Metalla inuicem trãsmutari possunt, quia naturalia sunt, & eorum materia est eadem. Hermes ponebat circulationem

Nota. in metallis, vt in Elementis. Nam vnum metallum sua corruptione conuertitur in aliud.

Rasis libro diuinitatis inquit: Scias res Naturæ subtili artificio ita simul alligatas esse, ꝙ in qualibet re, est res quælibet in potentia, quamuis actu non videatur.

Accipe lapidem honoratum, & pone eum in cucurbitam, & cooperi eum cum' Alembico & luta optime, postea mitte in stercore calidissimo, postea destillabis eum, & pones sub eo recipiens in quod destilletur aqua, & sic dimittes quousq; tota aqua destilletur, & exiccabitur humiditas, & poterit siccitas supra eum: Postea extrahes eum siccum, & seruabis aquã, quæ destillauit ex eo, quousq; sit tibi necessaria. Accipies corpus siccum quod remansit in fundo cucurbitę, & teres ipsum, & pones in vaso apto secundum quantitatem Materiæ, in fimum equinum, inhumabis vas bene occlusum, & hoc ꝑ quadraginta dies renouando fimũ ne refrigescat, & soluetur medicina in se, & fiet aqua spissa alba, Et cũ sic eam videris, scias eius pondus, & adde de eius aqua medietatem ponderis, quã reseruasti, claude bene vas. Tunc medicina congelabitur in simili quantitate dierum, quibus soluta fuit prius.

In Elixire aqua est anima lapidis, virtus aquę est spiritus lapidis, quia aqua aliquando dicitur Lapis.

Videmus naturaliter vnum, generare sibi plura similia: ita artificialiter sol generat solem.

Compositio in hoc magisterio, est coniunctio siue matrimonium congelati spiritus cum corpore soluto & eorum cõiunctio, & eorum passio est supra ignem.

Nam caliditas est eius nutrimentum, & anima nõ dimittet corpus, nec cũ eo coniungitur omnimoda coniunctione, nisi per mutationem vtiusq; a sua virtute & proprietate, & post mutationem suarũ naturarũ. Et hæc est solutio & cõgelatio.

Et scias quod hanc solutionem & congelationem iam celauerunt sapientes.

Nisi esset compositio non produceretur res in esse, & diuisio est separare partes compositi, & sic separatio fuit eius coniunctio.

Et dico quod in corpore non morabitur spiritus nec in eo erit, nec cum eo vllatenus remanebit, quousq; ipsum corpus maneat ex subtilitate & tenuatione, vt habet spiritus.

Et cum iam ipsum attenuatũ fuerit & subtiliatum, & exierit à sua densitate & spissitudine ad tenuitatem, & à grossitie, à corporeitate ad spiritualitatem, commiscebitur tunc spiritibus subtilibus, & imbibetur in eis, & sic vterque euadet vnum & idem, & non separabuntur sicut nec aqua mixta aquæ.

Constat procreationis tam perfectorum quam imperfectorum argentum viuum & sulphur esse materiam & sine his duobus nullam nouam fieri posse transmutationem.

Quare mirandum est, quod aliquis prudens suam fundet intentionem supra animalia siue vegetabilia, quæ valde sunt remota, cum satis inueniantur mineralia propinqua, nec credendum est quod aliquis philosophorum posuerit artem in prædictis remotis nisi similitudinarie, & sic de iure nos oportet accipere argentum viuum & sulphur pro lapidis materia. Nec Mercurium viuũ nec sulphur per se solũ, aliquod generat metallum: sed ex amborum cõmixtione, diuersa metalla diuersimode procreantur & mineralia multa.

Ergo ex amborum commixtione materia nostra cõstat eligẽda: sed finale nostrum secretum est maxime occultum: Ex qua re minerali debeat fieri propinquius & vicinius. Et hoc ipsum eligere solicite tenemur.

Pone igitur ꝙ eligatur materia nostra primo ex vegetalibus vt sunt, herbæ, arbores siue omne ꝓgrediens à terra. Tũc oportet inde prius fieri argentum viuum & sulphur decoquẽdo à quibus excusamur, cum nobis natura proponat argentum viuum & sulphur.

Et si eligeremus ex animalibus vt sunt: sanguis humanus, capilli, vrina, egestio, oua gallinarum, & omnia quæ ex animalibus procedunt, oporteret ex ipsis fieri argentum viuum.

Non nego quod metalla cũ semimineralibus purgari vel dissolui possint ac sophistica forma per ea introduci, vt in ipsis errent homines.

Potest quoque plumbi nigredo siue immunditia abstergi: veruntamen plumbum semper erit plumbum: licet alias qualitates introducant, vt appareat argentum.

Vnumquodq; corpus metallicum in se sulphur expresse habere dignoscitur & Mercurium, cum liquescit calore mediante: apparet Mercurij substantia, & sulphuris maxime in colore & cute rubea superius natante: sed proprium naturæ vnius, est adhærentia alterius, cum vnum sine alio Metallum generare nõ possit. Et in quantũ sulphur sit magis simplex, in tantum magis gaudet & cohæret Mercurio simplici ac mundo: vt fortius vnum cum alio coniungatur.

Opera

Opera naturæ & artis sunt eadem essentia: tantum forma differunt: quia opera naturæ sunt inuisibila & occulta.

PHYSICA CHEMICA tritbemica.

CErtum est rebus omnibus à natura productis, tam superiores quam inferiotes virtutes inesse.

Artificialis corruptio necessaria ad separationem spirituū, quo lautius reconiunctæ viuant, vitamque cæteris communicent meliorem.

Scopus hermeticæ doctrinæ, est medicina quædam vniuersalis, quæ nedum insensatorum corpora, sed hominum etiam corruptiones atque morbos omnes indifferenter auferat.

Corpora nostra voluntarie mori posse manente vita naturali, spiritusque nostros siue animas intellectualiter ac supra naturam à suis corporibus distrahi, non dissoluto vinculo physico, & hoc profunde cogitando, meditando, terrena dispiciēdo, cælestia speculando.

Prophetica, naturalia, spagyrica, & poetica arcana pleraq; omnia tecta sunt.

Id ipsum videmus passim in natura facere voluisse Deum in omnibus, vtpote sub vili pretiosum, ne rapiatur ab indignis, contegere.

Quantum auri vilis arena & spreti lapides velant oculis ea cernentibus, quæ manus ignorantis abijcit, & pes conculcat inscius.

Quam occulte steriles regiones, in superficie opibus ditauit incognitis, quas negauit fertilibus.

Physicis corporibus inest quædam veritas aut virtus incorruptibilis occulta, eam fore medicinam veram, si modo liberetur à suis compedibus & à tetro carcere, à quo detinetur.

Certum & certissimum quodvis Elementatum aliud in se continet, quam Elementa, quod quidem omnibus minime notum est, sed paucissimis certum.

Omnis anima sublimioris cuiusdam essentiæ particeps est.

Cælum & Elementa hæc inferiora vnius & eiusdē esse substantiæ, nec aliter differre quam per accidens, vti corruptibile & incorruptibile, purum & impurum, agens & patiens, graue & leue, serenum & opacum, ex quo omnia sunt accidentia & non substantiæ.

Substantiarum enim est generare, & non accidentium.

Impossibile vt aliquis mortalium hanc artem intelligat, nisi diuino lumine prius illustretur.

Quanto magis ad vnionem vergit medicina, tanto magis ad vitam accedit à morte procul discedens.

Vnus est Deus & non plures: vnum etiam per vnum ex nihilo mundum in mente sua prius creare voluit, ac subinde in effectum producere: quo continerentur omnia quæ crearet in ipso: Deus vt esset in omnibus vnus.

Res omnis à Deo esse habet suum, à natura quæ à nihilo verbo Dei esse habuit nascitur.

Creatarum rerum docet vnicum esse genus generalissimũ, à quo reliqua genera, species & indiuidua nata sunt, in diesq; propagantur in finem vsque seculi, hæc res est Natura primitiua à Deo creata.

Corpora naturalia rerum insensatarum, à suis spiritibus diuisa repurgataque: rursus illis in sui resurrectionem, id est perfectionem, coniungi posse: spe futuræ nostræ resurrectionis.

Tria sunt itaque hæc ad vitam naturalem: spiritus vt mouens, anima motus ipse, & corpus motum, quæ simul coniuncta naturale quid vnum efficiunt.

Prima rerum tria sunt principia omnium Forma, Lux aut vita naturæ, & materia.

Chaos Chemicum, est vniuersale quid, omnia quæ nos operamur in se concludens, à cuius ventre debet ingeniosus artifex elicere materiam suam, formam, Cælum & Elementa, vt ex istis medicinas conficiat.

Materia spagirica dicitur prima & vniuersalis materia, siue Mercurius ad vegetationem mouens, & particularem formæ materiam primam extrahens à formante.

Forma autem rerum est, virtus generatiua, qua sibi simile quodque producere potest, vt hominis forma in homine latet & non in alio, arboris in arbore, nec non in metallo metalli.

Cruda non debent opus ingredi, sed per sublimationem euacuata ad latera vasis sublimatorij, vt ab inani superfluaque terra sua, sit libera. Et tunc forma est lapidis, & non ante, & dicitur sulphur Naturæ.

Cælum est Mercurius noster, cælestis coloris ob incorruptibili-

ptibilitatem. Habet enim proprietatem in se spiritus incorruptibilis, qui est velut anima habens in se conditionem corporis, qui generat & producit ex eo semen, vt femina.

Virtus generandi tum nutriendi, in eo cõsistit, hac de causa, in hac arte Menstruum vocatur, & cælum ratione motus.

Necessarium enim est vt in cælo formæ tamdiu digerantur, donec ad medicinam priorem ventum sit.

Generatio in genere est occultarum formarum manifestatio.

Quicquid huic cælo fuerit impositum, soluitur.

Item si conuenientia rei solutæ fuerint addita, fiet id ipsum quod operabitur, etiam ex pluribus vnum.

Et scias, quod Philosophi multa capita fecerunt de lapide, & sublimatione, destillatione, separatione, putrefactione, ablutione, inceratione, calcinatione, quæ omnia sunt vna, & operatio in vno vase.

COMPENDIVM ALBERTI MAGNI, DE ortu & metallorum materia, supra quam Spagyricus radicalia principia fundet.

MAteria vero principalis omnium Metallorum in suis mineris de qua ipsa causantur, est aqua sicca, quam aquam viuam vel argentum viuum nominamus, & spiritus fœtens quem aliter sulphur appellamus: non tamen in natura sua prout sunt in mineris suis creata, quia in locis suis vbi generantur, nullum metallum inuenitur, sed potius ista materia est substantia quædam, à natura creata, habens in se naturam & substantiam istorum duorum: & ex ista tali materia vel substantia duorum prædictorum procreata, generatur & creatur quædam substantia subtilis fumosa in visceribus terræ, & venis mineralibus, vbi congregantur & detinentur.

Et deinde adueniens virtus naturalis super ipsam fumosam materiam, eam congelat, & vnit se cum ea vnione inseparabili & firma, per decoctionem naturalem.

Ex his patet, quod in metallis sunt quatuor Elementa naturaliter, & quod sunt homogenea, quia nihil aliud sunt, quã fumi subtilissimi, per decoctionem naturalem in suis mineris congelati & fixi, & in metalli naturam conuersi.

Item patet, quod humidum radicale metallorum in eorum calcinatione propter homogeneitatem & fortem vnionem elementorum inuicem in ipsis consumitur nec separatur, sicut separatur humidum lapidis: quia non est vnitum in eis cum sicco in plurimo vtriusque.

Mirabilis naturæ modus in generandis metallis.

Est quædam materia in mineris vniformis, videlicet argentum viuum & sulphur in vno corpore, ex qua materia facit naturaliter exire illam fumosam substantiam seu materiam subtilem, quæ beneficio naturæ conuertitur in metallum. Materia illa fumosa, est quoddam corpus. Et illa fumosa ab ea generata est quidam spiritus: Et sic natura facit de corpore spiritum: & sic facit ascendere à terra in cælum, id est rem corporalem facit spiritualem, & postea circulando rem spiritualem facit corporalem, & sic de cælo descendit in terram.

Item patet: quod omnia metalla quantum ad radicem naturæ, sunt eiusdem substantiæ vel materiæ: & tamen non sunt eiusdem formæ: Et hoc est propter infirmitatem & sanitatem: munditiem & immunditiem: paucitatem & quantitatem ipsius substantię argenti viui, & sulphuris, in vnione & coniunctione naturali: & propter naturam minerarum diuersarum, & longam vel breuem ipsius naturæ decoctionem.

Est quædam materia vel substantia propria argenti viui & sulphurum fumosa & subtilissima, ex natura prædictorum duorum per nostrum artificium generata, limpidissima, clara tanquam lacryma, in qua latet & habitat spiritus quintæ essentiæ, vt inferius dicemus. Non tamen est ista substantia ipsum sulphur, nec ipsum argentum viuum pro vt sunt in natura sua in mineris: sed est pars quædam ipsorum duorum, quæ non est argentum viuum vel sulphur.

Nota.

Quidam Philosophi dicunt, quod ex solo argento viuo sine admixtione sulphurum hæc materia generatur: sed hoc est idem, quia argentum viuum habet in se naturaliter sulphur rubeum mixtum; & hoc sulphur rubeum ab albedine ipsius, propria manu separauimus, vidimus.

Nullo modo substantia fumosa prædicta potest naturaliter elici nisi ex substantijs prædictorum duorum argenti viui & sulphuris in simul admistis. Terra & aer sunt patientia: Aqua & ignis sunt agentia: aqua est masculus: & terra est femina.

Item nota quod faciendo generari prædictam fumosam mate-

materiam à ſubſtantijs prædictorum duorum Mercurij viui &ſulphuris,& ſuorum adiunctorum:quod dicta ſubſtantia ſimul vnita eſt quodammodo corpori , à quo exit iſta fumoſa ſubſtantia : Nam fecit artifex aſcendere à terra in cælum quandam materiam vel ſubſtantiam corporalem,in materiam vel ſubſtantiam ſpiritualem : & cum poſtea ipſa materia vel ſubſtantia ſpiritualis facta eſt, congelatur & fixatur, & in lapidem conuertitur:tunc facit deſcendere de cælo in terram: & materiam vel ſubſtantiam ſpiritualem , iterato facit corporalem.Et Philoſophus quidam dicit : quod ex ſola ſubſtantia Mercurij ſine additamento ſubſtantiæ ſulphurum,lapis elicitur vel generatur: Non hoc intelligit de ſubſtãtia fumoſa prædicta , in qua latet ſpiritus quintæ eſſentiæ , quem quærimus, quo tingamus,ſed de ſubſtantia fixa & firma lapidis, quæ eſt terra ipſius,in qua figitur idem ſpiritus,qua terra ipſe lapis ſpiritualis impræ gnatur in ventre venti , per magiſterium huius artis.

Philoſophi conſiderantes eorum materiam,quæ eſt in vaſe ſuo,& calorem ſentit,euaporatur in ſpeciem fumi,& aſcendit in capite vaſis:& vocant ſublimationem.

Et videntes quod deſcendebat in fundo vaſis , vocauerunt deſcenſionem,adhuc videntes inſpiſſari materiam & denigrari , & fœtorem malum dare, vocauerunt putrefactionem & caput corui.

Videntes colorem nigrum & fuſcum & malum poſt longum tempus dimittere, & aliqualem albedinem ad modum cinerei coloris deuenire , vocauerunt incinerationem ſeu dealbationem.

Ideo ſumma totius artis nihil aliud eſt, niſi extractio aquæ ex terra,& aquæ ſupra terra dimiſſio,donec putrefiat ipſa: Et hæc terra cum aqua putreſcit & cum mundificata fuerit auxilio cuncta regentis,totum magiſterium perficitur.

Vide,ſperma philoſophorum, eſt aqua viua , Tẽrra autem eſt corpus imperfectum:Quæ terra dicitur mater omnium elementorum.

Solutio corporis & coagulatio ſunt duo, ſed habent vnam operationem , quia corpus non ſoluitur niſi cum coagulatur ſpiritus.Quũ aqua coniungitur terræ,aqua ſua humiditate & virtute eam diſſoluere conatur,nam facit eã ſubtiliorem quã ptius erat:& reddit eam ſibi conſimilẽ:quia aqua eſt terra ſubtilior:

tilioti:similiter facit anima in corpore, & eodem modo inspissatur aqua cum terra.

Ideo inter solutionem corporis & coagulationem spiritus non est differentia temporis, nec diuersum opus in aliquo.

Cum terra in nigrum soluitur puluerem, & incipit aliquantulum de Mercurio secum retinere, tunc agit masculus in feminam, id est Azot in terram: nam dominante aqua, terra multiplicatur.

Datur in rerum natura corpus metallicum quoddam, facilis solutionis, facilisque putrefactionis, si eius præparationem nosti, felix Medicus eris, totis conatibus in eo votum tuum dirige. Vale.

ISAACI HOLLANDI FRAGMENtum de lapide Philosophorum.

CVm decreuisti super Venerem ad rubrum proiectionem facere memineris lapidis materiã lento igne semper sublimare atque etiam fixare, qui tametsi longioris est temporis, tamen ea ratione humiditas eius melius conseruatur.

Lapidis sublimatio.

Ergo ad terram tuam vel corpus vel fermentum vel rem fixam volatilem reddendam, miscendæ sunt rei volatilis partes tres cum rei fixæ parte vna, ac moderato igne sublimandæ, vt ante ostendi. Quando partes volatiles fixas superant eas secum in sublime rapiunt idq; tanto facilius; tunc enim se mutuo auidius amplectuntur. Alij totam materiam in vitro fixandam ponunt vt prius, & apparent quotquot sunt in mundo colores, tumq; paulatim minui incipiunt ac tandem in vnum colorem album omnes desinent quo gaudeto, quia tunc lapis est fixus. Hic rursum fuerunt alij prioribus illis paulo acutiores, qui lapidẽ suum hucusq; perductũ omnibus numeris completum esse rati super Mercurium & Iouem nullo cum fructu proiecerunt, quod non fundi posset neq; ingredi, vnde hi re desperata ab opere destiterunt. Contra haud dubie opinaturi, si veterũ scripta intellexissent, in quibus passim aiunt inferiorem mundum rore maiali tamdiu esse humectandum, donec albos flores & rubros ferat.

Item Regem lacte suo esse nutriendum donec adoleuerit, ad hæc terram clara aqua paradisi irrigandam, cuius crebro in cælum ascendit atq; in terram descendit.

Itaque vt ad operis complementũ perueniamus cum lapi-

de tuo, vt supra dictum est, fixato misce quartam partem spiritus vt sint lapidis partes 3. & spiritus pars vna, pone in vitro fixatorio, vnaque illa spiritus pars breui spacio cum lapide fixabitur. Nam quemadmodum tres spiritus partes facile vnam corporis secum in sublime trahunt, ita contra tres fixæ vnam volatilem haud difficulter fixam vniusque secum naturæ & complexionis efficiunt: iam vero illa parte fixata, seruata semper eadem fixi & volatilis proportione alteram ei misce cum eo fixandam, idque tamdiu repete donec lapis tuus super candentem Veneris laminam fundatur, eamq; non aliter quam oleum corium siccum penetrat, tunc habes lapidem Philosophorum omnibus numeris absolutum.

Ex his iam apparet, quantum materiæ initio sit sumẽdum, vt vniuersum opus perficiatur, quantaque spirituum copia sit opus. Nam & initio magna eorum quantitas cum terra est fixanda & spiritus ille cum terra fixatus tripla semper noui spiritus portione sursum est trahendus. Et rursum tota materia cum fermento suo fixata cum triplo semper spirituum sublimanda, donec tota facta sit volatilis, & tertiò atque vltimo fixata, nouo rursum spiritu inserenda est, donec instar butyri liquescat. Itaque cum hæc omnia spiritus beneficio perfici debeant.

Etenim quando plus spirituum cum eo fixatur, tanto redditur fusibilior, adeo vt tandem in viscosum puluerem posset redigi, qui facilius quam butyrum in sole funderetur, quod omnino non probatur, sed ab eo cauendum tibi est & metalli natura vel magis vel minus liquabilis reddẽdus, vt si super Venerem velis proijcere minus sit fusibilis quam super Iouem, & si super Iouem minus quam super Saturnum, & si super Saturnum minus quam si super Mercurium

Scias omnia metalla prius purificari debere & sordib. mundari, de hoc vide Isaacũ prima parte de medicina sup album.

Lapidis multiplicatio.

Itaq; lapidẽ tuũ hoc modo multiplicabis: primũ ex æqualibus partib. salis petræ & vitrioli à suis fęcib. separati fac aquã fortẽ iuxta artem, caput mortuũ pulueriza, & in aqua cõmuni solue, filtra & congela, tere dũ sit impalpabile, affunde ei aquã suã fortẽ ante extractã, destilla quãtũ quidẽ potes. Caput mortuũ rursum pulueriza, solue, filtra, cõgela & destilla vt prius idq; fac toties, donec totũ sal vna cum aqua forti ascẽdat, habebisque

que

que preciosam aquam rubram noctu instar ignis infernalis lucentem, hanc per balneum Mar. destillando cohobandoque rectifica; donec ex balneo tota ascendat, eritque tunc præparata ad lapidem tuum in ea per solutionem hoc modo multiplicandum. Solue benedictum tuum lapidem in tua aqua, quod protinus fiet, pone in balneo tepido adlutatoq; alembibico cum recipiente aquam ab eo extrahe, qua abstracta pulueris aliquid ex cucurbita exime, ac per candentem laminam an sit volatilis explora, vt alibi dixi, tum affunde rursum aquam, & extrahe vt prius, vt nihil amplius ascendat, iterumque proba, an aliquanto quam ante sit volatilius, quod si non est, affunde rursum aquam fortem, & destilla vt supra, donec vniuersus puluis à candenti lamina auolet, quod signum est sufficienter esse solutum, tunc ter quaterve absque vlla fæcum additione sublima vt superius, tunc in furno fixatorio, igne primũ lento, deinde per gradus, dum sit fixus, tunc pondera, & ad tres partes fixi vnã spiritus adiunge, iterũq; fixa vt prius, idque opus reitera, donec quod fuit sublimatum sit fixum, quod cito continget, quia in omnibus suis partibus semel fuit fixum, pars itaque fixa alteram fixat. Scito lapidem nostrum nec fixum esse, nec volatilem, sed esse in eo vtrumque & spiritum æque forte.

Porro quod nos hic fixationem appellamus, id reuera non fixatio est, sed dumtaxat subtiles partes rursum in vnum cogere, vt ignem denuo ferat, & ad proiectionem fiat aptus.

Sic igitur poteris lapidem tuum bis vel ter multiplicare, sed non sæpius, quia nimia sua subtilitate, cum in aquam solueretur, inuisibiliter auolaret & aufugeret, sed hæc hactenus.

Antiqui Philosophi in lapide conficiendo aquas fortes ignorarunt, sed cogebantur calcinationibus, reuerberationibus, solutionibus in aere, aceto, congelationibus lapidẽ suum paulatim aperire, donec spiritualis redderetur. Cum autem omnino perfectus esset, non callebant veram artem multiplicandi, sed in aceto destillato reddebant instar olei clari, quod cum rursum in duram massam vellent compingere, solem decorporatum & instar sanguinis rubrũ vnica solutione & congelatione cum eo miscebant, sicq; in furno secreto leui igne in massam rubram decoquebant.

Sciendum est sub omni viriditate latere nigredinem, ac sub nigredine albedinem, & quicquid omnino à Deo creatum

est,

est ... vel in intrinseco suo vel in extrinseco perfectam rubedine continere. Etenim quicquid extrinsecus rubrum est, intrinsecus album est, & ecōtra, infinitis semper interiectis coloribus inter hæc duo.

Lapis qualis est in extrinseco, talis est in intrinseco & in medio, supra quācunq; rem proiicitur, in eo perfectū opus exercet, eiusque intrinsecum in extrinsecum, & econtra mutat. Est autem Luna in intrinseco suo, bonus Sol clarus & ruber. Et lapis super Venerem proiectus eius intrinsecum quod album est, extra prouocat, fitque Luna alba & clara, rubedine eius intra compulsa. Sic vnumquodque metallum tincturam suam in se continet, siue ad rubrum siue ad album, ita si lapis nullam ex se tincturam daret; (quod tamen facit) metalla non sint ea opus habitura.

Lapis metallorum occultas tincturas ferarum elicit, sicut Sol vegetare omnia facit, & tamē si 1000. annis suos radios in semen figat, nunquam in id vel odorem vel colorem vel gustum ex se infundit, nam ea in semine latet conclusa, nunquam in lucem & in actum proditura, aut fructus aliqui ex semine emersuri, nisi solis radiis calefierent & penetrarentur. Et tamen ex proprio suo corpore quicquam iis impertiat. Deus namque omnibus rebus creatis inclusit id quo opus habet, & inest vnicuique satis tincturæ, neque alterius adiumento indiget, & sua cuique est medicina, neque ad sui perfectionem morborumque omnium profligationem aliena habet opus, siue in vegetabili siue animali, vel minerali opere.

Quod si non esset, opera Dei non essent perfecta. (quod absit) Creauit namque Deus ad perfectionem omnia, ita vt nulla re indigerent.

Quo autem quidque ad perfectionem suam proprie accedit, quo est simplicius, est & supremo suo fini ac termino vicinius, eo pauciores colores habet. Cum autem ad extremum & supremum finem, in quem a Deo est ordinatum peruenit, tum vt vnam duntaxat tam intus quam extra habet tincturam, ita omnes omnium colorum qui antea in eo apparebant vires & facultates in se complectuntur.

De materia soluenda.

De materia autem lapidis ita soluenda venit, vt semper eius operationes in balneo sint faciendæ, donec in leonem

viridẽ vertatur, vltra solui debet in aqua roris Maij, vel si per se soluatur in humido, solutum euapora & aquam serua, & euapora donec humiditas eo vsque sit consumpta, vt superficies pellicula obtegi incipiat, tunc vas refrigeratum in cella frigida & humida colloca & materia instar salis petræ aut aluminis in lapillos congelabitur, quibus exemptis, quod reliquum est euapora vt prius, iterumque congela, fac vt prius, vt tota materia tua in lapillos abeat, hos omnes in phiala impositos in cineribus calidis colloca, & protinus in aquam conuertentur, quam euapora & habebis puluerem album, quã per duas aut tres orationes dominicas in reuerberatorio pauco calore vt duntaxat rubeat, tunc exime & aqua distillata solue, quodclarum est per filtrum extrahe & sic cõtinua, donec sit subtilis & serua.

D. us benedictus insecula, Amen.

QVÆSTIONES ET RESPONSIONES PHIlosophicæ B aportu S M.aiæ Aquitani.

MErcurij præparatio philosophica, est vt eius obscuritas plumbea tota tollatur, & translucidus & clarus transparẽs reddatur. 2. vt ei⁹ terrę grauitas nimia subtrahatur: quare nimia terrestreitas & aqueitas impedit eius vires. 3. vt eius ab igne volatilitas quoq; tollatur. Hæc sunt superflua in Mercurio quæ impediunt eius perfectiones. Et sic, per depurationẽ per artem fit sal philosophorum: abluitur sale & acceto philosophorum: Quare superflua ã natura sunt remouenda, & absentia supplenda.

Quæstio.

Vtrum Mercurius arte ex corporibus perfectis extractus suo corpori aut Mercurio vulgi commixtus, veram & philosophicam det coniunctionem, ad generationem physicam lapidis nostri sufficientem: sicut quorũdam est firma opinio.

Quæstionis re'p nsio

Non minus corporum Mercurius efficiet cum suis corporibus, sicut sperma hominis extra corpus suum nihil generat, quoniam non est seminatum in locum sibi à natura paratum, præsertim cum locus conseruet & generet locatum. Ita etiam simile non agit in suum simile, sicut ignis non agit in ignem, nec aqua in aquam. Mercurius solis calidus & siccus est. Sol pariter; ergo vbi non est passio, nec ibi erit actio. Si homo

homo gignere cupit, illum necessario oportet, vt seminet semen suum in aliam terram, quam in proprium ipsius corpus. Ideo res omnis elementata suam propriam habet matricem, in qua generatur & multiplicatur sua species: atqui Sol non est ꝓpria terra sui Mercurij, in qua possit multiplicari & generari per corruptionem: Imo aurum seminare oportet sub conseruatione suæ formæ. Atqui Mercurius auri non est forma auri, & ideo Mercurius auri & corpus auri, se habent tanquam duo masculi & duo masculi, non generant.

Alia quæstio.

Si ergo Mercurius auri iungeretur Mercurio vulgi vt illi commisceretur, an posset aliquid efficere ad generationem lapidis?

Responsio.

Satis superius ostensum est, duos masculos haudquaquam posse quicquam generare: pariformiter nec duas femellas. Illi duo Mercurij se habent veluti duæ aquæ vel duę femellæ: Idcirco par in parem nō habet imperium. In rebus naturalibus necessario oportet ad perfectam generationem duo cōcurrere, nempe agens & patiens, in debito subiecto optime disposito; atqui Mercurius solis & Mercurius vulgi simul iūcti nihil agunt, sed manēt tanquam duo corpora mortua: sicut terra terræ & aqua aquæ.

Quærūnt summa indagatione philosophi purissimam Mercurij substantiam, quæ pro terra & materia habetur. Circa quam sulphur naturæ seminetur: vt in ea putrescat: & loco matricis habeatur ista terra, in qua mulieris semen conseruatum, sui viri semen expectans: quo inuicem vniantur & commisceantur inseparabiliter vnum calidum & siccum: aliud vero frigidum & humidum, vt humiditate & frigiditate vnius, calor & siccitas alterius contemperetur. Et certo tempore erumpet seminatum de potentia materię, in formam specificam in actum. Nam nulla qualitas primo & per se potest agere: omnis actio enim ad formam tanquam ad substantiā pertinet. Etenim est principium quoddā efficiens.

Alia responsio siue ratio.

Natura .n. operatur semper circulariter, nunquā retrocedit, semper procedit, & in idē semper redit non semper eodē modo: seminas vnum granū, procedit natura, & multiplicat vnum in mille non eodem modo. Natura circulariter operatur.

Natura soluit corpus eius virtute seminaria non tantum non destructa, sed etiam multiplicata & aucta: quod autem ars nequaquam facere potest, quoniam ars violenter vinculum naturæ cuiuscunq; rei frangit, quo fracto, necessario seminaria virtus rei euanescit.

Ars violẽter naturę vinculum frangit.

Sed natura vinculum suæ naturæ similis blãde soluit: quo soluto, ita seminaria virtus magis crescit, quia aerem accipit, & sic moueri incipit.

Natura vinculum suæ naturæ blande soluit.

Ars Mercurium corporum faciendo vinculum naturæ frãgit: frangendo virtus seminaria, id est, vinculum illud, scilicet spiritus vegetabilis, ignis naturalis colligans corpus cum spiritu euanescit, ideo Mercurius solis commistus corpori suo nihil generabit: Licet sit currens, tamen corpus est sine anima & spiritu, & per consequens mortuum manet: & quicquid artifex moliatur nunquam sublimabit, quia non est viuus, potius in pristinum corpus reducet: ita de luna intelligendum est.

Mercurius auri nõ est viuus.

Elixir multiplicatur cum eodem Mercurio, ex quo procreatum est, imponendo supra iam absolutum opus, iuxta sapientum pondera, ita in virtute vt quantitate multiplicabitur.

Hæc est non mea solum opinio, verum & iudicium inuincibile, probatumq;.

B. Penotus à Portu Aquitanus. V. M. D.

Iterum de Mercurio.

Quemadmodum tria sunt, quæ terram impediunt quo minus germinet, scilicet frigus maximum, calor maximus, humiditas maxima: Mulieres steriles eo modo fiunt, nimia humiditate laxatur matrix & semen defluit nec retinetur: pariter nimia siccitate arescit semen & vnde germinet non habet. Noster quoque Mercurius ita se habet, respectu supradictorum. Si terram fertilem cupimus necessario eam excolere oportet purgando, arando, excolendo, vt & a superfluis mũdando, quæ postea à nimia humiditate & frigiditate, & siccitate liberata semen tale, quale velimus in eam seminare, nobis centuplum afferat: pari modo de sterili muliere: eam si velimus fertilem reddere, eius matricẽ imprimis ad temperãtiam conemur restituere. Aliter vir quicquid conabitur ad prolem gignendam, frustra laborat.

His

His exemplis philoſophum naturā imitari oportet vt terram illam virginem paret, mūdet, calefaciat & à ſuis ſuperfluitatibus & peccato originali quod à ſuis primis parentibus contraxit, lauet, purificet, redimat, operæpretium eſt hoc faciat, hoc eſt ſupflua demere & abſentia ſupplere. Quid in eo Mercurio ſuperfluum eſſe dicis? Dico terram ob Adę lapſum & omnia etiam eſſe maledicta, & per cōſequens morti obnoxia & redemptione opus habuiſſe. Nullum coinquinatum aut abominationem faciens ingreditur paradiſum, niſi prius per ignem & aquam mundentur & regenerentur (inquit Chriſtus) oportet denuo hominem renaſci, quantum ſit ſenex, aliter regni cęleſtis particeps erit minime. *Terra autem circa quam ſeminatur aurum philoſophorum, eſt Mercurius ipſorum* Sed antequam eo nomine inſigniatur, neceſſe (vt antea dictum) eſt mundetur & excalefiat. Multas ſuperfluitates ſecum habet, quas niſi demas nihil efficies. Exalta ergo illū hoc eſt fac mori, vt morte ſua alios cōtaminatos ſuos fratres viuificet. Illum interficere oportet cum rebus quæ non extraneam eius proprietatē, quas philoſophi ponunt in ſuis libris. Et vocant ſublimationem, ideo ſales in hoc opere neceſſarii ſunt: Et abſque iis nullum fit acceptabile ſacrificium. Et hoc fit vt puriſſima eius ſubſtantia eliciatur: qua habita, ſpiritu quintæ eſſentiæ imprægnabis donec ſatur fiat. Serua & Deum adora, illique ſubditus eſto tempore vitæ tuæ.

Iam virginem terram habes, da illi maritum ſibi conuenientem. Regina Saba eſt, ergo regem diademate coronatum oportet, vbi accipiendus? Cæleſtum ſolem cæteris corporibus ſplendorem ſuum communicare videmus, pariter ſol terrenus ſiue mineralis, ita faciet, ſi in cælo ſuo conuenienti poſueris. Quod Regina Saba vocatur, quę venit ex finib⁹ terræ, vt videret gloriam Salomonis, ita Mercurius noſter reliquit proprias ſuas terras & induta pulcherrimis candidis veſtimentis ſe Salomoni ſubmiſit, & non alij extraneo, & immundo.

Quod ſi philoſophicum opus iſto noſtro non intelligis ſcripto, neque aliorum librorum lectione illud intelliges, verum velim nolim fateri cogimur, diuerſas ad hanc artem eſſe vias, quibus ars obtenebratur. Sed ſi quis ſemet ab hoc inextricabili labyrintho ſe extricauerit: nihil in rerum natura

tam abditum, siue superius siue in hoc inferiori, quin illi non sit familiare & manifestum. Deum time, viriliter age.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

B. à Portu sanctæ Mariæ.

REGVLÆ SEV CANONES PHIlosophici LVII.

Metalla quare inter se discrepent.

CORpora sua compositione differunt ab argento viuo, quę ab eo generātur: eo modo quo ipsum fuerit purū vel impurum, ex sulphure mundo vel immundo.

Si argentum viuum coagulatur ex sulphure puro, in quo est vis igneitatis simplex erit aurum.

Si sulphur fuerit debile, & Mercurius bonę substātiæ, cōuertit ipsum in æs.

Si vero argentum viuum fuerit ponderosum, terreum & immundum, & sulphur immundum & fœtidum terreum, & fixæ substantiæ, fit inde ferrum.

Sic differunt corpora metallica ab argento viuo secundum quod in ipsis inest sulphur extraneum vel adurens.

Perfectio & imperfectio metallorum vnde.

Multa quantitas sulphuris est eorum imperfectio, & multa quantitas Mercurij est eorum perfectio.

Sulphur comburit & comburitur, & perfectionem in omni opere impedit.

Duplex est sulphur, viuum scilicet & vrens.

Aurum & argentum à viuo sulphure simplici causatur.

Sulphur autem viuum simplex causat aurum & argētum, & nihil aliud est quam vapor calidus & siccus, qui vapor calidus est & siccus & generatur ex purissima siccitate terrestri, in qua siccitate prædominatur ignis.

Sulphur simplex.

Sulphur quanto magis simplex est, tanto magis gaudet & cohęret Mercurio simplici & mundo.

Sulphur vulgi semper inficit & denigrat, corrumpit quoquo modo per artificium paretur, quare non est sulphur philosophorum.

Sulphur philosophorum quale.

Sulphur philosophorum est ignis simplex viuus, alia corpora viuificans, & ea maturans. Nam est superfluæ maturitatis, & per artificium magis depuratum.

Omnium philosophorum est intētio, peius perficere cum meliore.

Mer-

Mercurius crudus ex aqua clara ab initio factus appetit semper corrodere scilicet aurum & argetum quæ suæ naturę vicina sunt, quod Mercurius ex corporibus congelatus, id pręstare nusquam potest.

Corporalis Mercurius quid præstet.

Vnumquodque compositum separari necesse est, quæ separatio mors est.

Quicquid ex solo igne simplici & tenuissimo creatum est, id neque bibit neque dormit, aut comedit, sed quod ex spisso igne creatum est, secus se habet.

Quare variæ creaturæ conspiciuntur? Quia quatuor elemēta inter se sunt inimica, nā cūcta elemēta si ex eode essent creata, vnius essent naturæ, & conuenirent, sed Dei potestatę vnita sunt & copulata & pacem perpetuam obseruabunt.

Compositio est duplicis complexionis, vna enim humida, altera vero sicca.

Plures viæ sunt ad hanc artem inuestigandam, quas tandem ad duas vias philosophi reduxerunt, vniuersalem & particularem.

Minera philosophica.

Particularis via fit aqua sicca mediante, & minera vocatur: multiplicatur Mercurij vulgi additione: nulla fit proiectio.

Vniuersalis quæ multiplicatur multitudine spirituum, est aqua quę madefacit manus, paucis cognita.

Aqua madefaciens.

Æs incidens in illam aquam dicitur fermentum auri, liquefit vt aqua, quæ coquendo congelatur. Et tunc apparet rubedo.

Hoc æs dum primo coquitur fit aqua: & quāto magis coquitur, magis inspissatur quousque lapis fit, omni metallo supereminens: vnde nomen lapidis philosophorum sortitum est.

Quare vocatur lapis philosophorū.

Si aquam ipsum dixeris, verum dicis. Si aquam negas, non falso negas: ne ergo pluralitate nominum decipiaris.

Oportet igitur ex ære nostro accipere partem vnam, & ex aqua permanente, quæ etiam æs vocatur, tres partes.

Pondera notat.

Est autem totum magisterium, vt superius fiat inferius: & inferius fiat superius, & coquatur donec plumbum æris fluat cum fermento in principio vel medio, vel fine adhibito, & tunc tingit & velut cera fluet.

Superius & inferius.

Nihil aliud expedit quā aquā & vaporem sublimare, quod fiet cum videritis illas duas naturas purificatas aquam fieri, totumque corpus magnesiæ in aquam liquefactum, tunc cer-

certè omnia vapor facta sunt, & rectè, tum enim vapor continet suum compar.

Philosophi vtrumque in vaporem nominauerũt, eo quod vtrumq; in decoctione iungitur & vnum alterum continet, & fugere non permittit, ergo permanentia fiunt.

Veteres, opus ex duobus esse dixerunt, & hæc duo iuncta nonnulli vocauerunt compositum, eo quod illa duo quatuor sunt, inest enim siccitas & humiditas, spiritus & vapor.

Aqua in puluerem versa.

Si dubitas quomodo aqua puluis fiat, oportet corpus ꝙ non erat aqua, antequam in aquam caderet simul, cum aqua fiat aqua, & aqua aquæ misceatur & vnum fiant.

Ignari autem cum audiunt aquæ nomen, putant aquam nubis esse, si libros philosophorum intelligeret, scirent vtiq; aquam permanentem esse: quæ absq; suo compari, cum quo facta est vnum, permanens esse non potest.

Hæc aqua est Iohannis Potami, operis ignis.

Hæc autem aqua vocatur aqua auri ignis, venenum bonũ, arena, nigredo, quare omnem pluralitatem dimitte. Natura enim re vna contenta est.

Terra est in aqua, aqua est in terra.

Coquite coquite leni igne quo vsque liquefiat & in aquã vertatur, calore enim aquæ, facile totum aqua fiet. Et nisi vtrumque in aquam vertatis, ad opus preciosum non peruenietis: oportet corpus debile fieri cum aqua, in aqua, donec fiat totum aqua.

Nonne videtis hominis compositionem esse ex anima & corpore, sic oportet nos duo cõiungere, quam commixtionẽ philosophi comparauerunt coniugibus, ex quorum amplexu resultat aqua aurea.

Æs concipiens argentum viuum coagulat, ipsum argentũ viuum concipiens æs congelatur in terram, & hoc lenissimo igne.

Nota hic intelligitur de mercurio, qui manus madefacit.

Scitote argentum viuum esse ignem, omne corpus comburens, magis quam ignis, corpora mortificans.

Argentum ergo viuum argento viuo sui generis iungite, & arcanum habebitis.

Æs vocant nummum. Nigredo autem philosophorum, plumbum vocauerunt.

Compositio lapidis duplex.

Duplex autẽ est compositio, vna in humido, altera in sicco, & quum prudenter coquuntur fiunt vnũ, & nominantur plurimorum nominum: cum rubrum fit, auri flos, auri fermentum, colla auri, sulphur rubrũ, & auri pigmentũ. Dũ autem

tem crudum permanet, plumbum æris, virga metalli & lamina dicitur.

Res non fiunt nisi secundum naturas earum, vt homo de homine, leo de leone.

Si medicinam curantem metalla quæris, origo erit in metallis, cum species a suo genere tingatur: metalla tamen in aquam simplicem elementalem reduci, non est sic intelligendum, quia ex simplici nihil fit, sed ex composito.

Natura est vis quædã insita rebus, quæ ex similib. similia procreat, cunctas res auget & alit. Deus est natura, & natura Deus, a Deo oritur aliquid proximum ei.

Natura Mercurialis est, qua pascimur & nutrimur, sine ipso non est vis animalium nec plantarum, ipso enim semoto a re quacumque, statim sequitur corruptio & mors, cum sit fermentum vitæ, & existentiæ rerum vniuersarum.

Ignis philosophorum est aqua eorum, si scieris ignẽ igni, Mercurium Mercurio coniungere, sufficit tibi.

Argentum viuum est spiritus, & dicitur aqua permanens, acetum siue menstruum & aliis nominibus.

Spiritus siue aqua est elyxir albedinis & rubedinis tincturæ, necnon spiritus tingens & aqua metallica, perfundens se in corpus, ipsum viuificando. Et corpus est recipiens tincturam ab ipso spiritu, & non ab alio. Et illud quod fixat spiritum est fixum & incremabile, & nominatur sulphur philosophorum. *Spiritus est tinctura corpus tingens.*

Cauendum est ne spiritus qui corpus exsiccat & à corpore exsiccatur, fiat volatilis. Nam si euolabit a corpore, corpus perfectum esse non potest.

Iunge humidu sicco, & lætabitur: quia humidũ est spiritus & anima: siccum dicitur terra, aut copus mortuum.

Notandum quod aliud est vnctuosum, & aliud viscosum; Nam ex humido viscoso generatur lapis: sed ex vnctuoso metalla generantur. *Discrimẽ inter vnctuosum & viscosum.*

Quicquid veritatis in arte Alchemiæ consistit, est coniungere humidum sicco: pro humido intellige spiritum liquidum, ab omni sorde mundatum: & pro sicco intellige corpus perfectum, purum & calcinatum. Et reuera harum duarum partium operatio constat, hoc est facere fixum volatile & volatile fixum, id est, spiritum fixare. *Notatu dignissimum.*

Quando videbis in principio operis quasi grana rubra & *Signum*

certũ perfectæ operationis. in congelatione veluti oculi piscium, & quasi grana piperata, scias te iustam semitam ambulasse: sin autem, frustra labores.

Media mineralia in opere sunt eligenda.

Omnis actio generalis vnum habet tempus, in quo perficiatur, & terminetur. Non enim est actus sine motu, & non est operatio sine termino.

Si vis elementa mineralia accipere, non accipias de primis nec de vltimis, sed de mediis, ad creandum lapidem.

Cum volueris comedere cape panem & dimitte farinam, & quando volueris facere panem, accipe farinam & dimitte triticum.

Separare elementa, est heterogenea segregare, quæ sunt accidentia. Et elementa coniungere est homogenea cumulare. Hoc est, quæ sunt de natura humidi radicalis.

Vas firmiter occludere, necesse est.

Est maxime cauendum ne spiritus, qui corpus exiccat, fiat volatilis. Si vas in hac arte non esset clausum, tota vis exhalaret, sicut in generatione metalli, si fumus ex quo metallum generatur expiraret, non generaretur metallum.

Deus illã essentiam quam animam mũdi vocant ab initio creauit.

Deus ante mundi constitutionem in se ipso permanens, voluit sua benignitate res ab ęterno cognitas prodire in esse: earundem in principio quandam essentiam creauit, crudis lineamentis adhuc ineffigiatam, quam Moses terram inanẽ & vacuam appellat, modo abyssum & aquã, Anaxagoras vero chaos, in quo est ille spiritus quem quærimus.

Deus ergo omnia implet vt non sit aliquid vbi non sit, cuius imago est omnis natura, qui multiplici ratione quodámodo creaturis suis annectitur, ergo omnia in Deo sunt; cui laus honos & gloria sit per Iesum Christum.

MERCVRII, SIVE ARGENTI VIVI EX AVRO vera extractio, quam a quodam celebri ac generoso Domino Bohemo habui, tibi gratus offero.

GEber Rex Arabum solertissimus rerum naturalium indagator ait: Totius rei thesaurus est, calcinatio. Et quia veteres aquis fortibus carebant, violentissimo igne res omnes in calcem reducebãt. Vnde vitri inuentio orta est. Istis temporibus via breuior ac compendiosior inuenta est, quã aquis acribus metalla calcinantur, vt videre licet in hac recepta.

Calcinatio auri præstantissima.

℞. aquæ regis in qua dissolue aurum, deinde accipe aquam communem puram & in ea solue tartarum calcinatum quantum vis, parua quantitas sufficit, id est tantum vt paulatim guttãdo faciamus cadere aurum ad fundum, quod alias difficillime faceret. Et nota, oportet vt vas dissolutionis sit amplum, & vt parum aquę istius tartari ꝑ vna vice infundas, alias euolaret totum, quod diligenter cauendum est. Porro quando tota calx iam est in fundo, oportet illam bene dulcificare cum aqua calida, & in ligneo vasculo mũdo & polito paulatim exsicare, per se, sine vllo calore adhibito, secus si fieret, abiret in auras cum maximo sonitu, & strepitu, instar pulueris tormentarij, adeo vt ne vnicum atomum reperire possit, vt quidem mihi ter accidit: Nam cum exsiccatum argeteo paruo cochleari super tabulam vitream (sine vllo calore) mouerem subito concepit flammam, & similem sonitum edidit, ac si maguum aliquod sclopetum fuisset explosum: adeo vt auditum pene mihi ademerit. Et ita totum fuit dispersum, & omnia quæ attigit rupta & fracta. Ideo caute agendum est, & lignea spatula potius quã vlla alia mouendũ maioris securitatis gratia. Tandem cum iam bene sit exsiccatum oportet illi addere sulphur commune quantumuis, id est pro arbitrio, & simul conterere ac in crusibulo ponere & bene perlutare, superposito cooperculo quod superius paruum foramen habeat, vt flamma sulphuris exire queat. His peractis, detur illi ignis circuli, & exuratur optime. Nota bene. Ego deinceps ad maiorem perfectionem, adhuc aurum ita exustum reuerberaui atque ita fuit calx adeo delicata, adeo pulchra, & coloris adeo alti, vt ad brunitatem tenderet, cui parem nunquam vidi.

Error si secus feceris.

Res inaudita.

Historia notatu digna.

Mercurij auri extractio: sed prius aurum in cristallis reducere oportet tali modo.

℞. Salis nitri partes duas, vitrioli ad flauedinem calcinati partem vnam, fac inde aquam fortem: ad ℔. j. huius aquæ fortis recipe salis armeniaci vncias quatuor, soluatur in alia aqua forti, vt sit aqua regis. Oportet autem salem armeniacum prius per sal commune fusum sublimare, vt aurum citius aggrediatur, & soluat: in hac aqua regis dissolue aurũm quantum placet, & postea abstrahe aquam ad medietatem vsque, & sine vas refrigerare cum materia, & ita fient cristalli, &

Præparatio salis.

li, & tantum quantum ponderant criſtalli adde ſalis communis fuſi, & ſimul bene contere, & ſuperfunde de noua aqua forti vel regis, & iterum extrahe quo ſæpius eo melius, donec aqua debilis fiat, & ſuas vires amittat, & tunc abſtrahe totam aquam ad ſiccitatem vſque. Deinde ſuperinfunde de quinta eſſentia vini, id eſt, quę ex tartaro ad albedinem calcinato rubedinem extraxit, quantum ſufficit, ſinasque in digeſtione quo diutius eo melius. Tādem abſtrahe Paulatim,& ad extramum igne vehementiſſimo pelle, & aſcendet pulcherrimus puluiſculus flaui coloris, qui etiam reuiuificatur. Si eius vna pars miſceatur cum duabus partibus tartari calcinati,& ſublimetur vt moris eſt, tunc aſcendet auri Mercurius vere viuus. Habes, Candide lector, veram Mercurij auri extractionem. Nobilis ille accipiebat duas partes ſupradicti Mercurij,& partem vnam calcis auri,inde ſimul coquebat, ſed Mercurium non ſoluebat,neque adhęrebat ſuo corpori. Quare hoc? rationem poſui ſuperius in quæſtionibus. Breui plura,Deo volēte, daturus,præſertim tractatam, de aquis tingentibus, Alterum, de aquis mercurialibus,quibus metalla in Mercurium currentem ſubito mutantur. Vale, & Deum time.

(*,*)

Virtutem poſuere dij ſudore parandam.

CHRYSORRHOAS, SIVE DE ARTE CHEMICA DIALOGVS, QVO PRÆCLARISSIMAS HVIVS

Scientiæ actiones, rationi ac rationalibus principijs consentaneas esse demonstrat: impostorum vero & sycophantarum somnia & nugas detegit.

Chrysophilus, Theophrastus.

PEERPETVAM illam ac communem hominum miseriam deplorare non satis possum, cum videam omnia ea, in quibus bonorum etiam vix vmbræ versantur, tam esse difficilia ac intricata, vt nancisci illa nedum millesimus quisque possit: nacta tandem, tam celeri pede nos fugiant. At ea rursum, quæ cum atrocitate, periculis, omni denique malorum aceruo coniuncta sunt, ita nobis constanter immineant, vt conspirasse in humanam perniciem iudicari possint. Momēto enim pessum imus, miseria, paupertate, infirmitate, doloribus obruimur: vt autem felices simus, vt ditemur, vt sanemur, multis annis opus est: vt non indigeamus, vix vllo seculo nobis contingit. Etenim quantum res meas attinet, in ea plane conditione versor. Nam cum a vitæ meæ quasi exordio, nihil prius (quod fateri tamen palam erubesco) in optatis habuerim, quam vt admodum ditescerem: atque ipsius auri sitis me totum corripuerit, absolutam tamen id consequēdi methodum nondum sum consequutus. Desperans licet voti me futurum compotem, extrema tamen quæque experiri lubet, ipsamque artem, quam Alchemisticam vulgus dicit, iam aliquamdiu intermissam, fauente Mercurio, rursum aggrediar. Sed video obambulantem illic Theophrastum ab Hohenheim, hominem, si quem Germania vnquam tulit, huius artis absolutum artificem, quem si eam in sententiam perducere possem, vt mihi in hoc natatu adiumento sit, futurus sum proculdubio hominum felicissimus. Ipsum primo magnificis promissis, post etiam minis aggrediar. Salue amicorum præcipue, ô Theopraste. Theop. Saluus sis tu, ô lepidum

caput

caput. Sed quid ſolus hic oberras? quid negotij eſt, quod ita anxie tecum obmurmuras? Aſpiciebam te iamdudum nõ ſine magno riſu, iactantẽ brachia & caput, micantem digitis, calcitratem pedibus. Bacchico te correptum furore exiſtimabã. Chryſ. Nõ Bacchico, ô bone, ſed Pluti enthuſiaſmate ſum percitus. Theophr. Quid Plutũ murmuras? nos Plutum illũ irrequietum prorſus dæmonem, ad Plutonis cancellos relegatum cupimus, & vitæ potius tranquillæ dabimus operam. Chryſ. Te quidem auctore ſperarem, me eam poſſe tranquillitatem conſequi. Tua in manu mea ſalus eſt: qui ſi mihi adiumento eſſe velis, effecturum me id ſcio, vt breui ſimus ambo hominum primarij. Theop. Ego quidem, ô Chryſophile, quãtum in me eſt, omni meo conſilio & auxilio (modo id cũ manifeſto meo periculo coniunctum non ſit) adeſſe tibi nõ refragabor. Verum quid rei ſit, breuiter expone. Chryſ. Non dubito quin ad aures tuas peruenerit, quantũ ego non opum tantum & pecuniarum, ſed (quod eſt precioſius) temporis iacturæ, circa eam ſcientiæ perſuaſionem, quam Chemicam eruditiores nominant, fecerim: pudetq; fateri, quod negare non poſſum, quam ego à nequiſſimo illo hominum genere, qui ſe Alchemiſtas & philoſophorũ diſcipulos ſcilicet, iactitant, ſim miſere deluſus: quodque eſt grauiſſimum, quantum ego meæ valetudini, ob fœtidas fuligines, halitusque teterrimos, quos in cauernis Trogloditarũ more deliteſcens, pertuli, nocuerim, quorũ omnium iactura tam ingẽs eſt, vt etiã illa quæ inde cõmoda, re omni abſoluta, colligi potuiſſent, nullius momẽti æſtimãda ſint. Theop. Ha, ha, he: diſpeream, niſi ego (quãuis rerũ omnium eſſem inſcius) idipſum ſubolui. Quum enim menſe præterito hortenſem illã tuam domũculam præterirem, tã fœdum quendã fumum, atq; atrũ ex ſubterranea illa fornice erumpẽtem animaduerti, vt Auernaleis ibi fauces eſſe crediderim, in quibus Canidia ſuis lemuribus dapes decoxiſſet. Verum ne ſiniſtrã de tua prudentia opinionem conciperem, obſtabant in primis tua auctoritas, deinde quod ſummo loco natus es: poſtea maturior ætas coniuncta cum rerum experientia, poſtremo tot manifeſtiſſima exempla, quibus alieno ſaltem periculo cautiorem te redditũ nũquam dubitaſſem. Perſuadere itaque mihi non poteram, te illis rebus, quæ manifeſto cum detrimento ſunt coniunctę, multo minus ſceleſtiſſimis ſycophantis, ac ipſius veræ artis calu-

calumniatoribus, animum potuisse aduertere. Chrys. Ego vero cautus in hac re fui, quantum debui. Verum ne ego intētatum relinquerem id, quod tot auctorum communi calculo indubitatum redditur? præsertim quum omnia quæ ad hoc negotium pertinent, a tam multis antiquis & recentioribus magni nominis Philosophis diligentissime sint perscripta? postremo quum mihi nec ingeniū, nec opes, ocium, aliæue rei bene gerendæ occasiones deessent. Sed quid de exemplis? quum tu solus (quem finem huius artis assecutum, obque id omnes felicem prædicant) multorum mihi instar satisfacias? Qui si rebus meis desolatis opem ferre, & meam classem in medijs vndis cum procellis luctantem in portum deducere velis, faciam vt statim intelligas, quantum tibi ornamenti ex mea amicitia, auctoritate, potentia, immineat. Theoph. Agnosco crocodili lacrymas. Chrys. Quid dicebas? Theop. Dixi me tuam agnoscere beneuolentiam: attamen ex illo tuo sermone intelligo, me (quem tibi ad consulendū elegisti) hac in re minime satisfacturum. Te namq; posse fieri voti compotem, vt vitæ, atq; adeo animi tranquillitatem ex eo quod mente tua versas, nancisci possis, tam est honestati, imo ipsi rationi consentaneum, quā si Vestales Ithyphallica celebrent. Atq;, vt hæc ipsa luce clarius intelligas, efficiam: si de artis Chemicæ vi ac natura (quantum ad meam quidē cognitionem peruenit) quædam altius repetere liceat. Chrys. Id vero iamdudum expeto. refer. Theop. In primis existimes oportet, artem Chemicam esse sciētiarum omnium vt ingeniosissimā, sic humano generi maxime vtilem, imo necessariam, ita vt (quemadmodum postea intelliges) nō sit indigna, vt totam aliquis circa eam ætatem insumat. Ea tamen latius quam credebas, patet. Vniuersam itaq;, tum eam quę circa metalla, tum eam quæ circa metallica versatur, duplici cōstitutam differentia existimabimus: Altera Physicis orta principijs, & ex ipsius sympathiæ & antipathiæ rationibus emanās, summa cum laude & admiratione est coniuncta. Altera talis quide esse videtur. Videri itaq; quam esse mauult, Ergo Sophistica est: Cuius euentus quum fallax sit, a nemine sapientum vnquam, ab illis vero, qui cum vulgo sentiunt, fere omnibus, recepta est. Prior illa, ex naturæ secretis (vt dixi) admirandos, pulcerrimos, salutares etiam, ne dicam diuinos effectus solet proferre: ex illa quędā ab ingeniosis hominibus

eru-

eruta ſunt atque inuenta, ſed ita vulgata, vt artes amplius dici non mereantur. Quædam huius ſcientiæ vires nondum quidem inuentæ: quæ maiori in numero eſſe creduntur. Et ſic arcana merito nomināda ſunt. Tertio, Quædam inuenta quidem ſunt, ſed ea pauciſſimis atque fere nemini (niſi cui ſummus naturę moderator id demonſtrauit) tot ſeculis conſtiterunt. Ex quibus omnibus vnum illud præcipuum totius artis Chemicæ ſcopus, ac verus finis, miro certe artificio, altoq; ſilentio ſemper abſconditū: vt inter arcana illa, adhuc cōnumerari debeat. Quo factū eſt, vt pleriq; hominū, id non eſſe in rerum natura, conſtanter magis quam vere affirmare audeant. Ad hunc ſcopum pertingendum, quum tot ingenia fruſtra laborarint, toto (ꝙ aiunt) oberrantes cælo, vt tamen aliquid egiſſe vulgò videantur, humanæ ſapientiæ inhærentes, ad alterā illā, quam Sophiſticam dixi, vt confugerēt, cōſultum eſſe duxerunt: atq; ſic aureo hamo (vt poſtea dicā) piſcati ſunt. Chryſ. Expone hęc exactius: neſcio enim quæ inuēta huius artis, quæ nōdum inuenta dicas. Theop. Chemica inuenta (vt præcipua perſequar) ſunt partim circa metalla ipſa, partim circa metallica. Circa metallica hæc fere poſſunt conſtitui. Quædam ex metallis permiſcere ſimul vt aliquid aliud eſſe appareant, exempla cuius ſatis ſunt vulgata. Quædam etiam immutare, ſolidiora reddere, colorem in pleriſque mutare, ponderi adiicere, aut (quod facilius) detrahere, molliora quædam, alia duriora efficere: omnia tamen hęc absque vllo fallendi ſtudio. Alia circa metallica verſantur, cum metallis nihilominus connectenda: vt ſunt deaurationes, deargentationes (lubet enim nūc verbis vti inſolentioribus) ipſæ ſeparationes: in quē vſum aquę illę potētiſſimæ paratæ ſunt. Ex quibus indagatę ſunt metallicorū vires admirādæ. Illinc deprehēſę metallicorū cum metallis amicitiæ atque odium, quod ſympathiam recte dicimus: vt antimonij, hydrargyrij, ſulphuris, caphuræ, chryſocollæ, plumbi cinerij, plūbi cādidioris, & ſi qua ſunt alia, cum auro, argento, orichalco. His ſuccedit pulueris pyrici inuentum, admiranda ſua vi, tonitrus imitans, ac fulgetra, eouſq; nunc ꝓgreſſum, vt absq; ſtrepitu eūde fere impetum retineat. Huc pertinet ſcientia, qua vitrū in lōgiſſimas lineas deducitur. Itē conficiendi ſpecula: in primis vero quę ex electro exquiſitiſſima fiunt: quāuis alia quæ cōburentia nominātur, ex optica di-

ea disciplina, ab Archimede primum inuenta, prodierint Bractearum itidem, quæ gemmis supponuntur, compositio. Omitto, vt ea quæ ad varia remedia pertinent, commemorem: quum nullum fere medicamentum ab his immune sit. Nonne exhalationes vniuersæ, quas destillationes nominant (quarum extremum Quinta essentia à recentioribus dicta) arti Chemicæ sunt obnoxiæ? Nonne colorum præcipuæ compositiones? Nonne nobilissimi illi ac saluberrimi suffitus, & odores admodum preciosi? Ne de reductionibus omnium fere simplicium in tenuissimos spiritus dicam. Neque silentio præterire decet fusiones metallicas, quibus vix quidquam est ingeniosius, accuratius. Postremo & illud inuentum merito referendum, quo mappæ & mantilia, item & mensæ fiunt, quæ non aqua, sed ignibus eluuntur, nec tamen vitiantur. Quæ omnia præclarissimæ Chemicæ artis beneficio, ad nostram cognitionem, iam dudum peruenerunt. Chr. Intelligo quæ dicis ad amussim omnia. Quæ autem ea sunt, q̃ nondũ inuenta dicis? Theop. Quasi vero de ijs verba facere liceat, quæ in rerum natura nondum sunt. Inueniri tamen multo plura posse non dubito: veluti vitrorum absque igne mollities, electri compositio, lapidum durissimorum fabrefactio, aquarum tenuissimarum, quibus miranda peragi possent, excoctio: & quæ huius generis adhuc latent. Chrys. Superest vt iam ea, quæ inuenta quidem artis Chemicæ dixisti, sed paucissimis constare, nunc nobis recenseas. Theo. Ea sunt: Vitrum in adamantinam duriciem perducere: Morbis desperatis ex metallicis præstantissima, subitaque remedia exhibere: Imo quod omnem excedit admirationem, hominis naturam ab imminentibus morbis immunem conseruare: & sic quasi dicas senectam excludere. Adde & illud contra omnia venena, venenatorumque vim, antidotum exquisitissimum certissimumque, quale nuper à Miseno quodam rustico, seu fossore metallico, casu potius quam consilio, ex re (vt audio) neglectissima confectum, quod sui ipsius experientia multoties ipse auctor comprobauit. Postremo quod eorum omnium quæ hactenus enumeraui vim atque efficaciam longe excedit: id est, certa ac compendiosa methodus, qua subtilissimi atq; tenuissimi spiritus parantur, quibus absoluta metalla, & multiplici proportione auctiora, & subtiliora, (nulla prorsus tentata fallaci metamorphosi, siue substantiæ

immutatione) redigi possint. Chryſ. Euge Theophraste, hoc iamdudum, vt proferres, exſpectabam: dimiſſis itaque cæteris, quæ dixiſtis, omnibus hoc ſolum diligentius examinabimus. Huius ego ob experimenti indagandi fiduciam tot expenſarum perculi, tot libros, a varijs orbis partibus ad me perlatos, perlegi: Eos interpretandos tot eruditis commiſi. Verum (quod eſt miſerrimum) fruſtratus ſpe omni in medijs procellis, vt prius dicebam, hæreo. In quibus etiam mihi, tanquam ad Sirenios ſcopulos, conſeneſcendum, admodum timeo. Te itaque ſolum ex multis, quorum conſilio vſus ſum, habeo reliquum, qui mihi & illam methodum indicare, & quæcunque ad hoc negocium pertinent, explicare potes. Theop. Vt ex illis tuis libris, cuiusque tandem gentis dicantur, poſſis, id quod vltimo à me loco dictum eſt, comprehendere, non minus operoſum eſt, quam ex Tantali hortis fructus decerpere. Vt autē illi tui conſultores, qui ve ſuam tibi in hac re operam pollicentur, id præſtare poſſint, tam eſt facile, quam ebur atramento candidum reddere: quum ij ſi re vniuerſi impoſtores ſint, aut ſtulti, qui ſibi ipſis tum alijs perſuadere audent, ſe ea intelligere quæ neſciunt. In libris autem quaſi omnibus mera continentur ænigmata, meræ ambages & tenebræ, nulli etiam Oedipodi extricabilia. Chry. Quare igitur (ſi hæc ita ſunt) tantundem operis, illi ſcriptores ματαιολόγοι circa hoc negocium adhibuerunt? cur tam audacter abſolutam hominibus ſcientiam atque inſtitutionem pollicentur? Theo. Hoc quidem, vti refers, factum ab omnibus fere, vt non negarim, ita mihi quatuor potiſſimum rationibus, quo id committerent, videntur eſſe inducti. Primo vt exercerent ingenia hominum ocioſorum. Secundo, vt anſam præberent ingenioſis, pleraque celeberrima ſimul & vtiliſſima, quæ inde manarunt, indagandi. Tertio, vt curioſos homines, item auaros, quique adeo aurum ſitiunt, miſere (vt par erat) vexarent, eorumque opera & laboribus (non ſine illorum magna delectatione atque riſu) abuterentur. Nonne hoc toties factum ab eis intelligis; quum eidem rei, plurima nomina paſſim indiderint, quam ipſo Ioui olim cognomina fuerunt ab idolorum cultoribus impoſita? Poſtremo vt teſtatum poſteris relinquerent, ſe naturæ ſecreta ipſaſque actiones phyſicas intellexiſſe. Chry. Cur ergo non tacere potius, quam verboſiſſimis commenta-

tijs,ea,quæ nemo vnquam intelligit, maluerunt perscribere? quibus diligentius inspectis in eam ducor sententiam: metas esse nugas,rerumque vmbras, ab ipsis impostoribus aut dæmone potius quodam Plutonico, ad euertendum plerosque confictas. Theop. Ne hoc vniuersaliter affirmes oportet ô Chrysoph. Verum tacere illis, mea quidem pace, licuisset quasi omnibus. Quod autem præter figmenta in aliquorum libris nihil esse dicis, facis tu more illorum, qui de re non intellecta,nec visa vnquam,iudicant, ac quemadmodum cæci de coloribus.Fateor librorum magnum esse aceruum, quantum ad meam quidem cognitionem peruenit, omnes circa hoc negotium impeditos,quorum magna pars indigni sunt, vt ab homine ingenioso inspiciantur: & tamen Hermetis, Auicennæ, Auerrois, & similium nomine circumferuntur: quum illi nothi sint, & ab Europæis hominibus ijsdemque barbaris,compilati:veluti, vt paucos referam,a Richardo Anglico, Gilgilide, Christoph. Parisiensi, Morieno, Rasino, Stephano,qui se omnes philosophos(si dijs placet) nominare audent. Huc pertinent libelli, qui Mariæ sororis Moysi titulum mentiuntur. Rursum aliorum extant commentaria,si cum iudicio legantur, ferenda quidem,nec lectu indigna: ex quibus tamen vt te expedias,Thesei filo opus est. Quorum ex antiquioribus primum locum Gebri scripta obtineant, & Simplicij Recentiores sunt Io. de Rupescissa, Rogerius Bacchofere, & Aloisius Marlianus. Nullus tamen sanioris fuisse mentis deprehenditur, quam Ioan. Augustinus Augurell. Chry. Deus bone, cur ego non tantum ante annos plures intellexi? Verum tu rebus desperatis fer remedium. Theop. Quasi vero me possis vti consultore, qui ab omnium illorum,quos vnquam hac de re verba fecisse intellexisti, ἐκ διαμέτρου) quod aiunt)opinione dissideam, non quidem quantum ad ea pertinet, quæ huius artis beneficio inuenta & vulgata sunt.Illa enim vera esse methodica experientia comprobauit.Quod si circa illa velis versari, poteris non magno dispendio occupatione honesta,non sine varia iucunditate ætatem transigere. Exempli loco sint metallicæ fusiones, quibus non animalcula solum & solidiora, sed & herbæ, flores,imo minutissima quæque possunt accuratissimæ exprimi.Item destillationes,vt nominant, quarum beneficio non herbæ, & succus tantum, sed & lacrymæ arborum,imo

lapides & ipsi silices, in olea, in aquas, in spiritus deduci possunt. In his & similibus, (si expetis) tibi gratificari non grauabor. Chr. Quid tu mihi de fusionibus, & destillationibus narras? Ego longe mihi maiora de te sum pollicitus. Intelligis quid velim. Et vt vno verbo dicam: Id in primis scite cupio: An permutari metalla, & quibus medijs possint, an ignobiliora in nobiliora, inq; aurum purissimum. Quod si id fieri posse dixeris: supetest vt, qui illi spiritus aut principia sint, quibus huiusmodi transubstatiatio (vt illi vocãt) fiat, exponas. Nã esse hæc tibi perspecta nõ potes ire inficias Theo. Absurdũ est te ea à me discere velle, quæ ego nunquam scire me sum confessus: quarum rerum ego ipse experientiam nunquam feci. Te vero inanem insumpsisse hactenus operam & insumpturum deinceps, imperitia physicarum rerum quam satis manifestius, te prodit. Hæc enim recepta sunt à physicis axiomata: Ex nihilo, nihil posse generari. Generationis autem cuiusque principia (vt sine verborum ambiguitate dicam) cum eo quod generare nituntur, non diffideant oportet, sed quod pluri num (vt infra dicam) cum eo participent. Ita nec ex ouo fit metallum, nec ex metallo crocodilus, cum vice versa alterutrum fieri possit. Et tamen longe absurdiora peragere conatus es. Vtque ad tua interrogata apertius respondeam: Permutari metalla, præsertim illa quæ pondere & tenuitate diffident, non possunt. Aurum autem grauitate & soliditate sui a cæteris diffidet: Ergo, de alijs quæ in prædictis vix diffident, non dicam: neque id ad tua interrogata pertinet. Chry. Attamen nec ipsi Arabes antiquiores non negant, quod tu pro falso soles asserere. Theo. Imo tu illorum dicta non es assecutus. Cur non illud dictum, quod oraculi illis loco esse solet, diligentius examinasti? dum aiunt: *Generatum debere ad sua principia reduci.* I nunc & tuas ambages profer & somnia. Veluti transsubstantiationem, aut generationem rerum artificialem, siue ex nihilo per artem: quæ absurda sunt à naturæ legibus in quibus sympathia nulla. Huc pertinent ea quæ toties repetita, ac veluti in triuijs recantata sunt, vt referre denuo pœniteat, dum dicunt: Rerum omnium esse materiam quandam primam, quam Hylen nominant: & ex ea generationem perpetuam. Illa autem materia prima, ad generationem comparata, potentia est: in seipsa vero actus: & econtrario: Quarum respectu potentia non est, eas nunquam

quam ſuſcipiet(vt in ſuperiori exemplo patet.) Complexa vero a forma cui tunc ſubiacet, actum conſequitur. Et, quod etiam huc pertinet, ipſam materiam primam non temerario quæcunque peragere, ſed certam in ſe retinere quantitatem, quam indefinitam dixere. Atque hæc quidem quum ſint manifeſtiſſima, tu tamen vna cum tuis ſycophantis inſanire maluiſti. Et quæ naturalis ratio materiæ primæ conuenire ſtatuit: tu incendijs atque vſtionibus ſubijcis: quum negare non poſſis, te omnem generationis perſuaſionem ex ignibus petere: quum ignis nec elementum ſit ſtatuendum, nec generare poſſit, ſed exterius omnia reuocare: quum materia generans intus omnia reuocet. Chry. Aſſentiri tibi poſſum, quum id pernegas quod etiam ipſis Arabibus eſt receptiſſimum: quod non metalla ſolum, ſed ipſa metallica ignibus tam multifariam ſubijciant. Theo. Eadem ſemper chorda oberras. Iam non de metallicis operationibus amplius loquor: ſed de reductione generatorum ad ſua principia. Arabes equidem, vt mecum non diſſentiant, à Zoroaſtre didicerunt, ignis naturam eſſe vt omnia conſumat, conſumptisque omnibus, vt vna pereat. Cæleſtis quidem caloris proprium eſt generare, non ignei. qui Chry. At ijdem Arabes dicunt, Generationem omnium metallorum conſtare his principijs, hydrargyrio ſcilicet & ſulphure. Ergo ex hydrargyrio & ſulphure aurum confici poteſt. Theo. Si cinnabarim dixiſſes, fortaſſis aſſentirer: Verum an non vides aliud eſſe conficere, aliud generare? Exemplo fiet res dilucidior, idque craſſa, vt aiunt, Minerua proponam. Si grana tritici decem quis tibi obtulerit, & dicat panem poſſe ex ijs infinita proportione confici, quum idipſum tu intelligas, facile credis: & generationem, quæ ad hoc requiritur, ipſamque moram, quum non ager ſed tempus, (vt in prouerbio eſt) ſpicas proferat, ſubintelligis. Quod ſi hominem, aut ex remotiſſimis Indijs, aut Islandia oriundum, edocere hæc velis, qui neque ſementa, neque meſſem vnquam vidit: tuque nolis cum illo aperte agere, ſed mera ænigmata præſcribas, veluti terram primo calcinandam, terendam, grana ſoluenda, defodienda, ſublimanda, poſtea coagulanda (agnoſcis opinor tuas voces) & excoquenda: Ille ni fallor, intelligit, terram aratro ſulcandam, vertendas iterum glebas, ſementá iacienda certo ordine

 & quan-

& quantitate, expectandam eorum quæ nascuntur maturitatem, demesso iam multiplici frumento, non sine opera transmutanda in panem. Et illa tamen ænigmata quæ tuis libris continentur, magis sunt inexplicabilia. Chry. Verissima quidem narras, verum ad id, vnde digressus es, redi. Dicebas generata ad sua initia reduci debere, idque naturæ esse consentaneum. Atqui hoc mihi videtur esse impossibile. Theo. Imo mihi (quamvis experientiam non fecerim) admodum facile: tamen οὐκ ἀνδὸς θνητοῦ. Exempli loco sit. Qui absynthide vinum artificiosius conficere volunt, hoc vti possunt compendio. Si in tenuissimum spiritum ipsam herbam perducant: cui tanta vis inesse potest, vt vnicum mystrum toto quadrantali infusum, id totum in sui naturam rapiat, saporem & odorem absinthij exprimens? Cur non simile quiddam, circa metalla quoque euenire possit, non video. Chry. Eiusmodi sunt quæ refers vt fieri non possit, quin totius negotij experimenta feceris, aut quoties lubet experiri possis: quamvis constanter id dissimiles, nihil igitur aliud iam expecto, quã vt calamo arrepto, rem totam mihi perscribas. Theo. Sed quorsum est hoc à me exigere? Si enim hæc exacte scirem, iam nosti mysteriorum eam esse legem inuiolabilem: Secreta quæ dicuntur non debere esse manifesta. Deinde, si quid tale tentassem aut experiri voluissem, idque faterer apertius, sequeretur, vt aut negotium non successerit: tum me ridendum omnibus præbeo: & similis tuis illis erronibus existimandus: Si vero successisse dixero, & hoc plerique intelligerent. Iam intelligis id non esse posse absque manifesto meo periculo. Cum vt ingenue dicam, hoc tale sit negotium, cuius actiones, nulli fere priuato homini vnquam sine detrimento, ipsis autem regibus sæpe exitio fuere. Ergo nec sapienti quidem optandum, nisi adeo absoluto, vt etiam omnium opum affluentiam spernere possit, & nullius rei indigere. Iamque (ni fallor) intelligis quî fiat, quod huius scientiæ arcana ad paucissimos tot seculis deuenerint. Chry. Ego vero existimo, nullis omnino scriptis & libris hæc arcana vnquam commissa, sed quemadmodum de Hebræorum Cabala dicitur, traditione solum posteritati cõstitisse. Theo. Etsi hęc sint verisimilia, attamen est verissimum, hanc scientiam olim fuisse etiam absque omni fuco & obscuritate, sed apertissime libris cõmissam: & ab Asiaticis ad Græcos Europæos deuolutã. Chry. Quasi vero potuisset à Græcis

homi-

hominibus vanissimis tanta caligine sopita, latuisse, quam vix apud Cimmerios in densissimis tenebris occultam esse licuit. Theo. Recte tu quidem de Cimmerijs: sed difficile est custodire quod omnes petunt. Quod verum esse in thesauris deprehendis, qui tanto periculo effodiuntur. Item in absolutæ formæ feminis, quæ tot habent insidiantes. Verum legistine de Argonautarum apud Poetas in Colchum expeditione? Chry. Imo illorum adparatum & profectionem ex Apollonio Rhodio didici. Theop. Animaduertistine, in illa totam latere de artis Chemicæ inuentis historiam? Chrys. Minime. Theop. Idipsum suboluisse Aloisium Marlianum arbitror, qui suos de hac arte commentarios, Vellus aureum nominat. Magnum enim quiddam fuisse credendum est, ob quod tantum itineris & molestiarum, tentato primum pelago Græciæ proceres, duce Iasone, insumerent. Arietem itaque velleris aurei nihil potius fuisse credendum est, quam pelles & libros quod pergamenum postea dixerunt, aureis conscriptos literis, quibus vniuersa huius artis arcana continebantur. Suspensum vero in Aetæ Colchorum regis penetralibus, & in ipso templo, non sine perpetua hominum custodia. Quo ineffabili thesauro, a Medea filia, amoris insania percita, hospitibus ostenso, non infinitas tantum habuisse diuitias, sed & alia miranda peregisse credendum est. Præsertim cum exiguo negocio, quod nullis alijs medicaminibus fieri potest, Aesonem socerum decrepitum firmiori valetudini & quasi iuuentæ restituerit. Neque vero hæc tanquam fabulosa penitus rideas: cum senectus nihil aliud sit quam naturalis caloris imminutio. Imminuitur autem, cum motu prohibetur: ergo quod vires illius conseruare potest, imminutionem potest cohibere. Expende an ipse Apollonius metallorum passim in suo poemate mentionem faciat. Chrysop. Dij boni ne tu teipsum argute mihi prodis? Ex his tuis dictis certior factus sum, te in ipsis absolutæ scientiæ penetralibus versari. Nonne & tu idem multoties præstitisti? Iam vero id pernegas? Nonne tu deploratissimis morbis tulisti suppetias? cum medicorum scholas nunquam sis ingressus: sed solis illis tuis æthereis qualitatibus & abstractis, medicandi facultate omnes Europæ medicos anteuertas, illique palmam iamdudum tibi porrigunt. Tergiuersari ergo illud

diutius sine graui mea offensa non poteris. Theoph. Etiamsi hæc pro veris agnoscerem, nosti tamen à sapientibus esse dictum: Quod occultum esse vis, nemini dixeris. Fateor me quidem ex metallorum, tum metallicorum energia atque efficacia, multa ipsius Physices auxilio deprehendisse, quorum praxis ad vtilitatem publicam ipsamq; medēdi artem plurimum confert. Me vero tentasse quidquam priuati mei emolumenti ergo, nemini vsquam potest esse perspectum, cum intelligam id regibus ipsoque Iasoni fuisse exitio: qui à propria coniuge, forte quia incautius hoc mysterium tractasset, vna cum liberis funditus euersus, liberi autem cum aula regia exusti. Expende iam, obsecro, an tale quidpiam homini sapienti optandum sit: quantumque, tu hodie mihi, vt sapere incipias, pro meis monitis sis obligatus, præsertim cū luce clarius perspectum tibi sit, quam misere in ipsius Chemicæ sophismatis, sis versatus, & pisces aureo hamo ceperis. Cumque infinitis (quantum ego quidem scio) idem acciderit, vt deiecti tum valetudine, tum bonis omnibus: id postremo sunt moliti, vt malint videri, quam huius artis esse periti, potiusque esse credant aurum ementiri, quam aurum possidere, cum miseris omnibus, id habentes solatij, vt pœnarum socios habeant quoscunque possunt, eosque circumueniant, in manifestissima discrimina perducentes. Chrys. Tanta vsus es argumentorum vehementia, vt animum meum ab ijs, quibus addictus erat, omnino diuerterit. Itaque nec verbum quidem amplius de hac re faciam, si vnica de re saltem fuero per te admonitus. Rogo itaque vt aperte indicare mihi velis, quo iudicio, ego libros non tantum sophisticos atque nothos, sed & ipsos sycophantas, artisque calumniatores, prima fronte dignoscere possim. Theo. Id ego in tui gratiā breuissimis exponam. Ac quantum ad libros spectat, nihil pestilētius in hoc negotio irrepsisse scias, quam aliquot illorum nugę, qui se expositures antiquorum scripta pollicentur, & interpretes se iactant. Quo nomine (ironice) Lullus strenue se exercuit. Qui vt plerasq; scientias, ita & hanc artē fœde conspurcauit: cumq; omnes artes docere nititur, ipse vero ne vnam nouit: eo dementiæ peruenit, vt prius docere velit, quam discere: ita huius etiā Sophistices & imposturæ antesignanus esse voluit. Huius farinæ libellus ille est, cuius initiū, Omnis sapiētia à Deo, &c. in quo nugator ille (vt suis verbis dicam) omnia Philosophorum

rum ænigmata enodare: offendicula & errores ostendere, de tenebris in lucem se reducturum pollicetur: tandem vbi barbarica loquacitate multum est præfatus, in intricatiores Labyrinthos lectorem dimittit, quamuis illum suum librum Semitam directam nominat. Res profecto risu digna, persuadere sibi eorum scientiam, quæ nunquam didicit, existimans vniuersum mortalium genus tam esse stupidum, quam ipse est, donec propriam ignorantiam cum summa ignominia eruditioribus manifestat. Hæc prolixius refutare visum mihi fuit, vt illum homunculum, qui se Philosophum nominat, & sapientiam sibi à Deo tributam, insipientiæ arguerē. De antiquorum scriptis tantum periculi non est. Secundo, ex sermonibus protinus impostorem cognosces: Cum statim à primo congressu, Hermetis lapidem, lapidem (inquam) philosophicum, lapidem sanctum, tonat. Hoc enim primum insaniæ argumentum est: Si deinde aliquot annorum expensas perferendas dicat: si de specubus subterraneis, furnellis, rectis, incuruis, apertis, occultis, obliquis, pendentibus verba fecerit, si de vstionibus igneque perpetuo aut saltem diuturno, si de carbonibus vallium, montium, si de vitris arboreis, si de exercitio maioris & minoris operis, si de Mercurio philosophico, de rege antimonij, de luto sapientiæ, de duodecim aquis ad id pertinentibus. Sed quis omnem stultitiam breuibus comprehendet? Eum itaq; qui huiusmodi sonat, dicatque esse ad hoc institutum necessaria, aut insanum iudica, aut impostorem, aut vtrumque. Quod si tentare aliquid cum eo perrexeris, intelliges breui quod cum Græcis exclamare tibi liceat ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκεν. Illum hominem, in tuam hortulanam protinus cryptam detrude, & ad hydrargyrij decoctionem & arsenici compelle: vt ita celerem sibi interitum, in exercitio humano vsui necessario, stipendij loco, consciscat. Quod si in aliquem cui omnia huius artis arcana possent esse perspecta (qualem nullibi esse crediderim) incideres, mihi nunquam fiet verisimile, illum te vera artis mysteria edocturum: cum satis manifestum sit, quid potentiores satrapæ in illos, à quibus reconditas scientias addiscunt, tandem moliantur, ac quam ipsi mercedem pro immensis laboribus referant, nisi malint magnifice esse miseri, & in aureis compedibus per omnem ætatem degere. Id non negarim posse peritorum conuersatio-

nibus quantum a Domnes præclaras scientias spectat, mentis tenebras discutere. Quod & ipse Socrates, nulli scilicet, se vnquam sciétiam administrasse fatetur: sed quemadmodum medicus non quidem visum præstat, verum detersa caligine, aciem in obiectum dirigit, ita & circa scientias contingit. Maxime vero in absoluta Chemicæ nostræ cognitione locum id habere, sapientibus est perspectum: quibus equidem (si modo velint) ditescere, vt est facilimum, ita insipientibus (qui nihil prius in optatis habent) maxime arduum. Sapientiæ autem præmia ipsas diuitias esse, quæ cum mira varietate ærumnarum coniunctæ, & ipsius fortunæ ludibrio expositæ sunt, nemo vnquam sanæ mentis fatebitur. Igitur nec optandæ. Quamque hæc ita se habeant, intemperantia tamen hominum, & sapientiæ inopia, cum affectuum pertinacia coniuncta, ipsique (vt Sophocles dicebat) cupidatum furentes equi, ita multos agunt præcipites, vt miseram hanc atque precariam vitam, eiusque commoda, pluris quam omneis veræ felicitatis rationes faciant. Quibus euenire necessum est, vt priusquam sapere incipiant, extremum infortunium, & ipsa Ἄτη, illo miserando casu fœdoq; interitu dejiciat atque pessundet.

IOSEPHI QVERCETANI, ARMEniaci, D. Medici.

AD IACOBI AVBERTI VENDONIS DE ORTV ET CAVSIS METALLORVM contra Chemicos explicationem; Ac primum ad eius Epistolam conuitiatoriam, qua Paracelsicorum, quos vocat, nonnulla remedia euertere conatur:

BREVIS RESPONSIO.



Responsurus Auberti libello de origine metallorum & eorum causis, etsi responsione non magnopere digno, illud in primis præterire nec debeo nec possum, vehementer mirari me istorum hominum audaciam, qui hãc artem penitus damnare & execrari audeant tot veterum, eorumq; maximorũ virorum auctoritate comprobatam, quales sunt in primis

Hermes Trismegistus, Geber, Lullus, Arnoldus Villanouanus, ipseq; adeo noster Auicenna, quorũ testimonia, & auctoritate, & argumẽtis vsu deniq; ipso cõfirmata, grauiora sane sunt, quã vt dicterijs aut ratiunculis istiusmodi hominum eleuari tã facile possint. Hoc quidem concedo, quorundã imperitorum ac etiam interdum improborũ culpa & imposturis factũ, vt pessime audiãt Chemici: Sed dãnari ꝓpter abusum res ꝑsertim tantas, quantã hanc esse scio & defendo, profecto nec iure potest nec debet. Tot.n. illa nobis Dei Opt. Max. opera patefacit, tot pandit naturæ arcana, tot antehac ignotas pharmacorũ præparationes, herbarum deniq;, animantium, mineralium, ac omnium pene rerum abditos & in ipso naturæ sinu reconditos vsus depromit, vt in humanum genus ingrati sint, qui sepultam illam volunt. Ad Paracelsum vero ꝙ attinet, equidem mihi nequaquam proposui ipsius Theologiæ patrocinium suscipere, neque ipsi in omnibus astipulari vnquã cogitaui, tanquã in eius verba iurasse. Sed prer id testimoniũ quo Erasmus illũ quibusdam epistolis ornauit, ausim ego dicere & tueri; multa illum pene diuinitus in re medica docere, & q nunquam satis admirari & ꝑdicare grata posteritas possit, de quibus alius dabitur, vt spero, dicendi locus. Ea vero tu, Auberte, vt omnes norint quo iudicio susceperis oppugnãda, age de duob. illis agamus q̃ tibi in libelluli tui ꝑfatione suscepisti exagitanda, homo sane, vti video peracutus. Horum vnum, nempe Ladanũ, valde periculosum: alterum nẽpe aduſtorũ oculorũ cãcri, ridiculum etiã credis. Ac primũ, quoniam putas non esse illud Dioscoridis Ladanum, quæris quodnam illud sit. Hoc igitur discas ex me, sic à Chemiatris ipsum vocari laudabile certe medicamentum, & ꝙ plane suo nomini responderit, si Laudanum dicas. Sed ex opio, inquis, conficitur. An vero illud est quod hunc stuporẽ animo etiam tuo induci? Opium sane illi, sed longe meliori præparatione quam vulgo fit vsu receptũ, adhibetur: nõ sine vini spiritu, infusionis diambræ ꝑ mẽses aliquot, nõ sine essentia croci, castorei, corallorũ, margaritarũ, mumiæ, oleoq; cinnamomi, caryophyllorũ, macis, & anisi: ex quib. vt artis est recte mixtis, fit illud ꝑstantissimum medicamentũ ad arcẽdos oẽs feruores, sistendas defluxiones, doloresq; omnes mirũ in modum sedãdos: ita tamẽ hoc vt calorẽ natiuum non extinguat, quẽ potius conseruat & tuetur, spiritus corroborando, tantum abest

vt

vt ipsos stupefaciat, vel motum (quod est dictu ridiculũ) partibus adimat: sed mira quadam qua pollet facultate vires iuuando, vt ex superiorũ descriptione, debitaq; & non vulgari ꝑparatione ac mixtione conijcere licet. Quid si dices, si addidero, adhiberi præterea veram illam auri essentiã, varijs doctissimorum Philosophorũ & Medicorũ scriptis, antiquitus etiã cõmendatam? Ridebis, credo, ignotã tibi istam essentiam, plurimis tamen Philosophis familiarẽ. At idipsum aurum esse dico, temperatissimũ ad naturæ iuuandum robur, & aduersus affectus melancholicos, ad exolutũ ventriculũ, ad cardiacos, & præter rationẽ mœstos efficax remediũ. Certe in ipsius essentia, quam in tuo auro foliato, multo maiorem facultatẽ inesse merito credideris. Dabis & illud, mi Auberte, in eo purissimo, vim illam occultarum ꝓprietatum maiorẽ esse, quam in tuis iusculis cum auro coctis. Nec tamen, puto, credes (hoc enim nimis esset absurdum) aurum, quod ne ignis quidem ardore torreri absumive potest,

(*Vni enim* (vt scribit Poeta) *nil deperit auro*
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo, aut ærugo conficit vlla.
Cuncta adeo firmis illic compagibus hærent)

à natiuo calore decoqui aut deuinci ita posse, vt cor, integra remanente illius substantia, ipso corroborari quodammodo queat: quum sit hæc Philosophorum sententia, Terrã videlicet omnẽ esse mortuã, & spirit⁹ rerũ in corporib. solos agere.

Cæterum Laudanum ipsum quanuis opiaticũ, nõ ita tamẽ conuitijs est lacessendum. Id enim prius nõ correctũ, periculi plenũ existere, adeoq; nimia sua frigiditate mortiferum, Paracelsici, qui veræ & antiquæ Medicinæ tamen sunt sectatores, satis assequuntur. Nec enim dubitat ipsorum quisquam quin opium vt suam illam narcoticam vim pene amittat, à multis solo croco, castoreo, & myrrha emendetur. Quæ correctio quid prohibet, quin meliori etiam ꝑparatione fiat? Nã aloe quoq;, ne sui acrimonia venas exedat, abluitur & veratrũ nigrum, alias valde timendum & periculosum, (vt à Chemiatris hoc etiã discas) vini spiritu & anisi oleo cõmodum sic vsui redditur, vt etiam tuto pueris administrari possit, ad hydropẽ & omnes melãcholicos affectus. Non ergo ita temere & imprudẽter sunt dãnanda opiatica, ex quib. varia componuntur pharmaca ad vehemẽtes cruciatus cõsopiendos colicorũ, ne-

phri-

phriticorum, pleureticorum, arthriticorum, ad somnum accersendum, ad tussim leniendam, sanguinis excretionem cohibendam, destillationesque omnes sistendas: quale & Philonium illud est vetustioribus etiam Medicis probatum. Sed & opiatica sunt necessaria in antidotis ad principes partes corroborandas, ad arcendam cuiusuis veneni malignitatem & infinitos alios affectus: vt videre est in summa illa Theriaca ab Andromacho seniore descripta, quam etiam opii vnciæ tres ingrediuntur: itemque in Mithridatij quarta & vltima præparatione, quam Galenus, Aetius, aliique Græci ex Antipatro & Cleophanto vetustioribus Medicis deprompserunt, cuius etiam vires Theriacæ proximas descripserunt. Excipies fortasse non ita esse temperatam huius Laudani nostri compositionem, vt illa est Theriacæ Andromachi. Illam igitur nosse te prius oportuit, quam reprehendere: quam tamen & ratio commendat, & experientia perutilem satis demonstrat. Quod vnicum remedium te tuiq; similes habere satius esset ad multos curandos morbos, quam variis istis herbarum decoctis vti, quibus perquam miseri multi excruciantur. Opio quidem seipsum vitæ tædio interemisse Licinium Cæcinnæ patrem Plinius scribit: at nostro Laudano nemo reperietur, sat scio, qui suo damno vsus fuerit, quod tu tamen falso & impudenter scribis. Imo multi docti piique viri fidem facient, cum felicissimo successu, & ægrorum vtilitate non mediocri in omnibus defluxionibus, & incendiis sedandis, & aliis quibus præscribitur affectibus, non sine ratione exhiberi. Cuius præstantissimi medicamenti compositionem ac præparationem descriptam, tibi tuique similibus incognitam, prœlo cōmisissem, nisi tua me cogerent scripta expendere, an margaritas expediat quibusvis conculcandas præberi. Venio ad alterum medicamentum, quod rediculum vocas. Oculos cancri calcinatos quartana laborantibus à nobis exhiberi rides, ac præsertim quod vna dosi sesquidrachmam huius cineris, suæque mixtionis ad quartanæ curationem præscribamus. concludisque tandem tot cancrorum oculos suggerere vix posse totum Lemanum lacum. Quod certe est verissimum, Nullos enim is lacus continet cancros, Astacos autem plurimos: quod tu, mi Auberte, male annotasti. Crustatorum enim quæ μαλακόστρακα Græcis dicuntur, sunt quatuor præcipue genera. Vnum dicitur κάραβος, id est, locusta: alterum gam-

Plin. li. 20. Nat. Hist. cap. 18.

marum vocant, quem ἄστακον Galenus appellat: Tertium καρίδα, quem squillam dicunt, & quartum Cancrum quem καρκίνον Græci nuncupant. Quorum diuersa esse genera doctis satis constat. Astaci, quos cancros putasti, qui Gallis dicuntur *escreuisses*, locustis sunt similes parumque aut nihil differunt, nisi tantum chelarum brachiorumque quorundam varietate Corpus enim caudamque longam habent, in qua pinnæ quinque inueniuntur. Ast solis cancris corpus est rotundum, vt qui nullam prorsus caudam habeant, quod illis minimi sit vsus: quandoquidem proxime terram vitam agunt, cauernasque subire solent, neque plurimum natant. Quod vt melius intelligas, poteris consulere Aristotelem, Plinium, & præsertim Edoardum VVotthonum libro 10. de different. animalium: Matthioli quoque commentaria in Dioscoridem, qui te omnes docebunt magnum præcipue esse discrimen inter astacum. de quo tu imprudens loqueris, & cancrum fluuiatilem aut marinum. Sed dices, non ita multū curandum esse de verbis, istaque crustatorum animantium genera vt plurimum inter se confundi. Esto: Hæc etiam obiter dicta volui, quod iis egere te videam, & vt hinc nostra clarior euadat disputatio. Cancrorum oculos calcinatos in quartanis præscribi duobus modis absurdum putas, nempe quod siccitate & acrimonia augeant quartanariorum affectum: Subtilis profecto argutia ac tanto Medico digna. Non ignoramus, mi Auberte, continentem causam siue febris quartanæ materiam, ipsum succum melancholicum esse, qui cum propriis ex causis multus cumulatur, nec calore natiuo regi potest, tandem putrescens hanc febrem incendit. Hunc melancholicum humorem faciunt Medici duplicem: vnum naturalem, qui est quasi fæx & limus sanguinis: Alterum adustum, qui quorumuis humorum torrefactorum velut tartarum est concretum, aut cinis. Id fit præsertim ex bile flaua, & melancholia adusta, quamuis & interdum ex pituita, torrefacta, si Arabibus credimus. Quum ergo melācholicus succus, qui frigidus est & siccus, harum sit febrium materia: illarum causam partim frigidam & siccam esse tecum fatebimur: At siccorum & acriorum omnium vsu illum augeri negabimus, vt falsum. Nam quum hic humor sua natura crassus sit, viscidus ac lentus atq; is exuperans, potissimū in liene, in mesenterio, & circū hypochondria coaceruari soleat, & tandem temporis successu indurari:

Plin. lib. Nat. Hist. 9. cap. 7.

certe

certe illum emolliendum, digerendum, rarefaciẽdum, attenuãdum, incidendumq; esse Medicorũ doctorum dubitat nullus; quæ autẽ ꝑ hac intẽtione, minore pollent facultate χαλαστικὰ siue emollientia, aut μαλακτικὰ Græcis dicuntur: quæ maiore vi calidiora atq; tenuiora sunt, ad secundum tertiumve ordinem ἀραιωτικὰ Græcis, Latinis rarefaciẽtia dicuntur, q̃ calore & mediocri siccitate solidas, compactasq; materias soluunt ac diffundunt, scirrhosq; oẽs lienis & viscerum affectorum emolliunt, digerunt, ac dissipant. Quorũ medicamẽtorum tẽpestiuus plertim vsus in quartanis & requiritur & valde laudatur. Sic cortex fraxini, capparis, radix brioniæ, cucumeris agrestis, ebuli, & iridis, calida omnia & sicca etiã aliqua tertio gradu, durities omnes emolliunt, & discutiunt assumta, vel etiã apposita foris: lienes ipsos induratos liquefaciunt & absumunt. Sic de ammoniaco bdellio, opoponace, galbano dicerem: quæ quanvis calida & sicca sint omnia, tamen magnã habere vim emolliendi ac digerendi tonsoribus ipsis notum est. Ergo emollientia & rarefacientia, quum ad quartanæ curationem cõueniant, vt omnes fatentur, tempestiue sumpta, non ita absurdum putabis ac ridiculum, Iacobe, si quidã etiã vtantur cinere oculorum, & aliquando capitum cancrorum, aut illorum defectu etiam gammarorum. Cineres.n. illorum crustatorum animantium, oculorum præsertim, magnam etiam exsiccando habent vim attenuandi & resoluendi fæcem illam humoris melancholici, quã tartarum cõcretum, qui à te Paracelsici nuncupãtur, appellant. Quod si calcinationes istas, quib. nos sæpius vtimur, abhorres, idq; cur fiat, expostulas: hoc discas, Auberte, ex Galeno de simpl. med. facult. lib. vndecimo, quum de sale verba faciens, talia refert. Sal vstum digerit quidẽ potẽtius, quã vstionis expers, quãto scilicet subtilius ipsum corpus, accepta ab igne facultate redditur. Quũ autẽ, vt eodẽ libro scribit, quę tenuium sunt partium medicamenta, ijs q̃ sunt crassarum partium plus habeant efficaciæ, etiamsi pare fortita fuerint facultate, nimirum q̃a melius penetrent, nos ea sola ratione vtimur calcinatis cancris, ꝑsertim ad fæces & tartareum humorem exoluẽdum. Nã calcinatione, sal rerum extrahitur: sal autẽ sale solo resolui potest, si bene intelligas: atq; ita nõ contraria contrariis, sed similia similibus curari disces, quamuis alia nõdum tibi perspecta ratione. Cur alioqui spongiarum calculos, cur adustum vitrum, Cap. 10.

cur

cur inarefactum hircinum sanguinem, cur cochlearum cineres, cur calcinatum Iudaicum lapidem, cur os sepiæ calculo aut renum tartaro, tanta vi prodesse diceres? Intelligo, Confugeres ad sacram asinorum anchoram, nempe proprietatū occultarum: quod tamen ipso sale fieri, qui illos resoluit, & per vrinas expellit, ratio ipsa docet. Quid ergo diceres de Troglodyte laudatissimo illo antiquorum medicamento ad eādem affectionem, cuius meminit P. Æginet. lib. 3. cap. 45. vbi hæc scripta reliquit. Hic inquam, totus sale conditus, crudusque frequenter commanducatus, calculos iam creatos per vrinam expellit, in posterumque generari prohibet. Quod si integer comburatur cum pennis, cinis vniuersus per se & cū piperis momento, ex meto & melle potus, idem potest efficere. Vides, quomodo etiam antiqui absurdis, vt scribis, illis cineribus vsi sint, & quibus in affectibus, nempe in calculis ipsis renum curandis, quorum tamen materia, humor est ita etiam crassus, vt calore lapidescat. Quantum autem calcinati cancri ad eundem affectum valeant, ab Hollerio & Matthiolo annotatum, atque millies certa experientia compertum fuit. Nec prætermittam inter cætera quæ huic affectui adhibentur medicamenta, crystallū quod primas tenet: crystallum inquam, reuerberatorio calcinatum, ex quo tandem extrahitur sal, ex cuius resolutione in humido, fit præstantissimum oleum, ad omnes etiam delendas viscerum obstructiones perutile. Non est ergo quod tam ridiculum putes è calcinatis cancrorum oculis depromptum remedium, nec ita in ipsum acerbitatis tuæ virus euomas. Hoc addam ex Galeno, omniumque veterum sententia, eos ipsos calcinatos cancros totius substantiæ proprietate, canis rabidi morsibus mirabiliter efficaces esse. Rabiem autem etiam siccissimum esse affectum denotant ipsius Galeni verba, quæ refert ex Pelope suo præceptore. Non abs re, inquit, cancer, quum animal sit aquaticum, prodest à cane rabido morsis, quib. videlicet metus est, ne corripiantur affectu siccissimo, nempe rabie. Nunc superest vt de acrimonia, quam in cancrorum calcinatione inuenis, verba faciam. Ea, inquis, quartanam auget. Atqui vereor, ne quid sit etiam acris sapor, te plane ignorare ex istis verbis docti existiment. Acrem enim non esse cancrorum cinerem nobis facile fuerit demonstrare, siquidem acria esse calidissima omnibus Physicis est notum. Cuiusmodi constituuntur

De simpl. med. facul. c. 30. lib. 7.

uncur

üntur duplicia à Medicis. Alia enim edi possunt, alia esui sunt inepta: illa dulcem quandam, saltem obscuram, admixtam habent qualitatem, ista mortifera sunt, si Galeno credimus, aut saltem omnia cuti nostræ imposita vlcus celeriter moliuntur. Et hæc vera acria dici possũt, vbi videlicet alienis qualitatibus non permiscentur, quorum terminus ac proprius finis est vrere, quemadmodum amari, abstergere, & dulcis, nutrire. Id autem cancrorum cinerë non efficere monstrant Galeni verba, quum de differentijs amari acrisq; saporis disputat. Acrem enim, admixtam quandam humid[illegible]tem habere refert: amaros autem omnes non modo calid[illegible]vere facultatem, sed & siccam fatetur, cineriq; (vti eos qu[illegible]ime comparet) adsimiles dicit. Qua ratione melius dixisses, oculorum cancrorum cinerem amarum quam acrem esse quorum tum absumitur ac defluit humor in vaporem à calore solutus, siccitas & cineratio efficiuntur: vnde non acrem, sed amaram acquirunt qualitatem, & substantiam quamuis terrestrem, tenuem tamen, quanto scilicet subtilius ipsum corpus accepta ab igne facultate redditur; vt supra ex Galeno diximus, calidumque & siccum necessario efficitur: proinde amarum quoque abstergere, comminuere; secare crassos viscosque humores, sicut cinis & nitrum, non est dubium, vt docet Gal. quem melius alias poteris consulere; ne etiam ipsorum primordiorum ignarus plane videaris. Sed quoniam aliquid & tibi condonandum video, age, concedo tibi lubens, acrem esse cancrorum calcem; quod autem quartanam sui acrimonia augeat, id ego pernego. Nam quæso te; mi homo, an non sinapi, piper, allia, ab omnibus dogmaticis tum Græcis, tum Arabibus, ab ipsoque Paulo Æginet. quartanarijs adeo conceduntur, vt etiam pro victu præscribantur? Et diatrion pipereon vel diospoliticon, quod appellant, an non inter medicamenta quartanæ censentur? Nec alienum etiam erit in medium proferre Hollerij celeb. trimi Medici verba in hanc sententiã, quum de uictu quartanariorum disserit. Quod ad victum attinet, inquit initio è materia media interuallis quoque ab initio ad vigorem, rebus acribus, vt sinapi, & salsamentis vti licet, quorum & post vigorem tempestiuus vsus est. Addit sub finem: Nam ideo sa samenta imperantur, quia sal incidit, attenuat, discutit excrementa, siccat, virtutem colligit & roborat. Hisce omnibus

De simpl. med. facul. lib. 2. cap. 17.

De simpl. med. facul. c. 18.

Simpl. 11. cap. 51.

Simpl. 4. cap. 18.

Lib. de Febrib.

puto tibi satis, omnibusque esse perspectum, quam toto cælo aberraueris in contemnendo nostro remedio, ex vera certe Dogmaticorum doctrina deprompto. Quoniam autem cætera quæ ipsi remedio adduntur simplicia ignoras aut saltem taces, ecce tibi gratificabor, & compositionem tradam. Recipit radicem aronis præparatam, item rad. acori vulgaris, & pimpinellæ præparatas, atq; exsiccatas, oculos cācri calcinatos, (quorum pro vnaquaq; dosi non ingreditur medius scrupulus) semen nasturtij, & saccharum. Omnium fit mixtura: dosis est cochlear vnum mane, pro corroborando imbecilliori ventriculo, & ad pellendas viscerum obstructiones, duritiesque lienis optimum remedium: & quamuis familiare, sæpius tamen probatum, ac doctiss. plerisque Medicis hodie vsitatum. Istud autem tam absurdum esse, ac quartanarijs ob esse, Doctorum dicere puto neminé. Debuisti ergo, si volebas Paracelsi medicamenta redarguere, speciosius aliquid deligere, in quo magnitudinem ingenij tui exerceres, eruditionemque tuam probares. Sunt enim ista, quamuis, vt tu inuidiose vocas, Theophrastica, tamen rationi consentanea, ac docto cuiuis Medico probanda. At tu illa fortasse nec diuino Hippocrati, nec Galeno cognita fuisse dices, ideoque concludes reiicienda: sed illud tuo solo iudicio, nulla tamen cum ratione. Non enim summam & doctrinam & diuinam illorum eruditionem contemnimus, nec illorum piam violamus memoriam, quod dicimus illos in re medica quidem primos claruisse, non tamen omnium medicamētorum genera tenuisse, aut illorum omnium etiam facultatem cognouisse. Vita enim breuis, vt inquit Hippocrates, & ars ista quæ circa experientiam etiam periculosam versatur nimium longa. Aphor. 1. Nec puduit Galenum fateri, quum de Hydrargyro scribit 9. simpl. cap. 19. se nullum fecisse ipsius periculum, neque quod interimeret, si deuoraretur, neq; vbi foris admoueretur. Neque est quod putes Theophrastum tot remediorum inauditorum primum & solum fuisse inuentorem, quorum notitiam ipsemet in suis libris fatetur se habuisse ex colloquio diuersorum doctiss. tum Philosophorum tum Medicorum, Ægyptiorum & Arabum præsertim, apud quos ille discendi causa per aliquot annos etiam captiuus remansit, ex quibus tot pulcra remediorum spolia tandē reportauit: quæ quidem omnia sunt depromta partim ex aromatum, herbarum, fructuum,

ctuum, florum, & seminum extractis veris oleis, & laxantium omnium essentijs, quorum etiam plus proficiet gutta, quam tot & drachmæ & unciæ: quæ tamen etiam vt tota substantia operentur, seminari & superinijci possunt proprio sali, quod in multis præstare licet, sicut in alijs terra reijci debet, tanquam plane mortua, & purgationi prorsus contraria. Ex varijs quoque resinarum, gummi, & cæterorum vegetabilium generibus desumuntur variæ, pulcræ, & valde vtiles præparationes: quemadmodum & ex multorum animalium diuersis partibus, ex quibus recte præparatis multa conflantur medicamenta valde salubria: vt ex vera pparatione mumiæ, Theophrasticis solis nota, laudatissimum fit medicamentum in pestilentibus affectibus: ex oleo & sale cranij hominis non humati ad Epilepsiam: ex oleo mellis & ceræ ad tophos, axungiarumque alijs præparationibus ad leniendum & melius resoluendum. Sic etiam ex moscho, zibetta, castoreo, ex monocerotis cornu, ebore, cornu & osse cordis cerui, ad cardiacos & alios affectus: & ex alijs infinitis multa fiunt extracta, quorum omnium rectam edocuit ars Chemica, quam damnas, præparationem. Non enim ex solis metallicis, non ex pretiosis lapidibus, & gemmis, vt inepte multi putant, & toti orbi persuadent, Theophrastica desumuntur remedia: quæ nec acria sunt nec violenta, vt ignari & rerum imperiti clamitant, sed dulcissima, naturæque nostræ familiarissima, quam spirituum præstantia conseruant, viuificant, ab impuritatibus, solis plerunque sudoribus expurgant, tota denique substantia non parum proficiunt, vt Doctorum multi quotidie felici cum successu experiũtur. Sed de his plus quam satis. Iam ergo ad ea quæ de metallis scribis, nobis progrediendum.



AD IACOBI AVBERTI VINDONIS DE ORTV ET CAVSIS METALLORVM CONTRA CHEMICOS explicationem.

IOSEPHI QVERCETANI ARMENIACI, D. Medici responsio.

Agric. lib. 8. de natura fossil.



METALLVM esse corpus fossile natura vel liquidum, vt argentum viuum: vel durum, quodque ignis ardore liquefieri possit, sicut aurum, argentum, æs, plumbum, stannum: vel molliri, veluti ferrum, nonnulli scribunt. Alij autẽ propria nominis significatione omnia quæ in visceribus terræ effodiuntur, metalli nomine vsurparunt. Sic Onesicritus scripsit in Carmania esse metallum rubricæ: In Lybia circa Atlantem, salis, Herodotus. Hocq; testatur Plin. lib. 33. suæ nat. hist. Alij vero id quod liquatum in suam reducitur pristinam formam quodq; ductile & malleo extendi potest, estque durum & impressile, proprie metallum esse dixerunt. Hacq; ratione illa præsertim in sex diuiserunt, in Aurum scilicet, Argẽtum, Æs, Stannum, Plumbum, & Ferrum. Addiderunt nonnulli Mercurium, non quod actu sed quod potentia metallum merito dicatur. Hæc autem Planetarum vocabulis Chemici nominare cõsueuerunt, non vt ipsorum materiam ad planetas referant quod inepte putat Aubertus: sed partim moti similitudine quadam maiorum ac præcipuorum syderum, qua ratione perfectiora duo metalla, Solem & Lunam appellauerunt: & propter duritiem ferri, Martem, quem belli & armorum Deum Poetæ sunt commenti: ac argentum viuum propter maximum ac pene incertum motum, Mercurium dixerunt: partim etiam Pythagoricorum instar, vt arcana sua, inuolucris quibusdam ænigmaticis obtegerent. Cæterum nullam video rationem, cur stibium inter metalla proprie numerari debeat: quare ex illorum genere (pace Agricolæ dixerim, cuius auctoritate nititur Aubertus) est excipiendum: quum illorum definitioni omnino repugnet. Siquidem liquata metalla omnia ad suam redeunt formã propriã, ductiliaq;, dura & impres-

impressilia sunt omnia:qua ratione à multis lapidibus liquabilibus,in quibus non est humiditas valide permixta cũ sicco terrestri, secernuntur: quemadmodum & ab infinitis marchasitarum generibus & semimetallis. Stibium autem liquefactum pristinam omnino amittere formam rerũ periti quotidie experiuntur, & quum ipsum nec ductile esse, nec imprimi posse ipso vsu constet, proprie metallum id dici non potest. Veruntamen hoc affirmare placuit Auberto nostro, in metallicis vsque adeo erudito, vt adhuc somniet glaciale stãnum,(quod vere bisemutum est,& cinereum illud plumbi genus de quo plura Agricola lib 8. de nat. fossil.) stibium excoctum, ac Chemicorum regulum esse:quod plane est absurdũ. Non enim stannum glaciale quod bisemutum recte appellatur, stibium est vllomodo præparatum: neque Chemicorum regulus,tartaro & nitro extractus,bisemutũ dici potest,quod doctis,omnibusq; sanæ mẽtis relinquo iudicandum. Sed ista parum ad rem, quum metalli nomine plura, vt diximus, non proprie tamen dicantur. Estq; sane Auberto istud condonandum, qui nullas fodinas vsquam conspexit, vt de his recte iudicaret:nec Agricolæ sententiam percepit. Interim conqueritur ille: quod Chemici metalla ipsa diuidant, in perfecta & imperfecta: idq; ridiculũ putat multis de causis. Primo, quod quædam tradita à Gebero definitio,non minus vni quam alteri metallo cõueniat,quum tamen,vt probe perfecta ab imperfectis discernerentur, vna his, altera alijs definitio fuerit statuenda. Quasi vero viri definitio puero non conueniat, quamuis ad viri ætatem nondum peruenerit,& alijs accidentibus videatur ab ipso, quemadmodum & inter se metalla, differre. Sic alia ac diuersa esse deberet corallorum alborum & rubrorum definitio,quamuis inter se differant, quod ratione absolutæ coctionis & terminatæ,alba nõ attigerint perfectionis vltimum gradum: quorum tamen omnium vna & eadẽ est definitio. Sed vt suam melius comprobet Aubertus opinionẽ,quæcunq;essentialem habent formam,quam singula metalla habere certum est, perfecta necessario esse scribit: piamq; & rerum parentem naturam in suo obeundo munere haud quaquam cessare vel quiescere, nisi impediatur dũ scopum sibi propositum attigerit. Addit, materiam ex qua naturale fit aliquid,& circa quam versatur natura,tãtisper moueri dum essentialem suam sit assecuta formam. Ex his omnibus

tandẽ cõcludit metalla recte in perfecta & imperfecta diuidi non posse, neq; aurũ aliis prǽstantius ac perfectius, etsi splendidius & temperatius, vllo modo dici debere: quæ omnia nũquam manca & futilia, nobis sunt confutanda. Atque vt omnia debito ordine persequamur, aurum ipsum à veris Philosophis perfectius cæteris metallis ac præstantius & purius merito dici, nobis est demonstrandum, vt hinc concludamus, metalla in perfecta & imperfecta à Chemicis non sine ratione distingui. Ergo vt nitar etiam auctoritate Agricolæ, à quo præsertim Aubertus ista sua omnia deprompsit: is certe non solum splendore, sed & colore, sapore, odore, pondere, ac potestate differre inter se metalla scribit lib. 5. de ortu & causis subterraneorum: & præcipue de splendore (quem tu Auberte in auro & argento etiam adesse confiteris) verba faciens, inquit. Sed quo humor ipse fuerit subtilior, densior, & purior, eo metallum est nitidius & splendidius: qua de causa etiam hac parte cæteris præstat aurum. Cuius auri præstantiam ipse etiam Agricola quærit in differentiis odoris, saporis & ponderis. Imperfecta enim metalla, quum se in liquorem induerint, amara gustu percipiuntur, vt æs & ferrum. Amaritudinis autem causa est terra adusta, quam ea metalla participant, vt ipse Agricola testatur. Reliqua vero propter terrã puram aut aquam vberiorem, non admodum sensili sapore liquores afficiunt: imo subdulci, vt aurum & argentum. Quin etiam quum ipsi auro terra insit purissima, & optime cum sua aqua temperata, fumum perexiguum, vixque sensilem quum vritur, ex se emittit, & dulcem magis quam fœtidum. Præterea addit Georgius, auro, dum igne purgatur, excremẽtum quasi nullum inesse ob puritatem, reliquis multum: sed eo plus vni quam alteri, quo fuerit impurius. Est etiam auri præstantia in ipsius vi ac potestate inuestiganda, quod præter ipsum & lunam, cætera in cineritio & copella in fumum euanescant, ac violentia ignis intereant: quod illis accidit, prout terra minus pura, minusque bona temperatio in ipsis reperitur, atque id vni quam alteri citius, vt ferro accidit, propter terram impurã quæ multa ei inest. Sed quũ aurum vnicum nullo igneo ardore consumi possit, vt inquit Arist. nihilq; amittat sui ponderis, si aut exuratur aut examinetur: terrã ipsum habere purissimã & optime cũ sua aqua commixtã oportet: vnde fit illius vt terra arceat & cõtineat humorẽ, ne eum expiret: cõtra humor

4. Meteor. cap. 6.

humor, tueatur terrā ne accendatur, vt inquit Agricola: quod fit vt alii volunt, ex ficco & humido fubtiliffimis, & non habentibus aliquod impurum admixtum. Hac ratione aurum fecundum naturam rerum eft purius reliquis metallis, & illa pretio fuo vincit, quia fimpliciffimum & puriffimum metallū eft, & ab imperfectione elementorum propter fuam formam remotiffimum. Sic Plinius, vni rerum, inquit, nil deperit auro, igne: quod & cecinit Poeta, vt ex fuperioribus videre eft. Lib. nat. Hift. 33. c. 3.
Atq; ex his colligere licet, inter omnia metalla vnum effe aurum, non folum fplendidiffimum, temperatiffimumq;, fed & perfectiffimum, cuius refpectu cætera metalla merito imperfecta dicātur. Nam femper tendit natura ad folam perfectionem, nempe ad auri confectionem, quod folum inter metalla dicitur perfectum. Nullum enim agens naturale, vt dicunt Philofophi, defiftit ab actione in fua materia, nec feparatur, nifi cum introductione formæ in illa materia. Ergo quamdiu agens eft coniunctum materiæ, vel agit in materiam, id dicitur imperfectum, quoniam perfectio rei non eft, nifi per introductionem formæ. Quum igitur in omnib. metallis aqua quædam vifcofa, quam argentum viuum Philofophi Chemici propter conformitatem appellant, fubiiciatur loco materiæ, & fulphur, quod ita quadam fimilitudine vocant, agentis & introducentis formam in illa materia, non poterit aliquod metallum dici perfectum, nifi à quo feparatum fuerit ipfum fulphur. Sed quoniam reliqua metalla habent admixtū prædictum fulphur, in materia quo perimuntur, denigrātur, calcinantur, & comburuntur, (quod illis accidit folum propter illam exhalationē ficcam, nempe fulphur, quod fit materia apta ignitioni) hac de caufa imperfecta omnino dicuntur. At è contrario, quoniā folum aurum eft omnino ipfo fulphure expoliatū, quod fatis per fe denotat auri & argenti viui affinitas: (omnia enim, vt fcribit Plinius, ei innatant præter aurū, quod vnū ad fe trahit) hac ratione eft immune ab omnib. iftis corruptionib. & in igne & extra ignē. Merito autē dicitur folum perfectum & formatū fecundum primam & veram intentionem naturæ: completum, quia peruenit ad vltimum finem in quo cōpletur: purū, quia agens non eft immixtū materiæ, fed ab ipfa feparatū. In hanc fententiā hæc fcribit Arift. Met. 3. c. vltimo, de metallis verba faciens. Quocirca inquit, & terram in fe continent & vruntur omnia, quod ficcam exhalationem Lib. Nat. Hift. 33. cap. 6.

habeant. At aurum vnum omnium nequaquam vti solet. Sed his non contentus rationibus, respōdebit Aubertus: Quęcunque essentialē sunt assecuta formam, ea perfecta esse necesse est: metalla autem singula suam substantialem habere formā præter bardum aliquem cinislonem, neminem negare dicet, & hac ratione omnia etiam esse perfecta concludet. Sed huic obiectioni respōdere nobis satis erit facile: Nam illæ res quidem quæ perstant in natura sua, perfectæ dicuntur in sua specie per suam formam substantialem, sed quędam perstant natura in sua specie, q̄ tamē perficiuntur quoquomodo per suam formam substantialem, ad quam est quidā terminus motus, sed quia feruntur ad aliam substantialem formam vltimā quæ omnino rem ipsam cōplet ac perficit: ideo dicuntur esse imperfecta, quandiu sub illa prima forma permanent, habita ratione vltimæ illius ad cuius assequutionem contendunt. Quod si non habeatur ratio vltimæ illius formæ, sed in se solum considerentur, sunt sane perfecta in illa sua specie, per illam suam formam substantialē, prout exigit illa species. Hoc in generatione ouorum omnes vident, in qua est quidam terminus motus in acquisitione suæ formę substantialis, quę sic permanet. Sed quia ipsa oua sunt eo destinata à natura, vt nō permaneant sub illa forma, sed ad generandam auem, & ita fit acquisitio substantialis formæ vltimæ: ideo dicuntur oua esse imperfecta sub forma oui, perfecta autē res illa est post generationem auis, cū ibi sit finis ouorum vltimus. Hoc quoque est de metallis iudicandum, q̄ licet quandam sint assecuta in sua specie essentialem formam, non possunt tamen dici perfecta, habita ratione auri, quod solum, vt diximus, perfectum est, quin peruenerint ad finē illum vltimū & absolutum, nempe ad ipsi⁹ auri perfectionē, & aurū euaserint. Et quemadmodū in generatione embryonis fit cōparatio animę vegetabilis ad sensibilem, & sensibilis ad rationalem, quia illa sunt sicut dispositiones ad rationalē & non sicut formæ, sic imperfecta alia metalla ad aurū se habere vidētur. Itaq; Chemici philosophi merito diuiserunt metalla in perfecta & imperfecta. Nam quanuis metallorum differentia sit in forma ipsa, non erit tamen ꝓprie differētia speciei, sicut equi & hominis differētia, sed sumetur magis ꝓprie penes materiā & partes eius, scilicet secundū digestū & indigestū, completū & incōpletum, quum illa sint eiusdē propriæ materiæ penitus, sed indigesta & incōpleta,

pleta, determinata ad aurum. Quod autem ferrũ, quia magis vsui hominum commodet, nobilius idcirco auro iudicat Aubertus, id opinor, ne Medicis quidem vllis quantumvis indoctis, aurum tamen non ferrum captantibus persuaserit. Sed de auri præstantia & perfectione satis à me dictum puto. At quoniam diximus omnia metella eiusdem esse materiæ propriæ, quamvis non pariter in omnibus digestæ, qua in re vertitur quæstionis cardo, iam ad materiam illam metallorum perquirendam accedendum. Metallorum, quemadmodum & reliquorum mixtorum corporum, duplicem cõstituunt materiam Philosophi: vnam generalem & remotissimam, quæ sumitur ex elementis, tanquam ex omnium rerum primarijs, ex quibus vt simplicissimis constant, & in quæ simplicissima resoluuntur. Horum autem elementorum qualitates virtutesq; tantum in se mutuo transire, omninoq; misceri, Peripatetici in Stoicos contendunt: qui ipsorum substantias totas esse totis permixtas contra affirmare conantur. Sed missis lubricarũ opinionum istis fluctibus, ad tutum & tranquillum portum nos recipimus, & in hac re Auberti comprobamus opinionẽ, existimantis in mixtis non essentialiter aut actu, sed potestate subsistere elementa: quod Galenus testatur lib. primo method. medendi, vbi elementa suis qualitatibus duntaxat tota totis misceri scribit. De secunda vero ac propria ipsorum materia, non vna, sed longe diuersa est etiam multorum Philosophorũ opinio. Alij enim halitum humidum, materiã metallorũ proximam dixerunt, vt Aristoteles: nonnulli aquã alijs elementis affectã, quod Agricolæ placuit, cuius opinioni assentitur noster Aubertus: alij cinerẽ aqua madefactũ. At Chemici, quorum opinionẽ Aubertus peruertere conatur, argentum viuum ipsorum materiã dixerunt: addiderunt nonnulli sulphur. Quæ omnes opiniones breuiter ac diligenter nobis sunt examinãdæ, vt res clarior euadat, & immerito Aubertum & alios in tot præclaros Chemicos Philosophos irruisse omnes intelligant. Aristoteles Philosophorum facile princeps, eorum quæ fiunt intra terram & supra potestate ac vi cælesti, duplicem constituit materiam, halitum videlicet & vaporem, quorum mixtione in terræ penetralibus fieri & nasci omnia censet: eaque pro diuersa natura materiæ bifariam distinguit, nempe in fossilia & in metallica. Fossilia sic dicuntur, quod fodiantur è terra, & similia sint terræ effossæ, nec sunt liquabilia, vt

3. Met. ca. vltimo.

 lapidum

lapidum genera, quæ ex ficca exhalatione ardore incenfa, & humidum fuo calore confumente, & quodammodo adurente conficiuntur. Alia funt metallica, quorum quædam funt fufilia aut liquabilia, quod plus accedant ad natutam humidi quam ficci, vt plumbum & ftannum: & ita appellantur quod facilius liquentur, quum ducantur. Ductilia vero contra, quæ maiori cum difficultate fundantur, vt ferrum: quorum proxima materia eft halitus vaporofus, qui frigore cogitur & concrefcit in metallum fecundum fententiam Ariftotelis, quem tamen nofter Aubertus credit reprehenfione dignum. Nam, inquir, in rerum natura accidere haudquaquam id poteft, vt ab vno extremo contrariove in alterum fine aliquo medio fiat transitus. Conftat autem contrarijs prædita effe qualitatibus tum metalla, tum halitus, quod hi tenuiffimi, illa vero fint cariffima. Hinc concludit in metallorum ortu, halitus vaporesque neceffario prius in humorem concrefcere, quam in metalla indurefcere. Hæc ille ex Agricola depromfit. Sed immerito reprehenfum Ariftotelem defendit fatis fuperq; vir longe doctiffimus Iacobus Schegkius comment. fuis in lib. meteorων Arift. vbi docet alium effe halitum fiue vapotem ex quo aqua concrefcat, & alium ex quo metalla: quum etiam alius fit ex quo pruina. Ponderofior enim & craffior eft interdum, quam is fit ex quo aqua. Qua ratione remotiorem proponunt metallorum materiam, qui aquam illam effe dicunt, quam qui halitum: quum magna pars μετεωρῶν ex his halitibus & vaporofis materijs, caloris vi ex aqua & terra excitatis gignantur: quum fœcunditas terræ & aquæ nulla fit abfque calore. Calor enim tanquam primam fobolem & fœtum, procreat duo hæc, in quorum natura parentum vigor, quatuor nempe elementorum repræfentatur, & confpirat genitalis quodammodo vis eorundem, qualitatibus duabus mafcula vi agentibus, cæteris vero duabus quafi femineis patientibus: vtrifque vero tanquam patri temperationi cœlefti obedientibus. Vnde procreari inanima hæc confueuerunt inftrumento qualitatum primarum. Illud autem fenfu ipfo percipi poteft: offerunt enim fefe tam craffi vapores fubterraneis in locis interdum, vt refpirare fodientibus non liceat, atque interdum etiam propter craffitudinem, tefte Galeno, fuffocentur. Quod fi tam craffi funt, quis credet contrarijs prædita effe qualitatibus tum metalla, tum halitus,

Lib. 5. de ortu & caufis fubter.

halitus, quominus etiam sine altero medio in solidam metallorum materiam cõcrescere possint, quemadmodum & ponderosus vapor in pruinam? Deinde si ære pluisse & ferro, ac in superno aere lapides etiam ac talia illa corpora concrescere & procreari, innumeri testantur, quomodo tãdem hæc ex aqua & terra potius generabuntur, quib. commorandi in aere locus non est, quam ex halitu & vapore, qui & penetrare & cõsistere illic tenuitate & calore possunt? Quare metalla ex halitu potius, quam ex aqua oriri certũ est: qui halitus, quoniã crassus est, facile etiam concrescit. Sed quid plura de his? quum omnia ex ijs oriri in quæ vltimo reducantur omnib. Philosophis cõstet? Metalla autem omnia prræter duo perfecta, quæ ob maiorem decoctionem, cõpactam magis ac fixam habent materiam, nonne in halitum aut vaporẽ reducuntur, & in examine cineritij & copellæ omnimodo in auras euanescunt? in fumũ equidem, non qui cõuertatur in aquam, aut qui madefaciat, sed crassum, propter terreũ admixtum, & qui frigore cõcrescat, & inspissetur. Quod certa experientia quotidie cerni à pyrotechnicis & facilius etiam à Philosophis suis sublimationibus, percipi potest. Hoc ipsum probant Tutia, Cadmia, Põpholyx, & reliqua huiusmodi, quæ ex vaporib. metallorũ sublata, parietibus fornacum adhærent, & in ipsis fodinis crassos eos esse denotant, nec aquam vllo modo repræsentant. Obtumescat ergo cum suo plumbeo argumento Aubertus, qui Aristotelis sententiã proscindere conat⁹ est, nec de sibi ignotis temere iudicet, expertis credat, ac crassissimos existimet esse eos vapores, è quib. metalla primo concrescunt, & sine altero medio indurãtur. Propugnato Aristotele, quã de cæteris doctiss. viris ac Philosophis ferat sententiã, videamus. Alberti Magni, Geberi, reliquorumq; carbonariorũ (hoc.n. nomine summos illos viros præclarius hic noster censor exornat) sententiã Aubertus in eo refellit, quod metallorum proximam materiã argentum viuum & sulphur esse dixerint, illosq; à recta via aberrare nonnullis argumẽtis ostendere conatur. Primo quod ad argentum viuum attinet, metallorum id esse materiã propriã dicit non esse verisimile, ꝙ in duritiem cõcrescere non possit. Egregium sane argumentum, & dignum quod à suo auctore toties repeteretur, cui tñ iam à nobis supra respõsum accepit. Dicit concrescere non posse, quod sit aereæ substantiæ, argẽtum viuum. Atqui vaporem quem supra ex Aristot. concludimus proximam esse metallorum materiam, quis aereum

esse respectu aquæ non fatebitur? & tamen eum concrescere posse quis inficiabitur? Aereum igitur fateor esse argentum viuum, quod idcirco Philosophorum multi metallum non (nisi potentia) esse censuerunt. Sed ita tamen aereũ esse dico, vt vaporem emittat crassissimum, quiq; frigore concrescat, vt videre est in Mercurio sublimato, & multis alijs ipsius præparationibus, quibus fumos & vapores emittit, non ita tamen aereos, quin condensentur. Sed quid dices de ipsis metallis imperfectis, quę vt iam supra monuimus, dum examinantur, in fumos & auras euanescunt? quid deniq; de illorum materia & forma in nihilum redacta? nonne vaporem crassum, quem nos dicimus argentum viuum, ipsorum materiam fateberis, quum in ipsum tandem metalla reducantur? Sed ex Aristotele hæc affert Aubertus: Quæ ad aquam pertinent, si plus aeris in se cõtineant quam aquæ, concrescere non possunt, vt oleum & argentũ viuum. Metallorum autem materiam in duritiem cogi necesse est, alioqui metalli formam non inducerent. Eorum ergo materia nõ erit argentum viuum, quum in duritiẽ haudquaquã concrescere possit. Sed hoc argumentum nihilo est efficacius priori: Pro concessis enim ponit, quæ nec ipse prius aliquomodo probarit, & quæ iam nos negauimus. Nam dedimus quidẽ illi argentum viuum aereæ esse sustantiæ, concrescere vero ideo nõ posse, negamus, quũ vapores contra ipsius sententiã concrescere demonstrauerimus. Et quidẽ Aubertus arte indurescere haud negat, sed in duritiẽ aut formã metallicam concrescere siue arte siue natura non existimat. Quasi vero existimare, sit rem demonstrare. Argentum igitur viuũ metallorũ esse materiã negat, causa vero q̃ affert, nempe ꝙ sit aereæ substantiæ, nullius est momenti, siquidem vaporẽ esse aereæ substantiæ respectu aquæ & nihilominus tamen proximã materiã metallorũ ex Arist. ostendimus. Itaq; aerea sunt distinguenda: nam quæ prorsus ac simpliciter aerea sunt, à prædominio non possunt coagulari neq; à calido, neq; à frigido, ꝙ ipsorum humiditas aerea exsiccari non possit deficiente terrestri, qua ratione etiã ipsa supernatant aquæ, teste Aristotele, vt oleum: & facile inflammantur, quod sint materia ignis, vt ipsum oleum, & ligna etiã quæ supernatant aquæ præter ebenum, quod terrestrius sit vt ex ipsius pondere iudicari potest. At argentum viuum nec inflammatur, nec ignis est materia, imo ipsi instar aquæ aduersissimum: nec leue est, imo ponderosissi-

derossimum , vt in ipso etiam supernatent metallorum omnium solidissima quævis corpora , vno excepto auro propter amborum maximam affinitatem:ex quibus constat alterius ipsum esse substantiæ quam simpliciter aereæ, olei instar. Ad huius igitur argenti viui similitudinem metallorum materiam proximam dixerunt Chemici Philosophi , ipsum esse argentum viuum generatum ex valida commixtione primæ omnium materiæ metallorum , ex humido videlicet viscoso, incombustibili incorporato terrestri subtili,ęqualiter & fortiter commixto per minima , in cauernis terræ mineralibus. Huic vero sagax natura (quum materia se ipsam non producat in esse)adiunxit agens proprium , nempe sulpur, quod nihil est aliud , quam pinguedo quædam terræ in fodinis proprijs generata,ac per temperatam decoctionem condensata, vt illud ipsum argentum viuum digerendo & coquendo in metalli formam conuertat : Itaque sulphur istud ad argentum viuum sic se habet,sicut masculus ad feminam , & sicut proprium agens ad propriam materiam. Non quod hoc argentum viuum & hoc sulphur,vt inepte quidam putant,in sua natura per se in fodinis reperiantur , sed quod sint hæc iam à natura commixta & in naturam terræ longissima concoctione redacta. Et hæc quidem est materia propinqua metallorum , quemadmodum in generatione hominis, cibus est propinquior materia quam elementa,sanguis quam cibi ipsi, & sperma adhuc sanguine ipso est propinquius , tandemque continuata digestione materia recipit formam hominis. Sic quum ex quatuor elementis tanquã ex generali & prima materia,metalla fieri primo dicantur, hoc etiam ordine disposito fiat necesse est,videlicet vt ex ijs elementis fiant vapores , ex vaporibus aqua viscosa (quæ est adhuc materia propinquior vaporibus ipsis, ne Aristot. patrocinando nobis ipsis contradicere putet Aubertus) & grauis immixta terræ tenuissimæ sulphureæ,quæ dicitur argentum viuum , ex quo tanquã propinquiore materia mediante mixtione & actione sulphuris extrinseci,fit aurum,vel metallum aliud secundum maiorem aut minorem digestionẽ ipsius naturæ. Nam vt scribit Philosophus Metaph. Quando aliquid fieri ex aliquo dicitur,fit aut ex medio & imperfecto extremum & perfectum , vt ex puero vir:aut ex extremo extremum,vt ex aqua,aer. Sed age , redeamus ad nostrum Aubertum. Is sulphur etiam metallorũ materiam

teriam esse non posse scribit. Verum audiamus quibus rationibus hoc probet. Illud, inquit, secundum Aristotelem, ex halitu calido, vnctuoso & sicco nascitur: metalla vero ex alio halitu calido humidoque & parum vnctuoso generantur. Bellum certe, sed sophisticum argumentum, quo ex iam impugnatis a se opinionibus, sua probare nititur. Recordetur ergo, se prius halitum contra Aristotelē, materiā non esse metallorum affirmasse; Nunc autē confiteri metalla ex ipsis halitibus generari. Ergo ipse sibi contradicit, vt illi mea refutatione nō sit opus. Addit vt sententiā suam probet, sulphur humore mollescere instar salis: metalla vero solo igne forti liquari. Sed ex falso antecedente non potest valere consequens: Nullo enim modo soluitur sulphur in aqua, sed calore liquefit instar plūbi: & hoc saltem prius experiri debuerat, rerum subterranearū noster perscrutator, quam vsq; adeo audacter quod falsissimū est, asserere. Contorqueri igitur telum illud in ipsum potest, quod in Chemicos se coniecisse arbitrabitur. Sed enim aereæ sulphur dicit esse substantiæ: ideoq; ipsum coagmentari cogique non posse: Ego vero cōtrarium supra demonstraui. Quare non est quod aliud à me responsum exspecter, quum neque nostram coarguerit sententiam, neq; suam firmis rationibus demonstrarit. Cæterum vel illud vnum sufficit, quod omnes sapientes Chemici clamant, nempe sulphur hoc, quod vocāt, non esse sulphur illud vulgi: quod comburit combustione nigredinis & adustionis, & comburitur: quum eorum proprium sulphur albificet, rubificet, coagulet, perficiat denique argentum illud viuum Chemicum etiam vulgo ignotum, in substantiam auri secundum naturam, aut lapidis philosophici & auri secundum artem. Hoc est verum sulphur occultum, vnicaque tinctura, & vmbra solis, & coagulum proprium argenti viui sui, quod diuersis nominib. & suis inuolucris & ænigmatibus philosophi adumbrarunt. Ex quibus patet Aubertum toto aberrare cælo, omnibusque modis quum de sulphure sibi incognito loquatur, merito repudiandū: neq; fuisse lacessendos philosophos Chemicos, quod dicant argentum viuum & sulphur, materiam ess metallorum, vt qui de argento viuo & sulphure non vulgaribus hoc intelligant. Sciunt enim hæc de quibus loquuntur, in metallorum fodinis in ipsa natura sua non reperiri, sed ex his ambobus aiunt fieri quoddam tertium commixtum, vt iam diximus, obtinens naturas, proprietates,

prietates,& virtutes ipſorum, vt ex eo poſſit generari vnumquodque metallorum pro ipſius compoſitionis, digeſtionis, & loci diuerſitate. Hæc ſufficient de metallorum proxima materia, quam Aubertus eſſe vult aquam, ab alijs elementis affectam: ſed cauſam cur ita ſentiat, obticuit, dicere contentus hoc ab alijs fuiſſe proditum, ſiue in alienis ſcriptis à ſe repertum: quæ vox certe eſt hominis qui alterius fide, non autem ratione ſententiam ſuam demonſtret, quod veri philoſophi ſolent. Sed iam ad ſe nos vocant effectrices cauſæ, quas conſtituunt philoſophi duplices, totidemque patibiles. Calor enim & frigus dicuntur ab Ariſtotel. ποιητικὰ, quod vim habeant ad mouendũ: humidũ vero & ſiccum παθητικὰ, quoũ cauſa, res perpeti magis aliqd, q̃ agere ſolent, dicunturq; affici à prioribus qualitatib. tanquã a nobilioribus ac natura eminentioribus, & quorũ efficacitate forma in rebus procreatur. Materia enim non per ſe cognoſcitur, ſed propter mutationem, quæ nulla eſſe ſolet ſine perpeſſione, quemadmodũ nec ipſa ſine tactu, quæ per σύμφυσιν & concretionem, ac per introductionem actus & formæ aboletur. Cæterum obſeruandum eſt ex mixtura ſicci & humidi, imprimis concreta dici corpora, deinde mollia aut dura: Quorum concretorum triplex eſt differentia. Nam vel eſt humor aqueus qui concreſcit, vel eſt ſiccum quiddam terrenum, vel mixtum ex vtriſque. Hæc etiam alias funduntur, alias ſiccantur, alias humectantur, alias molleſcunt. Incoagulabilia ſunt autem, quæ ſicca ſunt & ignea, vt mel & muſtum: & quæ ſunt humida aerea à prædominio, vt oleaginoſa. Quare hæc etiam non ſunt elementa, neque materia iſtarum perpeſſionum. Corporum autem quæ concreſcunt & indurantur ex Ariſt. alia ex calore ita afficiuntur, alia à frigore: A calore quidem humorem exſiccante, a frigore vero calidum exprimente. Quæ igitur coagulantur à calido per abſentiam humidi, ſoluuntur à frigido, quod humidum iterum ingredi facit, vt ſal. Quæ autem caloris priuatione concreſcunt, ſoluuntur, à calido iterum ingrediente, vt metalla. Quicquid enim diſſoluitur liqueſcens, aut igne liqueſcit, aut aqua. Quæ liquefacit aqua, concreta fuerint à calido ſiccoque, id eſt igneo calore, oportet: quæ vero liquefacit ignis, aut quorum concretionẽ aliqua ex parte ſoluit, (vt cornu) à frigore coaleſcunt: ſiquidem contrariorum effectuum contrariæ ſunt cauſæ. Et quoniam calore

liqueſcunt

liquescunt metalla, illa etiam frigore tanquam causa effectrice primo concrescāt, necesse est: de quo Philosophorum Chemicorum nullus dubitat, quamvis, vt loquitur aliquando Aristoteles, experientia contrarium nobis demonstret: sal enim etiam calore concretum, igne ipso solui potest & liquefieri, vt sum sæpius expertus, diciturque illud sal fusibile. Neque Albertus Magnus summus Philosophus reprehendi debuit à nostro Auberto, quod vim metalla efficiendi referat ad calorem; quum de solo calore minime intellexerit Albertus, vt ipse putat. Sciendum est igitur teste Aristotele, res causa frigoris pati magis dici, quam agere: quia videlicet frigus est proprium patientium elementorū nempe aquæ & terræ, quæ ambo natura sunt frigida. Etenim non aliunde recipiunt frigus quemadmodum calorem, sed remotione caloris suapte natura refrigescunt, nec refrigerantur externa causa, sicut aer & ignis. Quare licet frigus in mixtis vim efficiendi obtineat: ad corrumpendum tamen magis valet quam ad generandum. Ideirco non ita reprehendendi sunt Chemici, etiam si dicant naturam ad procreationem metallorum egere subterraneo calore, tanquam effectrice causa efficaciori, qui misceat, mutet, disponat, digerat, ac coquat ipsorū materiam, ac tandē longo temporis protractu, ipsam in aurum informet tāquam in vltimum finem. Neq; eos etiam criminari in eo oportuit, quod vim aliquā ad corporum cælestium influxum referant. Illorū enim sententiam confirmat Arist. lib. de cælo & mundo, & lib. de causis proprietatū elementorum, his verbis: Quia prima, inquit, principia mouentia ad generationē & introductionē formæ in vnaquaq; re, sunt stellæ & corpora super cælestia per motum & lucem. Ipsa enim sunt, quæ primo mouent mota ab intelligentijs, ad naturā generationis & corruptionis perficiēdam ad conseruationem specierū, & ab ijs datur forma & perfectio, & vt vult alio loco, sol & homo hominē generant. Neque ex hac ratione rectè concludit Aubertus Chemiæ artē vanam esse, si vi stellarum coalescāt metalla, quū Chemicis hac vi cęlesti frui non liceat. Credunt enim illi cum Philosopho, si motu & luce corporū cælestiū, ipsorumq; situ ac aspectu, introducuntur formæ in inferiora, idē per consequens & in metallis contingere. Sed id fit tanq̄ ex causa generali ac valde remota: propinquiorē.n. vt diximus, habēt alterā efficiētē causā, nēpe calorē, cuius vi metalla cōcreta in visceribus terræ disponūtur,

digeruntur,

digeruntur, ac perficiuntur. His ergo explicatis videndũ quo tendat Aubertus, & quinã sit vltimus ipsius scopus. Chemistarum laborem cassum ac irritũ esse vult, quem in perficiendis metallis ipsi suscipiunt: negatque ęs, stannum, ferrum, aut plumbum (quæ imperfecta ab ipsis dicuntur) vlla arte perfici, conuertique in aurum & argentum posse. Ac primo quidem, inquit, cõstat illa quatuor metalla esse perfecta: Imo vero nos imperfecta esse paulo ante demonstrauimus multis de causis: neque negari potest, quin arte & leuiori pręparatione, in sua specie illa perfectiora & præstãtiora reddatur. Recte igitur Arist. 4. Meteor. cap. 6. Sed ferrũ quoq; inquit, elaboratum liquatur, ita vt humidum fiat, & rursus concrescat. Nec secus chalybem facere consueuere. Ferri namque fæx subsidet, atq; in imum secernitur: vbi autem sępe defęcatum fuit, ac purum, mundumque euasit, fit chalybs. At ferrum eo pręstantius est, quo minus habet excrementi. Sed missam faciamus auctoritatem, quum rationibus philosophicis hoc ipsum antea satis euicerimus, quibus satis superque solum aurum perfectum esse commõstrauimus, cætera vero omnia, imperfecta. Addit prætcrea Aubertus; vt impossibilem reddat transmutationis artem: Ea quæ arte perficiuntur & formantur, artificialia esse, metalla autem nominis notione ac essentię definitione, naturalia esse, Mineralia enim sunt inquit: Illa autem à solo naturali principio ducuntur, ergo naturalia sunt, idque ex Aristotele. Naturalia enim effectionis suæ principium in se habet: quæ vero per artem efficiuntur, minime, sed extrinsecus & ab alijs obtinet. Addit vt summatim absoluat, arte nullã naturale indi formã, ex quo metalla nulla haberi artificialia concludit. Age igitur nostrum est officium ista euertere, vt tandem veram esse Chemicã artem demonstremus, quæ naturam ipsam imitando metalla trãsmutet. Diximus supra ea dici imperfecta, quæ sint in motu ad eam formam ad quam vltimo destinantur: perfecta autem, quum peruenerunt ad finem motus. Et quoniam solum aurum ad vltimum terminũ motus peruenisse, & formatum secundum veram naturæ intentionem iam nos ostendimus: ideo ipsum solum perfectum, reliqua vero quæ sunt in motu ad formam auri, imperfecta esse conclusimus: quorum tamen perfectionem ipsa natura semper persequitur in suo sinu, vt illa tandem, sed longo temporis protractu

NN in

in aurum conuertat. Hoc autem possunt metallici effossores testari, qui in centum pōdo plumbi, reperiunt aliquot vncias argenti optimi, quod illis pro maximo lucro habetur. Sed & in fodinis nonnullis æris, inuenitur quoque aurum; sic & in argenti fodinis: quod vbi compererunt istarum rerum periti, vel quoties argentum imperfectum inueniunt, propter indigestionem, fodinas occludere cōsueuerunt, suadentque vt per triginta annos aut plures ita dimittantur, donec fiat perfecta concoctio à calore subterraneo. Sic etiā
Hist. lib. 3. cap. 4. scribit Plinius, in auro ipso argentum vario pondere inesse, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte. In vno tantum, inquit Gal. metallo, quod vocant Albicrarense, vicesima sexta portio inuenitur, ideo cæteris præest, quod fit secundū minorem aut maiorem naturæ digestionem, vt coniicere licet. Cū .n. est completa digestio, tūc aurum inuenitur obrizum, purissimum, & vere perfectū. Ex quibus patet metalla, quāuis sint in quodam termino motus, nō tamen esse in vltimo, ipsaque in via & transitu esse ad aurum tanquam ad solum perfectum. Vbicunque etiam aliqua inuenta est vena metalli, non procul inuenitur alia: vnde etiā metalla Gręcis ex Plinio
Hist. li. 33. cap. 6. videntur dicta esse, quasi μετ᾽ ἄλλα, quod alia post alia inueniantur. Sed dicet in hanc sententiam Aubertus, Si per vlteriorem decoctionem imperfecta reducantur in aurum à natura, cur non expectatur a fossoribus illud tempus, presertim cum si hoc contingeret, multo vberiorem ex ea re quæstum sint habituri? Respondemus, quædam esse quæ metallorum generationem diuersam faciant, non solum in specie, sed proprietatibus & accidentibus secundum regiones & loca in quibus oriuntur. Quemadmodum & diuersificantur animalia, vt scribit Aristot. 6. de animalibus. In Ægypto .n. scorpiones non sunt venenati, aliis in locis contra: & triticum temporis spatio secundū ipsa loca degenerat in siliginē, contraq; siligo in triticū. Sic de metallis dicēdum, quę quamuis destinata sint à natura ad finē illum, nempe vt fiant aurum: tamen pro regionum & minerarum diuersitate, ipsarumque corruptione, quædam possunt ad suum perfectionis gradum perduci, vt fiant aurum: quædam remanent in tramite imperfectionis, secundum etiam diuersitatem digestionis & depurationis. Debiliore enim calore, natura quædam coa-

coagulat indigesta, vt plumbum & stānum: quędam adurente ac superfluo calore, vt ęs & ferrum: quoddam contra propter ipsius caloris penuriam & agentis defectum non concrescit, vt argentum viuum. Lunam deniq; calore satis temperato, longe vero temperatissimo Solem, ipsa natura producit, minime egentem aliqua operatione qua perficiatur, vt qui sit assecutus vltimum finem & complemētum. Nam, vt inquit Aristoteles secundo de cælo & mundo: Bonum " complementum illud vnum est, quod non indiget operatio- " ne, qua fiat bonum: & perfectio omnis rerum est in eo po- " sita, vt suscipiant vltimum illius complementum. Quo- " niam ergo imperfecta metalla non peruenerunt ad illum vltimum finem perfectionis & complemētum propter causas prædictas: ideo indigent operatione artis, cuius auxilio naturam ipsam imitando, illa tandem perficiantur, ac vltimum finem assequantur, ad quem ordinata sunt à natura, nempe vt fiant aurum. Nam vt scribit philosophus secundo " Physicorum. Omnimodo quidem ars aliqua perficit, quæ " natura non potest operari, alia vero imitatur. Sic arte adiuta natura, flores fructusque suos arbores producunt, etiam hyberno tempore in regionib[9] frigidis, quod ex se sola nequaquam præstaret natura, vt videre est Heydelbergæ in hypocausto Comitis Palatini, & multis aliis in locis. In toto autem Chemiæ opere, quod naturam omnino quiescere, & solam artem subiectum mouere dicit Aubertus, falsissime dicitur. Nam ratione naturæ agentis, Chemia est opus naturale, siquidem materia illud ipsum est, quod decoquendo appetit, retinet, digerit, expellit, permiscet, corrumpit, generat & informat, pręcepto Dei Omnipotentis, suo tempore lapidem, cum quo natura informat metalla per ipsam permixtionem. Ratione autem ministerij, Chemia, fateor, est opus artificiale, non quod ars corrumpat, generet ac informet, sed hactenus solum quod hoc totum subministret naturæ operāti, quod sola per se alias efficere non posset. Natura enim ad generandum aurum duplici modo operatur, vno, per se & primo, quum in mineris propriis & ex suis principiis aurum generat, quo modo impossibile est artem imitari naturam. Secundo operatur per se, sed non primo, videlicet quia primo generat aliquod imperfectorum ex iisdē principiis in sua minera ipsumq; vltimo conuertit in au-

rum: quo modo ars ipſam ſequitur naturam, in eo quod ex imperfectis metallis, ſicut & natura ipſa, aurum tandem procreet. Ex his patet aliquid ex aliquo fieri dupliciter, ſcilicet mediate, & immediate, cum ſecundum Ariſt.li.9. Meta. plures poſſint eſſe materiæ eiuſdem rei, nempe mediata, & immediata, quãuis oporteat mediatam materiam vltimo reduci ad immediatam: alio enim modo ex materijs diuerſis res diuerſæ producerentur. Quoniam igitur ars mediatã & immediatam eandem aſſumit materiam, quam & natura, illãque mediatam vltimo ad immediatam reducit, vt & ipſa natura, habetque vnum & idem agens, quod ipſum argentum viuum expoliet, ac tandem ipſum transformet: & ſi artis idem finis ac naturæ, nempe vt ex vnione iſtius formæ cum ſua materia aurum tandem generet: non dubium eſt artem, naturam ipſam imitando, in omnibus ex imperfectis perfectum metallum conficere poſſe, quemadmodum & ipſa natura conficit, vt ſupra diximus. Quorum cum cauſæ ſint omnes eædem, neceſſario & ipſa eadem eſſe, eoſdemque producere effectus eſt neceſſe. Neque eos cenſeo excuſandos, qui ſubiectum Chemicorum philoſophorum quærunt in vegetabilibus: Illorum enim operatio eſt inanis, quoniam non poteſt fieri generatio, niſi ex proximis conuenientibus & immediatis. Alij in rebus animalium operationes ſuas impendunt. præſertim in ouo, quod opus ſuum, quadam moti ſimilitudine ouorum, Chemici philoſophici ouum, appellarint: dixerintque ipſum ouum, quemadmodum & elixir, quatuor elementa continere, cuius corticem terram appellant, pelliculam, aerem: albumen, aquam: & vitellum, ignem. Sic etiam ijdem philoſophi lapidem ſuum ænigmatice dixerunt vnum eſſe in tribus, & tria in vno, quod in ſe contineat corpus quod ſtat, animam quæ viuificat, & ſpiritũ qui tingit. Hęc ænigmata qui non intellexerunt, ſibi perſuaſerunt ouum eſſe philoſophorum lapidem, quod tria in vno contineat, nempe corticem, vitellũ, & aquã, ideoque tandem concluſerunt, ouũ eſſe vnicam illam materiam a Chemicis requiſitam, non minus quidem decepti quam alij, non animaduertentes minime quadrare hanc materiam educendo inde metallo. Homo enim hominem generat, & beſtia, beſtiam. Hoc quia expertus eſt ſuo cum detrimento (vt accepi) bonus Aubertus, qui oua philo-
ſophi-

ſophice decoquendo, centenos aliquot decoxit aureos, cauillatur artem, quaſi illũ fefellerit: immerito quidem, quum ipſemet potius aberrarit, nec præſtare ipſius culpam ars teneatur. Genus enim debet iungi cum genere, & ſpecies cum ſpecie, & vnumquodque germen reſpondere ſuo ſemini, vt ſupra diximus. Non deſunt alij, qui ſui Elixeris materiam quærant non in vegetabilibus aut animalibus, ſed in rebus ſubterraneis & propinquioribus. Dicunt enim artem naturam imitari, ideoque ex iiſdem principijs ex quibus & natura operatur, cenſent eſſe laborandum, argentumque viuum & ſulphur, quæ audiunt metallorum proximam eſſe materiam, decoquũt. Sed perdunt miſeri oleum & operam, quum argentum viuum philoſophorum, non ſit illud vulgare, nec etiam commune ſulphur, vt iam dixi. Ecquis enim poſſet in menſura & proportione debita cõſequi intentionem naturæ? nemo profecto: Deinde argentum viuum ſi vel minimo igni admoueas, exhalat, ac etiam mixtum ſecernitur, & ſulphur etiam non difficulter, quum tamen horum amborum coniunctio ſit neceſſaria ad finem vſque digeſtionis in generatione metallorũ. Sic falluntur quotquot in marchaſitis, tutia, antimonio, arſenico, auripigmento, lapidem illum quærunt, cum ſit vel ſulphur inſeparabile omnino, & tamen debeat ſeparari vltimo, vt iam diximus, vel minori igne cum ſeparetur, ſubiectum non eſſe philoſophicum ſatis denotant omnium philoſophorum ſcripta. Errant etiam qui marem Solem cenſent accipiendum, & feminam Lunam, quæ duo amalgamant (liceat enim artis vocabilis vti) cum vulgari Mercurio, & ex tribus vnum faciunt, illaq; decoquunt Chemice, ſublimant, & ex illis tandem animam eliciunt, quam vltimo fixare conantur. Nam à philoſophorum ſcriptis diſcedunt, qui fatentur omnes vno ore, agens iunctum eſſe & proportionatum à natura in mineris, cum ſua materia: dicuntque vnicam eſſe rem, in qua ſunt quatuor elementa bene ꝑportionata, vt ibi ſit figens & fixum, tingẽs & tinctũ, album & rubeum, maſculus & femina ſimul compoſita. Eſt ergo, vt etiam ſupra iam diximus, quædam tertia natura communis & alterata ex diuerſa cõmixtione, & digeſtione ſulphuris & argenti viui, in qua eſt vis mineralis ad generãdum mixtum: quæ duo agunt & patiuntur ita inter ſe perpetuo, donec traducantur a forma corporum imperfectorum

primo generatorum (non separato adhuc agente à sua materia) in formam aliam, & tandem preuenerint, continuatis digestionibus & purificationibus, ad vltimam illam & vere perfectam formam, quę est forma auri, in qua est vltimus terminus motus, vbi etiam. agens omnino à sua materia separatur. Hoc quid sit multi quærunt, paucissimi inueniunt, aut si inuenerint, præparationes ignorant & intentiones philosophorum, quorum medicina ex illis solum elicitur per artem, in quibus habitabat potentialiter per naturam, & in quibus perfectio primæ materiæ, omniaque metalla reperiuntur.

Philosophici lapidis operationes.

I. Calcinatio.

Hanc autem illi postquam inuenerunt materiam, primo calcinandam censent, & ab omnibus suis sordibus purgandam, calorem restituendo, humoremque innatum conseruando. Nam in calcinatione Chemica nulla debet fieri corporis diminutio, imo potius multiplicatio.

II. Solutio.

Deinde calcinatam materiam, ipsius crassitiem attenuando, in quãdam liquidam substantiam ac in suam primam materiam reducunt, quam vocant aquam mineralem, quæ manus non madefacit. Tuncque fit vnum in genere, in numero non item: cuius Solem appellant patrem, matrem Lunam, & mediatorẽ Mercurium: & alteratur corp⁹ sua ꝓpria forma, sed noua illi inducitur immediate, quum nihil in rerum natura omni spoliatum forma reperiatur.

III. Element. separatio.

Hoc facto separant ex ipsa iam soluta quatuor elementa, illaque diuidunt in duas partes, in ascendentem aut spiritualem, & inferiorem siue terrenam: quæ duæ partes sunt vnius tamen naturæ, nam inferior est fermentum ipsam figens, & superior est anima totam ipsam viuificans. Harum tamen diuisio est necessaria, vt facilius transmutentur tandem inter se omnes, & pars terrena transeundo, in aquam, nigrescat, & aqua postea transeundo in aerem, dealbetur, & aer in ignem conuertatur.

IV. Coniunctio.

Separatione elementorum facta, coniunctionem faciunt aquæ aeris cum terra & igne, vt vnumquodque elemẽtorum in altero dispergatur, seruata proportione: tribuuntque hac ratione mari tres partes aquæ suæ, feminæ vero nouem: & tunc simile suo simili applaudit, & par pari gaudet, propter concupiscentiam adhærentiæ materialis maxime & formæ sulphureæ.

Hæc

Hęc ita coniuncta putrefaciunt, humido tamen calore (ne igne accenso, Mercurius separetur, vel in altum feratur propter naturam suam spiritualem) vt hac corruptione alteretur materia, & elemēta naturaliter diuidãtur, & regeneratio subsequatur. Nihil enim nascitur vel crescit, ne inanimatum quidem, nisi putrefactione facta. V. Putrefactio.

Post putrefactionem, ad coagulationem accedunt, atque eodem calore temperatissimo perpetuo materia alterante tam intrinsecus quam extrinsecus operantur, donec materia albescat & perlarũ referat similitudinẽ: fitque tum spirituũ volatilium cum corporibus confixatio ac vera congelatio. Albam hoc spinam vocant Chemici philosophi, & sulphur album incombustibile, quod nunquam ab igne recedit. VI. Coagulatio.

Ab cibationem denique se conferunt, nempe ad subtilis ingrossationem & crassi subtiliationem, cõmiscendo aquam suam cum cinere, & lac suum cum terra foliata, moderate quidem, vt sic albedo & rubedo, bonitas & quãtitas & virtus ipsius crescat & augeatur, atque coquendo & iterum coquendo materia nutriatur. VII. Cibatio.

Tunc materiam sublimant, sublimatione tamen non vulgari, illamque sic ab immunditijs omnibus expurgant, corpus extollendo, ac ipsum spirituale & spiritum corporalem ac fixum reddendo, salsedinemque sulphuream minuendo, vt totum dealbetur ac citissime liquefieri possit. VIII. Sublimatio.

Absoluta sublimatione materiam fermentant, spiritum cum sua terra dealbata, & calce tanquam cum suo fermento coniungendo, aut animam cum corpore incorporando. Non enim possunt ostendere suas virtutes permanentes, accidentia spiritualia, nisi cum corporibus fixis coniungantur, tanquam cum fermento quod reducit sibi appositum ad sui naturam, colorem & saporem, per mutuam hanc & communem corporis & spiritus impressionem, sine qua opus perfici non potest, quemadmodum nec pasta sine fermento fermentari. IX. Fermentatio.

Ad maiorem autem nobilitatem materiæ, illam exaltandam censent spiritum augendo, terramque sublimando & subtiliando, per naturalem rectificationem, omnium elementorum circulationem & veram graduationem ipsorum, donec ad perfectum amplexum reducantur. X. Exaltatio.

Tunc Salamandram suam solutionibus & coagulationi- XI. Augmentatio.

bus reiteratis in virtute augent: & cum nouo fermento in virtute & quantitate, idque in infinitum.

XII. Proiectio. Vltimo faciunt proiectionem super imperfecta, ponderis vnius supra plura, secundum medicinę perfectionem. Quanto enim magis subtiliatur & tingitur, tanto abundantius operatur: & sic naturam imitando, imperfecta metalla perficiunt, ac in Lunam & Solem conuertunt, ex propriamque ipsius materia purificata arte, & subtiliata, deinde decoctione & digestione fixata, donec in album, tandem in rubrum prodeat colorem: volatilisque rursus facta, & iterum fixa, donec ingressum habeat & perfecte tingat, suam conficiunt medicinam, suumq; puluerem, quem lapidem philosophicum vocant: Idque varijs operationibus, diuersis rebus, pluribus vasis, multisque fornacibus, vt ex prędictis, artis imperiti forte coniicient: quum tamen vero philosopho, in toto hoc magno licet opere sit vnica operatio, vnicaq; via, res vna, vas vnum, solus ignis, solaque fornax, vt omnes illi vno ore fatentur. Hæc autem omnia obiter annotare volui, quo Magistri Auberti de philosophorum lapide sententiam euerterem (de rebus enim ignotis cuilibet fas est imperitiam suā prodēdo, nugari & vt nudam tum auri tum argenti formam abstractam a suo concreto (quod tamen ipse existimat) materiam non esse philosophicæ medicinæ demonstrarem. Sed (inquit ille) ex quanam re componatur lapis, non curo: attamen quum ens non sit naturale, naturalem etiam formam inducere non potest, sed artificialem solum & fucatam. Possum ego hic prouocare ad multorum insignium virorum testimonium: sed ratione potius existimo nitendum esse. Dico igitur metalla vere transmutata, cognosci perfecta, non per formam ipsorum prędexistentem aut introductam, (hoc enim est impossibile) sed per accidentia, proprietates, & passiones quæ sequuntur formas: Itaque si in transmutato metallo illa omnia quæ in vero reperiuntur, in quouis examine, certe ipsa habere formam non fucatam, sed auri vel argenti mineralis iudicandum est. Nam id quod efficit operationem oculi, est oculus, & ē contrario, vt scribit philosophus 4. Meteor. Præterea lapidem philosophorū naturalem esse demonstrauimus, ex ipsius efficiendi ratione: idque mediante agente naturali, scilicet igne, cum colore suo naturali, odore, & forma naturali: quæ sunt formæ acciden-

cidentales, sequentes suam determinatã substantialem formam, arte administrante sibi materiam. Ars enim est connexa cum natura, quoniam artis principium est ipsa natura, vt scribit philosophus 2.Phys. Qua ratione ars potest dici naturalis, naturaliaque ipsius opera, naturales itidem formæ. Naturales enim formæ dicuntur dupliciter: nempe aut quũ natura sibi præparat materiam, & præterea introducit formam, vt in homine, & lapide: aut cum ars sibi subministrat præparatque (non vltima tamen præparatione) materiam, quam natura tamen disponit & præparat ad vltimum vsque: formãq; in eam introducit, vt in generatione cerussæ & minij videre est. Neque nouum est quod ars in multis sequitur naturam, multaque naturalia arte componi & perfici possunt: quod etiam innuit Arist. 4. Metaphysic. de Colchotare & Calcharte verba faciens. Natura .n. inquit, in mineris atramentorũ generat atramenta: modũ autẽ generationis ipse ostendit. Testatur tñ paulo post illa duo atramenta etiã arte cõponi & perfici posse. Ars .n. quum sit imitatrix naturæ, vt scribit 2. Metaphys. assumendo substantiam ferri aut æris (ex quibus naturaliter illa fiunt) illamque ministrando naturæ, solutionibus, destillationibus & coagulationibus reiteratis, illa tandem ingeniose perficit, & ita perfecte quidem, vt habeant easdem proprietates & operationes actiuas & passiuas, quales habent & mineralia illa duo atramenta. Idem & in confectione salis cernitur. Reperitur enim alius mineralis, vt in Polonia, alius est factitius, vt in Gallia: easdem tamen habens proprietates & passiones quales mineralis, qua ratione & vere naturalis dici potest, & eius forma etiam dici naturalis & vere perfecta. Sic quoque de metallis sentiendum. Nam quemadmodũ propriæ materiæ defectus est potissimum in causa, cur ex re quapiã non gignatur altera ei similis: sic si materia idonea inuenta est: causa est præcipua cur ex vno alterum ei simile producatur. Itaque quoniam arti trãsmutatoriæ est possibile inuenire eandem auri & argenti materiam omnino naturalem, id est tertiam illam naturam, argentum illud viuum videlicet, cum sulphure suo coagulatum & commixtum: sitque facile ipsam naturam sequi & imitari in suis operationibus, quoniam ipsa suauissimo calore decoquit & digerit illam materiam, donec in vltimo termino motus, ab ipsa eius agens separetur, nempe ex-

traneum sulphur: consequitur ex parte & agentis & propriæ ac naturalis materię, artem dici & possibilem & vere naturalem. Sed tandem ad istud argumentum confugiet Aubertus: Si auri argentive speciem introduceret lapis ille philosophicus, illud sibi assimilaret, atque alium hoc modo formaret lapidem philosophicum. Respondeo hanc metallorum conuersionem esse ipsorum reductionem ad quoddam medium, nempe ad temperationem, & æquabilitatem illam summã (quæ in solo auro reperitur) in substantia, colore, digestione, fusione, sonoritate, & aliis proprietatibus. Hæc sufficient hactenus à nobis disputata, non vt de existimatione Auberti cæteris in rebus quicquam detraham, sed vt eum, & qui eius libellum dicteriis suis ornandum putarunt, ostenderem tot acerbis conuitiis immerentes proscidisse. Denique vt veritati patrocinarer, cuius & ipsum studiosum esse oportet, si bonus est, qualem eum esse arbitror. Neque enim hęc sunt à me excogitata, sed à doctiss. viris prodita, certissimisque argumentis confirmata: ne me quisquam existimet illorũ sola auctoritate vti, quæ tamen nec ipsa debuit ab Auberto contemni. Quis enim illos existimet vel temere, vel mala fide illa nobis arcana, iureiurando etiam sancta, reliquisse? Hanc igitur ipsam philosophiæ partem, quam vsque adeo acerbę lacessit, improbat, cauillatur, ausim ego contra affirmare, nunquam satis laudari ac pro meritis prædicari posse, siue ipsa sola naturæ miracula, quæ ex abditissimo suo sinu eruit, iuuet nos contemplari, siue vtilitates illius spectemus, quæ pene sunt innumerabiles, pter illa infinita quibus artes plurimas illustrat. Nam vt cætera prętermittam, vel solius lapidis philosophici virtus ea est, ac præstantia, vt plerisque sanandis morbis sufficiat, & veras ac exquisitas medicamentorum pręparationes commonstret: sed hęc ijs sordere mirum non est qui impurioribus sunt assueti, aut quibus vnica consuetudo ius facit. Ego vero istiusmodi homines commoneo, vel vt discant meliora, vel vt melius institutis non inuideant, vel saltem ignota non reprehendant: sin minus, nihil tamen eorum conatus morabimur, quia futurum scimus, vt obtineat veritas, & illas tandem tenebras suo fulgore dispellẽs, singula cuiusmodi reipsa sunt patefaciat.

Vide Plin. li. natural. Histor. 33. cap. 4. qui ex auripigmento aurũ perfectum factum fuisse scribit.

IN-



INCLYTI REGIS MAXIMILIANI EXCELLENTISSIMÆ MAIESTATI IOANNES DEE, LONDINENSIS, Imperium optat Feliciſſimum.


QVÆ duæ cauſæ, meæ conditionis hominem Regem tantum, tam exiguo donare munere, animare poſſunt, hæ ambæ, nunc, me ad hoc faciendum impulere. Beneuolentia nimirum erga veſtram Maieſtatem mea maxima: & muneris ipſius, licet parui, tum raritas magna, tum bonitas haud aſpernanda. Beneuolentiã vobis excitauere & cõciliauere ſempiternam; veſtræ admirandæ virtutes: Quæ tantæ ſunt, vt, qui illas oculata non perſpexerint fide, alijs quidem, vel mediocriter credant, rariſsima, de eiſdem, licet veriſsima, narrantibus. Sed qui eaſdem diligenter accuratiusq; ſunt contemplati præſentes: orationis, ſe, dictionisq; maxima laboraturos inopia ac paupertatate fatebũtur; quã primum oratorie in earundem omnem ſe diffundere cupiant amplitudinẽ. Huiuſce rei cauſas, Ego, proxime iã præterito Septembri, in Hungarici veſtri Regni Poſonio, aliquam trahens moram, luculentiſsimas easq; varijs exploratas modis, oculatus cognoui teſtis.

De muneris autem (mole quidem ipſa exigui) quod dicerem raritate, verbis, quã fieri poſsit, pauciſsimis; mihi, mentis indagãti conamine toto, occurrit humanæ vitæ duplex, inque diuerſas ſententias, curſus (quorum alterum ingrediuntur plerique omnes) iſtac cõſiderandus ratione. Quam primũ, Infantia confecto curriculo, Pueritiæ

ritiæq;:adoleſcentum iam,quod vitæ deinceps ingrediẽtur genus;animum torquere incipiat optio: tunc,in ancipitis iudicij aliquantulum hæſitantes, biuio: ſtatuunt tãdem: vel (veritatis hij quidem & virtutis capti amore) ad philoſophandum, toto reliquo vitæ ſpacio, neruos contendendos oẽs: vel,(illi certe, mundanis irretiti illecebris: aut diuitiarum flagrantes cupiditate) delicatã quæſtuoſamve vitam ducere, modis ſollicite laborandũ omnibus. Et iſtorũ, mille, profectò vel facilime inuenias: vbi illorũ (ſincerius ſcilicet qui phyloſophiæ operã nãuant) vix vnũ monſtrare queas: qui ipſa Phyſicæ, ſaltẽ prima veraq;, deguſtarit fundamenta. At, qui cæleſtium virium & actionum: rerum aliarum ortus, ſtatus, obituſque, fuerit penitius pleniusque perſcrutatus cauſſas: ne eorum quidẽ, qui ſe totos ad ſapientiæ ſtudia conuertere, milleſimũ, in medium adferre, Reſp. litteraria poteſt. Quid ergo, qui, iſtis difficultatibus ſuperatis omnibus, ad ſupercæleſtium virtutum, Metaphyſicarumque influentiarum ſpeculationem & comprehenſionem aſpirarit, Vbi hunc, in toto terrarum Orbe (noſtris iſtis deploratiſsimis temporibus) Magnanimum, vel Vnum HEROA? Cum iuxta prioris noſtræ (haud temere receptæ) milleſimæ proportionis progreſſum: EX CENTVM SINCERE PHILOSOPHANTIVM MYRIADIBVS: AT EX PROMISCVÆ HOMINVM SORTIS, CENMYRIADVM MILLIBVS, HVNC VNICVM FELICISSIMVM FOETVM EXSPECTARE DEBEMVS. *Cuius ſic demonſtratæ* RARITATIS HIEROGLYPHICVM *Typum, ad Pythagoricam (dictam) appingemus literam. Vbi veſtræ Excellentiæ attentius intuenti, maiora ſeſe (conſideranda) offerre videbuntur, Myſteria: ex noſtris hoc modo deſcripta Coſmopoliticis* Theorijs.

TY-

ΤΥΡΑΝΝΟΣ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΟΣ



In quo nunc triplicis istius (philosophicæ) explicatæ raritatis gradu (clementissime REX) optarem quidem hoc meum esse, censeriq; munus: vel ipse, qui artium maximarum, rerumq; secretißimarum cognitione excellis & abundas, facili poßis assequi coniectura. At in infimo, 1. *primoque philosophãdi genere, statuere: nõ id à me arroganter esse factum existimo. Etsi ab humo, altius interdũ videatur caput leuare velle: Ex eodẽ ergo & Bonitatis gradu, fructus vberes de isto meo sperandos munere, vestræ celsitudini polliceri, audeo. Et, hac quoq; raritate* 2. *præditum est, hoc nostrũ munus. Quod eo genere scribẽdi, vsq; ad extremum orationis filũ, contextum est, quo, nunquam, ad hodiernum vsq; diem, aliquod fuisse absolutum opus, vel auditione accipere potui, vel ex maiorũ intelligere monimentis.*

Hieroglyphicum etiam licet appellem, subesse tamen 3. *& lumẽ & robur quasi Mathematicũ, qui penitius examinarit, fatebitur: quod in tam raris factitare rebus satis*

tis

4 *tis esse rarum liquet. An non hoc rarum, quæso, Astronimicos vulgares Planetarum characteres, (ex mortuis aut mutis, aut saltem quasi Barbaris ad hanc horã notis;) iã vita imbui immortali: & in omni lingua & natione, proprias suas eloquentissime explicare posse vires?*
5. *Cui etiã accedit & istud valde rarũ: externa eorundem corpora, ad mysticas iam suas (optimis argumẽtis Hieroglyphicis) esse reuocata, restitutave Symmetrias. Quasi, vel eadẽ fuissent olim, apud Seclum prius: vel tales fore*
6. *nostri optassent Maiores. In Eclipticæ Dodecatemoriorũ notis, quã nouo, felicíq; idẽ præstare tentauerimus successu, & id videre vt est rarum, ita nouum prorsus. Et hæc*
7. *omnia in vnico, eoq; Mercurij, charactere Hieroglyphico (acumine quodam præmunito) includi, est omnino rarissimum. Vere ergo, ille, nobis totius Astronomiæ restitutor & instaurator nominari potest: & nostri IEHOVAE in hoc genere nuncius, vt Sacram hanc scriptionis artem, vel Nouam conderemus primi: vel extinctam prorsus, & ex omni hominum memoria deletam, eius reuocaremus monitis. Idq; à nobis, hoc est factum modo; vt placidissime, & quasi sua sponte, Hieroglyphicæ illæ interpretationes omnes, sese in medio ponant: Violentum nil, vel improprium quasi per totum videri opusculum potest.*

8. *Et hæc, ita Londinensi nostro Hermetis Sigillo (ad sempiternam hominum memoriam) consignari; vt, in eodem, ne superfluum punctum vnum; & ad hæc quæ diximus significanda, (longeq; maiora) ne vnum deficiat pũctum; omnes cogentur, maxime fateri rarum. At præcæteris, illi, qui in philosophiæ sapientiæque profundioribus disquisitionibus, nomen possunt profiteri suum. Sic enim testificabuntur Grammatici: dum rationes esse reddendas, de litterarum formis, situ, locis in ordine Alphabeta-*

betario, nexibus varijs, valore numerali, alijsq; plurimis (quæ circa trium linguarum Alphabeta primaria considerari debent) hic admoneri se videbunt. Vt & alias, tā rarum esse Grammaticū, qui Grammaticā vnā esse scientiam, ab vno discēdam homine, exacte defendere possit: quam illum, quem supra in terris demonstrauimus rarissimum: Apologetice, olim disseruimus. Sed tanta de hijs mihi constant mysteria, quæ solidissima habent (tum istius artis Grammaticæ: tum eorum quæ eiusdem eruantur auxilio mysteriorum) in Sacrosanctis DEI Omnipotentis scripturis, iacta fundamenta; quāta nec libro explicare magno queam; nec locus iste, iam requirere videtur. Neque mireris, O Romanorum Rex inclyte; me, alphabetariam literaturam, magna continere mysteria, nunc obiter referre: Cum Ipse, qui omnium mysteriorum Auctor est solus, ad primam & vltimam, seipsum comparit literam. (Quod non in Græca solum esse intelligendum lingua: sed tum in Hebræa, tum in latina, varijs, ex arte ista, demonstrari potest vijs.) O, quanta, tum, debeant esse, intermediarum mysteria? Et non mirum, hoc, in literis sic constare: cum & visibilia & inuisibilia omnia: manifesta, & occultissima (natura vel arte) ab ipso Deo emanantia, ad eius Bonitatem, Sapientiam & Potentiam, prædicandam, celebrandamque à nobis, diligentissima indagine sunt perlustranda. Inde, excusatione omni carere Humanum Genus, docebat Paulus: Etiam si, nullum aliud de hijs haberet scriptum monimentū; quam, quod ex Creatione, ipso digito DEI, in omnibus est exaratum creaturis. At, hoc nunc nō ago, curiosius, vt ista ab omnibus requirere velim Grāmaticis: sed ipsos, qui rerum abdita eruere mysteria laborāt: cū, testes facere nos, rarum quoddam in hoc genere, (ex nostra

Anno 1557. In Speculo Vnitatis, siue Apologia pro Rogero Bachone Anglo.

Ad Rom. cap. 1.

nostra Monade) demõstrasse exemplum: tum amice admonere; primas, Mysticasq́, Hebræorum, Græcorũ, & Latinorum literas: a Deo solo profectas, & Mortalibus traditas. (Quicquid humana iactare solet arrogantia) earumque omnium Figuras, ex punctis; rectis lineis & circulorum peripheriis, (mirabili sapientissimoque dispositus artificio) prodiisse. Et licet, omnem Mosaicæ legis sensum, vsq; ad Iodim & Apicum impletionem omnium; Matth. cap. 5. *considerandum esse, nos docuit æterna cælestis nostri Patris sapientia: quasi in* I O D *& Chireck (ex quibus omnes Hebræorum literæ, Vocalesq́ consurgunt) vltima considerationis legalis, facta Analysi: Nobis tamen non est id contrariũ,* VNITATE APICIS CHIREX; IMMOTA MANENTE: TRINITATEM MONADVM CONSVBSTANTIALIVM, IN VNITATE IPSIVS IOD, CONSPICVAM, *Amplectentibus: Ex* REGTA DESCENDENTE LINEA VNA ET DIVERSIS PERIPHERIÆ PARTIBVS DVABVS, CONFORMATAM. *Vnde satis enucleate, eodem labore detegimus: primos homines, tam stupendam Hebraicarum literarum & Nekudotht fabricam, ex tam mysticis condere principiis; sine præsentissimo diuini numinis afflatu, non potuisse. Quæ etiamsi, minima eorum sunt; quæ vulgarium Grammaticorum ponderentur iudicijs: dum tamen, quo sese ad omnem literarum & Nekudotht generationem; & quam mirabili accommodent artificio, apte à sapientibus considerantur, maxima, perpluraque (absolutissima anagogia) illos edocent mysteria. Sed dimissis, hoc modo, literarum istis; & linguæ Philosophis; Mathematicos meos, raritatis istius nostri muneris; adducam sincerissimos testes. Arithmeticus, (non dico, Logista) an non mirabitur, Numeros suos, quos à rebus*
1. *gista) an non mirabitur, Numeros suos, quos à rebus cor-*

corporatis abstractos, & sensibilibus omnibus liberos; in Dianœas recondebat recessibus; ibique, mentis varijs tractabat actionibus: eosdem, hic, in nostro opere, tanquam concretos & corporeos ostendi, fierique: & eorundem animas, formalesque vitas, ab eis, in nostros seceini vsus? An non maxime mirabitur, tantum videre Monadis fœtum: cui nec vlla Monas alia, vel numerus additione accedit: nec extrinsece ad ipsam multiplicandam adhiberi potest? An non admiratione afficietur maxima; in rei & census subtilissima generalique regula: vnius rei, tanquam Chaos, proposita, (ad omne dissoluendum Arithmeticum dubium, habilis) censum ipsum, & valorẽ, siue æstimationem (potentiæ in ipsa Re latentis) hic primo semper examine, Denario explicari numero? Accuratis diuisionis & æquationis operibus (vel vt illa ars præscribit) mediantibus prius? Geometra (mi Rex) sibi de artis suæ vix satis plene cõstare principijs (quod valde mirum est) incipiet hæsitare: cum, hic, in secreto, murmurari, inuique intelliget: Quadrato, Circulare, omnino æquale, huius Monadis Hieroglyphicæ Mysterio dari. Archimedisq; dictos Sudores, hic, excellentissimo compensari posse fructu: licet tẽtatum haud fuerit ipse assecutus problema. In magnis voluisse sat est. Musicus, quo stupore ille possit iure affici meritissimo: cum sine motu & sono, inexplicabiles, cælestesq; hic intelliget Harmonias? & Astronomus an non perpessi sub dio algoris, vigiliarum & laborũ pœnitebit se maxime, cum, hic, sine aeris vlla perferenda iniuria: sub tecto, clausis vndiq; fenestris ostiisque, ad quodcunq; datũ tempus, cælestiũ corporum periphoras, oculis exactissime queat obseruare? & hoc quidẽ, sine Mechanicis vllis, ex ligno vel Orichalco confectis instrumentis? & Perspectiuus, sui ingenii stupiditatẽ cõdemnabit: qui, vt iuxta parabolice coni sectionis lineã (apte in gyrũ cir- 2. 3.

cum actâ) speculũ efficeret, modis laborarit omnibus: quo ppositã quamcumq; (igni obnoxiã) materiã, incredibili ex radiis solaribus vexaret calore: cum, hic, ex tetrahedri sectione trigonica, linea exhibeatur; ex cuius forma circulata, fieri potest speculũ; quod (vel nubibus soli subductis) quoscunq; lapides, vel metallũ quodcunq; in impalpabiles quasi, vi caloris (verissime maxima) redigere potest pulueres. Et, qui Ponderum subtili speculationi toto

7. *vitæ tempore insudarit: quam bene, suos ille collocatos esse labores, sumptusq; iudicabit: cum, hic, elementũ terræ supra aquam natare posse, certissima experientia, Monadis*

8. *nostræ docebit magisteriũ? Haud secus, qui rationes Pleni & Vacui (argumentum vsq; ab ipsis philosophiæ incunabilis controuersum) diligentissime ventilarunt: videruntq;, ea lege, & naturæ (quasi indissolubili) vinculo, (à Deo Opt. Max.) coordinatas, connexas, & copulatas elementorũ proximorũ esse superficies: vt in igne, aere & aqua, sursum deorsum, horsum illorsum, (ex eorum animi sententia) ducendis impellendisve; hominibus miranda confidentissime ostendere possint (variis & illi quidẽ inuentis Reip. sunt vtiles: vt hydraulicorũ totum artificium monstrat, & reliqua Heronis thaumopœetica; vt nunc placet illa nominare.) At, q terræ elementum, sursum, in ignẽ, per aquã, vlla machina exantlare possit: nullus ex illa pfessione, sibi vendicabit. Nostræ tamẽ Monadis theoriæ, fieri id posse, demonstrant. O sapientissime Rex, ista in mentis vestræ, memoriæq; reponatis Thesauris secretissi-*

9. *mis. Ad Cabalistã iam venio Hebræum: qui, vbi suã (sic dictam) Geometriã, Notariacon, & Tzyruph [artis suæ tres quasi præcipuas claues] extra sanctæ, nuncupatæ linguæ exerceri fines videbit: imo vndiquaq; [ex obuiis quibusq;, visibilibus & inuisibilibus] huius, [a Deo] receptæ traditionis Mysticæ notas, characteresque corrogari; vel,*

hanc

hanc quoq; artem, tum, vocabit Sanctam: [veritate coactus; si intelligat] vel non Iudæorum, tãtum; sed omnium gentium, nationum & linguarum, sine προσωποληψία eundem esse Deum beneuolentissimum fatebitur: nullumque mortalẽ se excusare posse, de sancta huius nostræ linguæ imperitia. Quam, in nostris ad Parisienses Aphorismis, Realem nominaui (abalam, siue τοῦ ὄντος: vt illam vulgarem alteram; cabalisticam nomino Grãmaticam siue τοῦ λεγομένου: quæ notissimis literis, ab homine scriptibilibus, insistit. Hæc autẽ, quæ creationis nobis est nata lege, [vt Paulus innuit] Realis Cabala Grammatica quoq; quædam diuinior est: cum artiũ ista sit inuentrix nouarum, & abstrusissimarum fidelissima explicatrix: vt hoc nostro alii tentare exemplo, de cetero, possint. Non exhorresces, bene scio, [ô Rex] licet iam, in vestra Regia præsentia, Magicam hanc proponere audeam parabolam. Terreste quoddã corpus, Monas hæc nostra hieroglyphica, in cẽtro centri, latens, possidet: quod, quasit Actuandum diuina potentia, sine verbis, ipsa docet: cui iam Actuato lunaris & solaris est [matrimonio perpetuo] Copulanda, influentia gonetica: licet, ante, in cælo vel alibi, fuere ab Eodem corpore Separatissima. Hæc [Dei nutu] facta Gamaæa, [quam, Parisiensibus, sum τῆς γαμῆς γαῖαν interpretatus: id est, matrimonii terram: siue influentalis coniugii, terrestre signum] super suam natiuam terram, eadẽ, vlterius nutriri non potest, vel irrigari, quã ad quartam magnã vereq; Metaphysicã reuolutionẽ completam. quo finito progressu: qui aluit, in Metamorphosin, primus ipse abibit: rarissimeque, post, mortalium conspicietur oculis. Hæc, ô Rex optime, vera est, toties decantata [& sine scelere] Magorum Inuisibilitas: quæ [vt posteri omnes fatebũtur magi] nostra est Monadis cõcessa theo- 18.
riis. Expertissimus Medicus, etiã ex iisdẽ, facillime Hip-

Lib. de flatib. *pocratis Mysticam assequetur voluntatem. Sciet enim,* Quid, cui, addendum & auferendum sit:*vt, ipsam artem sub maximo Monadis nostræ compendio, & Medicinam ipsam contineri, lubens deinde fateri velit.*

12. *Beryllisticus, hic, in lamina Cryst'all'ina omnia quæ sub cælo Lunæ, in terra vel aquis versantur, exactissime videre potest: & in carbunculo siue* אחמה *lapide, aereã omnem*

13. *& igneam regionem explorabit. Et, si Voarchadumico, nostra Hieroglyphica Monadis, theoria vigesima prima, satisfaciat; ipsique, Voarh Beth Adumoth, speculandum ministret: ad Indos vel Americos, non illi esse philosophãdi gratia, peregrinandum, fatebitur.*

14. *Denique de Adeptiuo genere (quicquid vel Arioton ars subministrare, vel polliceri possit; vel viginti annorũ*

An. 1562. *maximi Hermetis labores sunt assecuti) licet ad Parisienses, sua Monade peculiari (anagogica apodixi illustratum) alias scripserimus: vestræ tamen Maiestati Regiæ constanter asserimus,* Id Omne, *analogico nostræ Monadis hieroglyphicæ opere, ita ad viuũ exprimi; vt similius aliud exemplum, humano generi nõ posset proponi. Quod, in seipsum, dupliciter, traducere debet: ipsum, scilicet, dignificatum glutire opus: & opus imitari dignificationem.*

Nunc satis à me; (imo vereor si hæc hominum audiret vulgus, ne plus satis;) de raritate nostri huiusce muneris theoretici, esse dictũ (triplicis inclyte diadematis honore) concedas Rex ô Maximiliane: eisdemq; limitibus, eiusdẽ definiri bonitatem. Satis ergo sit, (Regnum omniũ decus singulare) hoc nostrum munus, dum, tam esse rarum demonstrauerimus diligentius, neminem tamen (licet inuidæ linguæ petulantia maledicentissimum quidẽ) auem esse Aesopicam mussitare posse. Tantum profecto abesse, vt iuste, illius indignitatem ferat calumniæ; modestissimi omnes sapientißimiq; fatebuntur philosophi: quod non dedignabuntur illi quidem, vna mecum, laudes & honorẽ

illi Phœnici accingere, ex cuius solius misericordiæ alis, rarißimas istas omnes cum timore & amore extraxerimus theoreticas plumas: cõtra nostram per Adamum introductam nuditatem: vt eisdem, ignorantiæ asperrimis quibusdam frigoribus, multo resisteremus alacriores: & errorum turpitudinem, à philosophantium tegeremus oculis; honestæ Veritatis studiosissimi. Et quamvis auctoritate aliqua humana, nullo modo, hic sumus freti; sicubi tamẽ, antiquissimi alicuius philosophi, opportune poterat nostro illustrari lumine, aliquod notabile dictum vel scriptũ; ibi, illud amice nostris exhibere posteris, nõ recusauimus. Veluti in Hermetis, Ostanis, Pythagoræ, Democriti, & Anaxagoræ quibusdam Mysteriis: in quæ, ex nostris hieroglyphicis descendimus demonstrationibus, non tanquam ab illis, fide emendicantes in istis. Et istam tantam raritatem, ita, vbiq; coniuncta comitatur bonitas: vt nihil, vel aperte vel tecte, in hoc libello a nobis esse positum, protestemur, quod non idem honestum, sincerum, dignitati humanæ aptum sit: pietatis perfectissimæ, religionisq; vero studio vtilißimum. Et vt ὀρθοδοξεῖν certe, in tam arduis Mysteriis non potest, nisi ille, qui, eorum perspectißimam habet omnem amplitudinem: sic nemo citius infantiam suã, malitiam, vel arrogantiã proderet, quam ille, qui, quicquam eorum quæ hic vestræ sapientiæ cõmendauimus, vel tanquã impium cõdemnare, vel tanquã friuolum reiicere auderet. Cuius rei, cum nullũ, vel iudicio acutiorem, vel vsu expertiore: vel auctoritate potentiorem; vel sinceritate fideliore: adducere quis poßit teste, quam summus ille Regũ Rex omnipotens, Regẽ fecerit Maximilianum: erit ergo mihi vestra Augusta Maiestas instar aliorũ omnium: cui, hæc nostra, probata esse, haberique rata non solum, triobolarium multorũ obturabit ora Gramaticastrorũ: sed etiam multorũ philosophãtiũ eriget animos. Vel huius, iam, propter tantorum Mysteriorũ proclama-

tam incertitudinem, iacentes. Vel propter rerum raritatem imperitorum superba timentes iudicia. Qui bona cum malis (temere, promiscueque, ex nominis sola similitudine,) condemnare solēt studia. Cum maxime deplorādo (interdum) optimorum librorum interitu. Quorum vtrumque, Reipublicæ Christianæ, plurimū, varijs temporibus, attulisse detrimenti, clarissime constare potest. Apto nimirum ad tam magna tractanda capessendaque ingenio, vel priori ratione perterrefacto: vel iam, quidē, cum progressus haud mediocres fecerit, rustice eiusdem & superbe, ab imperitis iudicibus, vniuerso tam nobili tamque diuino Mysteriorum condemnato studio. At alterius est loci, singulis scientiis honestis, suas comparare æmulas: falsas illas quidem, vmbratiles, odiosas, molestas, hominumque societati inutiles. Quas solas, & ea ratione qua vulgares captant homines & exercent: non vulgari solum sed sapientissimi cuiusque iudicio explodendas, cōdemnandasque, & fatemur; & ita diligentissime fieri, nos quoque, suademus. Sed, qui, Corpora illa, vel esse nesciant, vel vbi, vel qualia sint; quorum istæ tenuissimæ sunt vmbræ quomodo, illi, hominum non vulgarium, nō vulgaria condemnare studia, vel audent, vel saltem iure possunt? Fiat Iustitia. Vnicuique, quod suū est, sic, tribuatur, in istis vulgaribus sciolis, artium magnarū vmbras non sectantibus solum, sed easdē etiam sceleratissime emētientibus adulterātibusque: nugas, errorum, omnemque adscribamus impietatem: at in bonis solidisque studiis prouectioribus & honestis moribus tum confirmatis, tum sua integritate clarissimis: vel, vim (ob leuē vulgi calumniā) inferre: vel eorum in odium vocare nomen, studiaque: vel in discrimen, vitā: non solum inhumanū id mihi (ô Rex) sed iniustum & quasi impium videtur. Nā, vt corporū quorumcunque, omnes vbicumque vmbræ, cōmunes cum ipsis corporibus Terminos habent: (quod Mathematicis est

notißimum) eodē modo, & hic, phrases loquendi, scribendiq; umbris, verisq; ipsis corporibus, communes esse, permittunt Sophi. Vbi, imperiti, temerarii, & præsumptuosi Simiæ, vmbras captant solas, nudas, & inanes: dum ipsi sapientiores philosophi, Corporum solida fruantur doctrina & fructu gratißimo. Sicq; vere, illud, vsu venire videmus: vt illis, id quod habere se putabant, (vmbratile,) tanquā non solidum & sincerum, ex manibus eripiatur, iustißime: & corpora tractantibus, vmbrarum omnis sit concessa honesta legitimaque comprehensio & cognitio. ἰεϑολομεῖν igitur oportet, (ô Rex,) inter Vmbrā & Corpus: & vtriusq; distinguere fines, vires, & vsus, Iustitiæ ille est Gladius, Regius, Imperatoriusq;: cuius, vt alia multa, ita, & hoc, est præstare diuinum munus. Et arte profecto quadā, interdum, ipsi Sophi, Vmbratiles figuras, intra ipsorum corporum sinuosos anfractus libenter admittunt: ne asinis in hesperidum hortos, ruditer irruentibus, electissimæ præbeantur lactucæ, cum illis sufficiant cardui. Ignosces mihi ô Rex, mundū, de iniustitia (ex Christi authoritate) arguenti. Neq; hæc, vllo modo, hoc loco, his temporibus, tua præsertim commemorata sapientia, parerga censeri volo: imo ne superflua quidē. Atq; hæc hactenus. Hunc ergo meum Monadis Hieroglyphicæ fœtum (conceptione quidē Londinensem, Natiuitate vero Antvverpiensem) vestræ serenißimæ Maiestati, humillime offero: obnixe à vobis contendens: vt eiusdem non dedignemini, nunc quidē, fieri compater: post vero, cū erit & ætate grandior, & fide sua cōmendabilior, in vestra semper vobis vt seruire poßit præsentia. Pro vestro, deinceps ego eum cē haberi volo, ô clementissime Rex: qui, vt mihi visus es toto partus tempore blādißimo aspectu, ante oculos versari meos ita, ea ratione, facile mihi expeditūq; huius in lucē edit͡ionis, laborē fecisti Nāquē annos prius cōtinuos a septē, mente gestaui mea, eundem,

Luc. c. 8.

a Vt apparet in

eundem, incredibili vestra ad tantum interuallum, virtute magnetica, duodecim solum dierum spacio, in hanc communem auram placidissime sum enixus. Quod, felix, faustumque esse, tum vestræ Augustæ celsitudini, tum ardentissimis meis sincerissimæ veritatis studiis, concedat illa sacrosancta Trinitas, quæ in Monadis ineffabilis, omnipotentia, ante omnia secula, fundata, viuit regnatque sempiterna: cui soli, omnis laus, honor, virtus & gloria, ab omni semper exhibeatur, decanteturque creatura. Amen.

Aphorismis nostris propædeumaticis, impressis Londini, An. 1558. ex Aph. 52

Antvvetpiæ, Anno 1564. Ianuarij. 29.

TYPOGRAPHO.

GVLIELMO SILVIO AMICO SVO SINGVLARI,

Ioannes Dee Londinensis S. D. P.

VIdes amice mi, optime Gulielme, quam vnice charas præclarissimas habeam, illustrissimi Regis Maximiliani virtutes, cui ex cordis mei scriniis, rara, excellentissimaq; communico Arcana: eaq; ratione, illi cõmunicanda curaui, vt etiam plures per terrarum orbẽ (tum in eius honorem, propter eximias suas, Regiasq; virtutes: tum vt alii ex illo sibi exemplum capiant: qui & Regiis sapientissime vacare Regnorum gubernaculis: & philosophorũ tamen, sophorumq; stupenda cumulate addiscere Mysteria potest) plures, inquam, eisdem frui; vestra diligentia, & fide queant. Duo igitur sunt, quæ mihi es orãdus maxime: vnum, vt vbiq; accuratam meam, in litterarum varietate, punctis, lineis, diagrammatibus, schematibus, numeris, aliisq;, imiteris, (quantum possis) diligentiam: ne, idem ipsum, quod ego (Dei nutu peperi ex omni parte bene formatum corpus; Typographiæ negligentia, vel mutilum, vel deforme prodeat in lucẽ: indignum

ſiquidem, Rege tanto; Indignũ vere Philoſophantiũ ſtudijs, & laborib., quos in eo penitiſſime, ſapiſsimeq; examinando, collocare volunt, Maximis. Cauere tamē ſatis, de iſto, mihi videor, infortunio, dum te elegi, iſtius nouiter nati operis parentem Typographicum: qui omnibus modis, nitidum, ſuisq; bene compoſitum membris, tua curatura, emittere potes.

Secundũ, quod a te præſtari optarem, haud eſt leue, id quidē: Nimirũ, promiſcuo vt hominũ generi, hoſce, nullo modo, in manus des libellos. Nō q̃ illis ego hæc quidem, vel meliora, inuideam; Sed hoc inde oriturũ mali ſuſpicans: Non ſolũ, quod ex ipſo Labyrintho, ſe, miſeri, nunquã extricare poſſunt: (Ingenium interea incredibilibus angentes modis; peſſimeq; ſuis proſpicientes rei familiaris negociis) ſed etiam, quod alijs quoq;, (illis inuium) vel, ingredi ſuadebunt iter: vel de eiuſdē, velut illis explorata, certitudine, ſceleratiſsime ementientur; impoſtores, hominumq; larua: Vel deniq;, talia Dei Magnalia, eſſe, negare; aut meam, rabidiſſime accuſare ſinceritatē audebũt: nunc tandē deſperabundi; Vt, primo, hæc Myſteria, cũ maxima præſumtione aggreſſi ſunt temerarij. At in hoc tanti momenti negotio, ſi te bene à multis iam annis noui (vel propter amicitiã noſtram: vel Reip. Chriſtianæ vtilitatē; vel ſaltem propter ipſius ſapientiſsimi Maximiliani Heroicas virtutes, quæ nihil commune cum hominum vulgari habent ſorte) cauebis, ſpero, ne fidem tuam fruſtra requiſiuiſſe videar. Cauebis tu quidem: & per te, honeſtiſsimi omnes librorum mercatores. Valeas.

Ex Muſeo noſtro Antwerpienſi:
Anno 1564. Ianuarii 30.



MONAS HIEROGLYPHICA IOANNIS DEE, LONDINENSIS,

Mathematice, Magice, Cabalistice, Anagogiceq; explicata.

AD

SAPIENTISSIMVM ROMANORVM, BOHEMIÆ, ET HVNGARIÆ REGEM, MAXIMILIANVM.

THEOREMA I.



ER lineam rectam, circulumq;, prima, simplicissimaq; fuit rerum, tum, non existentium, tum in naturæ latentium inuolucris, in lucem productio, repræsentatioque.

THEOREMA II.

AT nec sine recta, circulus; nec sine puncto, recta artificiose fieri potest. Puncti proinde, monadisque ratione, res, & esse cœperũt primo; Et q̃ peripheria sunt affectæ, (quantæcumq, fuerint) Centralis puncti nullo modo carere possunt ministerio.



THEOREMA III.

MOnadis, igitur, Hieroglyphicæ conspicuũ Centrale punctum, terram refert; circa quam, tum Sol tum Luna, reliliquiq; planetæ suos conficiunt cursus. Et in hoc munere, quia dignitatem Sol obtinet summam, ipsum, (per excellẽtiam,) circulo notamus integro, centroque visibili.



MONAS. HIEROGLYPHICA.

THEOREMA IV.

LVnæ Hemicyclium, licet hic, solari sit circulo quasi superius priusque; tamẽ solem tamquam dominum, regemq; suum

suum obseruat: eiusdem forma ac vicinitate adeo gaudere videtur, vt in illum in Semidiametri æmuletur magnitudine, (vulgaribus apparente hominibus,) & ad eundē, semper suū conuertat lumen: solaribusq; ita tandem imbui radijs appetat, vt in eundem quasi transformata, toto dispareat cælo: donec aliquot post diebus, omnino hac qua depinximus, appareat Corniculata figura.

THEOREMA V.

ET lunari certe Semicirculo ad solare complementum perducto: Factum est vespere & mane dies vnus. Sic ergo primus, quo lux est facta Philosophorum.

THEOREMA VI.

SOlem, lunamque, rectilineæ cruci, inniti, hic videmus. Quæ, tum Ternarium, tum Quaternatium, apposite satis, ratione significare Hieroglyphica potest. Ternarium quidē ex duabus rectis, & communi vtrisque, quasi copulatiuo puncto. Quaternarium vero: ex 4. rectis, includentibus 4. Angulos rectos. Singulis, bis, (ad hoc) repetitis; (sicq;, ibidem, secretissime, etiam Octonarius, se offert; quem, dubito an nostri prædecessores, magi, vmquam conspexerint: notabisq. maxime.) Primorum patrum, & sophorum Ternarius, magicus, corpore, spiritu, & anima, constabat. Vnde, manifestum hic primarium habemus Septenarium. Ex duabus nimirum rectis, & communi puncto: deinde ex 4. rectis, ab vno puncto, sese, separantibus.



THEOR. VII.

ELementis, extra suas sedes naturales, dimotis: suos ad easdem reditus, naturaliter, per rectas facere lineas, dislocatæ eorundem homogeneæ partes; experientem docebunt: absurdum igitur non erit, per 4. rectas, ab vnico puncto, indiuiduoq; in contrarias excurrentes partes, quatuor Elementorum, (in quæ Elementata, singula, tādem resolui possunt) innuere mysterium. Hoc etiam notabis diligenter; Geometras docere, Lineam ex puncti fluxu, produci: nos hic simili ratione, fieri monemus: Dum Elementares nostræ lineæ, ex Stillæ, (tamquam puncti, Physici) continuo casu, (quasi fluxu) in Mechanica nostra producantur Magia.

THEOR. VIII.


QVaternarij, præterea Expansio Cabalistica, secundum vsitatæ Numerationis Phrasin, (dum dicimus, Vnum, duo, tria, quatuor) DENARIVM, summatim exhibet. Vt & ipse Pythagoras dicere solebat: Nam 1. 2. 3. & 4. decem conficiunt. Non temere ergo, CRVX Rectilinea, (id est, Vigesima & Prima Romani Alphabeti litera) ex 4. fieri rectis iudicata, ad DENARIVM significandum, ab Antiquissimis Latinis Philosophis est assumpta. Locus etiam illi est ibidem definitus, Vbi TERNARIVS, vim suam per SEPTENARIVM ducens, illum statuit.

THEOR. IX.

HOc autem nostræ MONADIS, SOLI, LVNÆQVE, optime conuenire videbitur: cum eorundem per 4. Elementorū Magiam, Exactissima in suas Lineas fuerit facta SEPARATIO: Deindeque, per earundem Linearum Periphoras (A d omnis enim datæ lineæ Magnitudinem, licet Circulum describere: per Geometriæ leges) Circularis, in Complemento SOLARI, fuerit facta CONIVNCTIO. Tunc enim latere non potest, quātum nostræ MONADIS, SOLI, LVNÆQVE, Crucis DENARIA inseruiat Proportio.

THEOR. X.

DOdecatemorij Arietis, omnibus est notissima, quæ est in Astronomorum vsu (quasi Acioædes, Acuminataque) figura ista: ♈ Vt & ab hoc cæli loco, Triplicitatis Igneæ, notari Exordium constat. At ignis ergo ministerium (in huius Praxi MONADIS) requiri significandum, Arietis adiecimus Astronomicam notam. Sicque breuiter, nostræ MONADIS, vnam absoluimus Considerationem Hieroglyphicā: quā sic volumus, vnico Contextu Hieroglyphico proferri.



LVNA

SOL.

ELEMENTA.

IGNIS.

MONADIS ISTIVS, LVNA ET SOL, SVA SEPARARI VOLVNT ELEMENTA, IN QVIBVS DENARIA VIGEBIT PROPORTIO; IDQVE IGNIS FIERI MINISTERIO.

THEOR. XI.

ARietis Nota Myſtica, ex duobus Semicirculis, in communi Puncto connexis, conſtituta Æquinoctialis Nycthemeræ loco aptiſſime aſſignatur. Viginti enim & quatuor Horarum Tempus, Æquinoctij modo diſtributum, Secretiſſimas noſtras denotat Proportiones. Noſtras dico, reſpectu Terræ.

THEOR. XII.

ANtiquiſſimi Sapientes Magi quinque Planetarum, nobis tradidere Notas Hieroglyphicas: Compoſitas quidem omnes, ex LVNÆ vel SOLIS Characteribus: cum Elementorum aut Arietis Hieroglyphico Signo. Velu ti iſtas, quas hic

Saturnus.
Iupiter.
Mercuri⁹.
Mars.
Venus.
Mercurius.

videtis figuratas Quas ſingulas modo Hieroglyphico, ex noſtris prius iactis Fundamentis, non erit explicare difficile. At primum, de ijs quæ Lunæ habent Characterem, nos nunc Paraphraſtice agemus: de Solaribus deinde. LVNARIS noſtra Natura, dum per Elementorum ſcientiam, circa noſtrā ſemel reuoluta Terram, SATVRNVS myſtice dicebatur. Et eadem de cauſa, IOVIS quoq; habebat nomen: iſtamque retinebat figuram ſecretiorem. Et Lunam, tertia elementatam vice, obſcurius ſic notabant. Quem, MERCVRIVM vocare ſolent Qu, quam ſit LVNARIS, videtis. Iſtum, QVARTA Reuolutione producí, licet Quidam velint Sophi: noſtro Secreto propoſito tamen, non erit id cōtrariū;



Modo

Modo Spiritus Purissim.* Magicus, loco Lunæ, τῆς λευκάνσεως administrabit Opus; & sua virtute Spirituali, nobiscum SOLVS, per Mediam quasi Naturalem diem sine verbis, Hieroglyphice loquatur; in purissimam simplicissimamq; à nobis præparatam TerramGeogamicas, istas 4. introducés imprimeusq; figuras; vel illarum loco, illam alteram.



THEOR. XIII.

MArtis ergo Character Mysticus, an non ex SOLIS & ARIETIS, Hieroglyphicis, est conflatus? elementali (partim) interueniente Magisterio? Et VENERIS, quæso, annon ex SOLIS, & Elemẽtorum pleniore explicatione? Isti ergo Planetæ, SOLAREM respiciũt περιφοράν, Opusq; Ἀναζωπυρήσεως: In cuius progressu fit tandem conspicuus Mercurius ille alter: Prioris quidem vterinus Frater. Lunari scilicet Solarique Elementorum cõpleta Magia, vt expressissime nobis ipse Hieroglyphicus loquitur Nuncius, modo in illum oculos defigere auremq; illi præbere attentiorem velimus. Et, (NVTV DEI,) iste est Philosophorum MERCVRIVS, ille celeberrimus MICROCOSMVS & ADAM. At solebant tamen expertissimi nonnulli, huius loco graduq; SOLEM ipsum ponere. Quod nos hac nostra ætate non possumus præstare; nisi ANIMAM aliquam à CORPORE, arte Pyronomica separatã, huic Operi χρυσοκοραλλίνῳ pficeremus: Quod & facta est difficile: & propter igneos, sulphureosq; quos secum adfert halitus, periculosissimum. Sed illa, certe, ANIMA, mira præstare poterit. Nimirum, tum ad LVNÆ, discũ, (Vel MERCVRII, saltem) LVCIFERVM; Immo & PYROENTA, indissolubilibus ligare vinculis. T[illegible] tertio (vt volunt) loco, (ad



		☿		
		3: ☽		
6: ♀	·:· ♃	[illegible]	:I: ♄	.S. ♀
		☉		
		7. ☿		

Tum

septe-

ſeptenarium noſtrum complendum numerum (ſolem nobis iſtum exhibere Philoſophorum. Iſtorum duorum Theorematum arcanis, ſignificandis; videte quam exacte, quam aperte, noſtræ Monadis Hieroglyphicæ, reſpondeat Anatomia iſta.

Totius Aſtronomiæ inferioris, Anatomia monadica, principalis.

THEOREMA XIV.

EX Sole & Luna, totum hoc pendere magiſterium iam hoc clare confirmatum eſt. Huius, etiã Termaximus ille Hermes, nos olim admonuit: Eius patrem Solem, eſſe, aſſerens: Lunam autem, matrem: nutriri vero ſcimus in terra lemnia. Radijs nimirum lunaribus & ſolaribus, ſingularem circa eandem, exercentibus influentiam.

THEOR. XV.

SOlis proinde Lunæque circa terram labores, Philoſophis proponimus conſiderandos. Huius quidem, quo modo, dum in ariete verſatur ſolare iubar: ipſa tunc in proximo (ſcilicet tauri) ſigno, lucis nouam recipiat dignitatem: exalteturq; ſupra innatas ſibi vires. Quam (præ alijs notabilem magis) Luminarium, vicinitatem, charactere quodam myſtico explicabant veteres: tauri, inſignito nomine. Quam, quidem Lunæ eſſe exaltationem, vsq; ab ipſa prima hominum ætate (inter Aſtronomorum placita,) memoriæ eſſe proditum, notiſſimum eſt. At intelligunt myſterium illi ſoli, qui abſoluti euaſere myſteriorum Antiſtites. Vt & ſimili ratione, Veneris eſſe domum, dixere Taurum: caſti nimirum prolificiq; coniugalis amoris, ſic enim ἡ φύσις, τῇ φύσει τέρπεται: Vt magnus ille Oſtanes in ſecretiſſimis ſuis recondidit myſterijs.

Solis vero, qua ratione, ipſe poſt aliquas ſui luminis, admiſſas eclipſes; Martium robur accipit: & in eiuſdem quoq; domo (noſtro ſcilicet Ariete) veluti in ſua triũphare dicitur Exaltatione. Quæ ſecretiſſima myſteria noſtra etiam Monas clariſſime, perfectiſſimeque demon-



strat: TAVRI quidem ista quæ hic est depicta Hieroglyphica figura: & illa MARTIS: quam 12. & 13. Theoremate adduximus: quæ SOLEM Recta in ARIETEM tendentem, indicat. Ex præsenti autem Theoria, Alia nostræ MONADIS sese offert Anatomia Cabalistica: cuius ista est vera artificiosaq; explicatio. LVNÆ, SOLISQVE EXALTATIONES, MEDIANTE ELEMENTORVM SCIENTIA.

ANNOTATIO.

Duo hic maximopere notanda esse censeo: Vnum, quod Tauri Hieroglyphica ista figura, nobis Græcorum Diphtongum ȣ, exacte repræsentet, Primæ Declinationis, Gignitiuam semper singularem Terminationem. Secundo, ex apta Metathesi Locali, dupliciter nobis ALPHA commonstrat: Circulo & Semicirculo Tangentibus solum, vel se mutuo (vt hic) secantibus.

THEOR. XVI.

IAm nobis de CRVCE, paucis ad nostrum propositum, est philosophandum. CRVX nostra, licet ex duabus Rectis (vt diximus) & æqualibus illis quidem, confecta sit: non se mutuo tamen in æquales dissecant longitudines. Sed tum æquales, tum inæquales partes, in Mystica nostræ Crucis distributione, haberi voluimus. Inuenientes, in Binarum ita sectarum potestate (eo quod æqualis sunt Magnitudinis) CRVCIS quoque Æquilateræ, virtutem latere. Generalissime enim, Cruce, ex æqualibus Rectis, fieri iussa; æquali profecto linearum Decussatione, eam fieri debere, Naturæ quædam requirit Iustitia. Secundum cuius Iustitiæ Normam, de Æquilatera Cruce (qualis est Latini Alphabeti litera vigesima prima) hæc quæ sequuntur, perpendenda proponemus. Crucis, Rectilineæ, Rectangulæ, & Æquilateræ, Si per commune sectionis punctū, & Cōtrapositos angulos, Recta vbicunque transire concipiatur: Ex vtraque parte, sic transeuntis Rectæ, Crucis factæ partes, sunt omnino similes & æquales: Quarum figuræ, eædem sunt, cum illa Latinorum litera, quæ Vocalium esse Quinta, recepta est, & ad Quinarium denotandum apud Antiquissimos Latinorum Philosophos vsitatissima erat: Idque haud absurde ab illis esse factum censeo; cum sit Denarij nostri, Conformis Medietas. Ex illis ergo figuræ, sic duplicatæ (ex hac Hypothetica Crucis diuisio-

diuisione) prouenietis, ea ratione, qua Quinarium vtræque repræsentant (licet erecta altera, altera autem hic sit euersa) monemur, Radicum Quadratarum hic imitari Multiplicationem Quadratam: (quæ hic mirabiliter in numerum circularem incidit, scilicet Quinarium) Vnde produci certo constat, viginti & quinque: (vt & ipsa littera, est vigesima: & vocalium Quinta.) Nunc vero alium situm ipsius Crucis æquilateræ considerabimus: istum nimirum: qui nostræ Monadicæ Crucis Situi est similis: Similem autem hic fieri Crucis Diuisionem bipartitam (vt supra) supponimus. Vnde alterius literæ, Latini Alphabeti, se monstrat etiam geminata figura: erecta vna; euersa, & auersa, altera: Quæ (ex Latinorum vetustissima consuetudine) ad quinquaginta repræsentandum, in vsu est. Istud inde mihi primo statutum videtur: Eo quod sit & illa quidem Quinarij, Nota; ex nostro Crucis denario, essentialiter desumpta: at eo situ locatæ, quo, omnium Mysteriorũ Maximi, ipsa Crux, est consummatissima, Hieroglyphica Nota: Vnde denarij potestatem, in sua quinaria virtute complectens, quinquagenario numero tanquam suo partui, gratulatur. O, mi Deus, quanta hæc mysteria? & nomen illi, EL. Immo & hac ratione quoque, ipsam denariam Crucis virtutem respicere videtur; quod medio loco, inter primam Alphabeti literam, & ipsum Crucis denarium sit constituta: & ab alterutra, ipsa sit, ordine, decima. Et cum in Cruce, duas eiusmodi integrales esse partes ostendimus (numeralem nunc solum earundem vim considerantes) Centenarium inde excrescere apertissimum est. At si, ex Quadratorum lege, mutuam patiantur multiplicationem, bis mille, quingenta nobis reddent: qui huius quadratus, ad prioris circularis numeri quadratum, comparatus: & eidem applicatus, etiam centenarium, denuo restituet: vt & ipsa crux, secundum sui denarij potentiam, se explicans, Centurio esse agnoscetur: Et tamen cum sit nisi vnicus ipse crucis character: Vnum quoque repræsentat: Hic ergo (præter alia dignissima) ab istis crucis Theorijs, numerares

& progredi iam ſumus edocti ad hunc modum: Vnum, decem, centum. Denatia ſic nos euehente crucis proportione.


THEOR. XVII.

VT ex ſexto Theoremate liquere poteſt, in cruce noſtra quatuor rectos conſiderari, angulos: Quorum vnicuique, quinarij attribuere ſignificationē, præcedens doceret Theorema: Vno quidē locatis modo: At alterū obtinentibus ſitū: idem Theorema quinquagenarij numeri, fieri Hieroglyphicas notas admittit: ita, euidentiſſimum eſt, crucem denariū notare vulgariter: Tum in Latini Alphabeti ordine, literam eſſe vigeſimam primam: (Vnde eſt factum, quod, Sophi, Mecubales, dicti, viginti vnum, per eandem ſignificabant literā:) Denique, & ſimpliciſſime conſiderari poſſe: vt vna nota, eſſe conſpicitur; qualemcunq: & quantamcunq; aliam habet poteſtatem. Ex quibus omnibus, optima demonſtratione cabaliſtica concludi poſſe videmus: crucem noſtram, myſtis, ducenta, quinquaginta duo mirabili cōpendio ſignificare poſſe. Quater enim quinque; quater quinquaginta; decem; viginti vnum & vnum: ducenta quinquaginta duo efficiunt. Quem numerum, duabus adhuc alijs rationibus: ex præmiſſis vt nos elicere poſſumus; ita Cabaliſticis Tyronibus, eundem commendamus eruendū: breuitati ſic ſtudentes: Eiuſdem tamen magiſtralis numeri, variam productionem artificioſam, Philoſophorum dignam iudicantes conſideratione. Nec vos, aliam, hic, Myſtagogiam celabo, memorabilem. Crucem noſtram in duas alias literas, ſe diſtribui paſſam, videntes: Si, vt numeralem earundem virtutem quodā modo perpendimus prius, ita viciſſim nunc illarum verbalem vim, cum ipſa cruce, conferemus, quod inde oriatur Lux: Verbum, finale & magiſtrale (ex illa Ternarij, in vnitate verbi, conſpiratione & conſenſu) cum ſumma admiratione, intelligemus.

THEOR. XVIII.


EX duodecimo & decimotertio Theorematib. noſtris colligi poteſt, cæleſtem Aſtronomiam, inferioris eſſe quaſi parētem & magiſtram. Subleuatis ergo in cælum oculis Cabaliſticis (ex prædictorum myſteriorum Theorica illuminatis) talem ad amuſſim noſtræ Monadis, cōſpiciemus Anatomiam: in naturæ lumine, vitaq; ſeſe ſic nobis ſemper oſtendentem. Et ſuopte nutu, ſecretiſſima huiuſce Phyſicæ Analyſeos

lyseos mysteria, apertissime detegentem. Oui autem figuram, isti coordinationi adhibere: cælestis nuncij, dum Theoricos, celestesq; gestus, sumus aliquando contẽplati, fuimus edocti. Oualẽ enim, ipsum, in Æthere, suo cursu figurare circuitionẽ, Astronomis est notissimũ. Et, cum dictũ, sapienti, sat esse debeat: En nostras huius cælestis cõsilij interpretationes (sic Hieroglyphice ꝓpositas:) ꝑdictis omnino cõsentaneas. Hinc moniti, discãt miserrimi



Alchemistæ, suos agnoscere errores varios: Quæ sit Albuminis ouorum aqua; quod ex vitellis oleum. Quæ ouorũ calx? Hinc, imperitissimi illi impostores, cum illorũ desperatione, intelligãt: Aliaq; his similia, ꝑplura. Hic proportionatũ a natura, fere totũ habem⁹. Hoc illud est ouũ aquilinũ, quod scarabeus, olim disrupit ꝓpter iniuriã, quã timidis brutisq; hominibus, illius auis violẽtia & crudelitas intulit. Licet ad scarabei antrũ (auxilij implorãdi gratia) aliquib. cõfugientibus, nõ inde tñ liberatis: Sed ipse solus scarabeus, hãc sibi vindicãdam iniuriã, modis omnib., existimans: Vt erat alacri animo, constantiq; voluntate paratus, ita ad id ꝑstandum, nec virib. carebat, nec ingenio: Vnde varijs conatibus aquilã dum persequeretur scarabeus: Subtilissima fimi arte vsus, illius tãdem (vel in Iouis gremio depositum) ouũ, in terrã ꝑcipitari adeoq; disrumpi effecit. Et eadẽ, aliave ratione aquilinã tandem totam speciẽ, è terris deleuisset scarabeus, nisi, (malum tantum ꝑcauens,) Iupiter effecisset: Quo anni tẽpore, aquilæ sua solicite curãt oua, nulli vt circũuolitent scarabei. Illis tñ cõsulerem, qui isti⁹ auis vexantur crudelitate, ab ipsis Heliocãtharis (qui ita certis temporũ curriculis latitando viuunt) vtilissimã artem discere: Quib., iã licet nõ faciant ipsi, esset tñ lõge gratissimum, suis indiciis & signis, de suo inimico, vindictã sumi posse. Et hic (O Rex) nõ Æsopum conari me vt agã, sed Oedipum, faterentur, si adessent, illi, quorum mentes, ita de naturæ summis fabulari mysterijs, primo subiuit. Esse profecto quosdam noui qui scarabei artificio, si haberent dissolutum aquilinum ouum, calcem eiusdem, cum albumine puto,

totoq; temperarent primo. Deinde illud Temperamentum, vitelli liquore toto, artificioſo ordine, oblinirent: voluendo reuoluendoque: Vt Scarabei ſuas conglomerant pilas. Ita, magna fieret oui Metamorphoſis: Iam ſcilicet diſparente, & quaſi inuoluto Albumine ipſo (illis multis veluti Helicis Reuolutionibus factis) in ipſo Vitellinoſo liquore. Cuius artificij, tale Hieroglyphicum ſignū, naturæ haud diſplicebit Oeconomis. Sæculis prioribus, multū eſſe à grauiſſimis, & antiquiſſimis celebratum Philoſophis, tale artificium, legimus: certiſſimum & vtiliſſimū. Anaxagoras certe, ex hoc Magiſterio, excellentiſſimā, poſt, fecit medicinā: vt in ſuo περὶ τῆς ἐκ στροφῶν φυσικῶν libello videre licet. Nihil hic eſſe extra noſtræ Monadis virtutē Hieroglyphicā, qui animū iſtis myſterijs ſinceri⁹ applicat, clariſſime pſpiciet.



THEOR. XIX.


QVod Sol & Luna, omnibus cæteris Planetis, longe fortius, in inferiora cuncta Elementata corpora, ſuas corporales infundant vires: omnium rerum corporatarum Analyſis Pyronomica, effectu demonſtrat: Lunæ dum refundunt aqueum humorem. Solisq; igneum liquorem: quibus, rerum mortalium ſuſtentatur corpulentia terreſtris.

THEOR. XX.

LIcet ſatis bona ratione Hieroglyphica, ſupra, demonſtrauimus, Elementa, per lineas rectas ſignificari: hic tamen de crucis noſtræ puncto quaſi centrali, exactiſſimā dabimus ſpeculationē. In ternarij noſtri conſideratione, nullo modo, illud abeſſe poteſt: in eo noſtri binarij ſitu Si .n. abeſſe poſſe, quis (diuinæ imperitus Matheſeos) contenderet: abeſſe ſupponat. Non erit ergo reliquus, binarius noſter: Sed emerget,

quaternarius:puncti illius ablatione, discontinuata linearũ vnitate. At binariũ esse reliquũ, vna nobiscũ supposuit aduersarius noster: Erit ergo & binarius, idẽ, & quaternarius, eadẽ consideratione. Quod τῶν ἀδωμάτων esse, satis manifestũ. Adesse ergo ex omni necessitate, debet illud punctum, q̃ cũ binario, nostrũ cõstituat ternariũ: nec aliud q̃d ei⁹ loco substitui p̃ptest. Nõ tamen est de Hypostatica p̃prietate, ipsius binarij: nec aliquo modo pars. Quod nõ sit pars, hinc demonstratur. Omnes lineæ partes, sunt lineæ. At illud esse punctũ, hypothesis cõfirmat. Nõ ergo binarij illius pars aliqua: Vnde multo minus de Hypostatica proprietate binarij. Proinde notandum est maxime, q̃ & propriã habeat Hypostasim: Et nihilo minus tamẽ, in ipsis nostri binarij longitudinibus linearibus, cõtineatur. *Et quia sic Vnius q̃z Videtur esse cõmune, quãdam, & ipsum, binarii, secretã recipere imaginẽ censeri. Vnde quaternarium, hic, demonstramus in ternario quiescentem.* Tu mi, Deus, mihi ignoscas obsecro, si erga tuã peccauerim majestatẽ, tantũ, in publicis scriptis, reuelans, mysteriũ. Sed spero, quod, soli, q̃ sunt digni illud vere intelligẽt. Pergamus nũc ad nostræ crucis, illũ, quẽ assignauimus quaternariũ. Vbi an abesse illud punctũ potest, quod ibi rep̃sentatur p̃pendamus. Mathematica p̃fecto nos docet remoueri posse. Nã nõ solũ, eo separato, reliquus est noster quaternarius: sed cum distinctior longe tum clarior in omniũ oculis erit factus. *Nulla sua substantialis proportionis recedente parte: sed superfluo, & cõfusionis puncto, sic damnato, resectoq̃z* O omnipotẽs diuina maiestas, *quantam tuis apicib. & iotis in tua descriptis, dispositisq̃z lege inesse sapientiã, & ineffabilẽ mysteriorũ infinitatẽ, cõfiteri cogimur mortales: si maxima terrena secreta & arcana, Vnius istius puncti a me, (at in tuo lumine) locati & examinati, iudicio Vario, explicari & fidelissime demonstrari queant? puncti Videlicet in ternario diuino, nullo modo superflui: at puncti in quatuor elementorum regno, cõsiderati fæculenti quidẽ, corruptibilis, tenebricosi. O terq̃z, quaterq̃z beatos illos, qui illud ternarii, (quasi copulatiuum) adipisci possunt punctũ: & illud quaternarii, tetrum & superfluũ, amandare tenebrarumq̃z relinquere principi. Sic ad claritatis niuea, & albarũ Vestiũ Ornamenta peruenienemus:* O Maximiliane, Quẽ, De⁹, (ista Mystagogia, aut Austriacæ familiæ aliquẽ) maximũ, aliquãdo faciat (vel me quidem in Christo dormiẽte) ad sui tremẽdi nominis honorẽ: in

iſtis, iſtis, (puncti in terris ſupflui,) abominandis tenebris; & vlterius, intolerabilib. Sed ne ipſe iam ſuperflua (nõ apto ſc. loco) pfundam verba, intra propoſiti mei cãcellos, actutum, nũc me recipiã. Et, quia, illis ſermonẽ iam abſoluerim, quorũ oculi in eorũ ſedent corde: Nunc mihi ad illos conuertenda Oratio eſt, quorũ corda in eorũ adhuc pmineant oculis. Quę hoc loco diximus, en crucis adſcripta figura, aliquo modo repſentare poteſt. Primũ, de puncto, in binis æqualib. lineis (æqualiter & in æqualiter decuſſatis) neceſſario; veluti hic, ad A deinde, ad B (quaſi quandã puncti ſupflui ablati, vacuitatẽ) diſtinctas videtis, quatuor rectas lineas: à puncto, prius illis communi, ſeparatas: illis, inde, nullo eueniente ſui detrimento. Iſta eſt via, per quã noſtra Monas, p binariũ, Ternariumq; progrediens, in Quaternario purificato, ſibi vni reſtituatur, per æqualitatis proportionẽ. (Quodq; .n. totum, ſuis omnibus partibus eſt æquale.) Hocq; dum fiat, nihil interea externarũ admittit, noſtra Monas, vnitatũ, numerorumve: Cũ ipſa ſibi exactiſſime ſufficiat: ſuis abſolutiſſima numeris omnib. In quorũ amplitudinẽ, tum magicis diffunditur modis: tum nõ vulgari, poſt, artificis induſtria, & maximo ipſius Monadis emolumẽto, (in dignitate & potentia) ad ſuã primã propriamq; reſtituitur materiã: interim, q̃ ad genuinã hæreditariamq; ſuam non ſpectant proportionẽ, omni modo & diligentia, reſectis, reiectisq; in æternum fæcibus.



THEOR. XXI.


SI, quod in noſtræ Monadis receſſibus, interius latebat inuolutum, eſſet in lucem erutum; commutatiſque vicibus, eiuſdem partes primæ, quaſiq; exteriores, loco includerentur medio, qualis inde fieret Monadis philoſophica transformatio, ſuperius vidiſtis: Nunc vero, myſticæ Monadis, aliam vobis proponemus localem commutationem: partibus illis, vnde ſuperiorum planetarum, characteres noſtri Hieroglyphici, ſeſe nobis obtulere prius, ſurſum hic erectis: eaque ratione, reliquis quidem deinceps Planetis, eum ſingulis ſortientibus ſitum, quem illis Plato adſcribere fere viſus eſt: Si rite



ex positione ista desumantur. In ipso enim Acumine Arietino, conueniunt Saturnus, Iupiter, Mars: descendendo, crux Veneri Mercurioq; inseruit. Sequũtur tandem ipse Sol, & infima, Luna. Sed hæc alio sunt ventilanda, loco: nostræ tamen Monadis hosce nolui celare Thesauros Philosophicos. Sicq; vnã rationem dare, cur ita Monadis mutari sitũ, consultum duximus. Sed, alia, quæ in rem vestram esse scio, videte, Auditeque, de hoc situ, maiora; paucisque explicanda. Distribuamus igitur Monadem, (hoc nouo modo locatam) in Anatomica membra B. D. C. Vbi, in illo nouo Ternario; ipsius D, & C, vel rusticis quidem, sunt notæ Figuræ. At ille tertius, qui per [B] designatur, non tam facile à cunctis cognosci potest. Nec illud quidem leuiter est cõsiderandum; illas tam notas formas, D, & C; separatas diuersasq; ab illo B. ostendere essentias, 1. Secundo, quod istius C, cornua, deorsum, quasi terram versus conuerti conspiciantur: 2.







Et, D illius, ea pars quæ ipsam C, illuminat; versus terram, deorsum scilicet, respicit: in cuius solius centro, est visibile 3.
punctum: vere terrestre & quod vtraque denique D & C, ad 4.
inferiora magis loca, hic suum Hieroglyphicum faciunt indicium, quam B. Terra autem, Hieroglyphice, stabilitatem, & fixionem notare nobis potest. Qualia ergo sint D, & C, inde, concludendum relinquo. Vnde etiam magnum nunc notare secretum, quisque potest: de priore Sole & Luna, quæ diximus, quomodo hinc interpretationem pleniorem, & maxime necessariam, recipere possunt: illis quidem, vsque in hunc locum, sursum positis; Lunaribusque Cornibus sursum eleuatis. Sed de hoc satis. Tertij nunc illius, iuxta nostræ Hieroglyphice artis fundamenta examinemus naturam. Primo, in capite gestare videtur Lunam duplicem. Vel arietem, nostrum, (sed inuersum mystice.) Deinde Elementorum habet annexum Hieroglyphicum signum. Quantum ad Lunam duplicatam attinet: Sic (iuxta materiã subiectã) explicari potest: duplex Lunæ gradus.

De gradibus loquimur illis, quales Physices periti, quatuor tantũ inter oẽs possint inuenire creatas naturas: nimirũ esse, viuere, sentire, & intelligere. Primos ergo duos istorũ gradus, huic inesse annotates: sic dicemus: luna existens, viua. Vitã vero quidã p motũ definiũt. motus autẽ sex sunt notissimæ species. Crux certe q̃ adiuncta est: Elementorũ hic reqri notat artificiũ. Præterea, in istis nostris Theoriis, vt semicirculũ, lunæ esse Hieroglyphicũ sæpissime tradidimus: Ita & integrũ circulũ, solẽ significare: hic autẽ, duo sunt semicirculi; sed separati (ad cõmune punctũ copulati tamẽ) qui, si apte cõiungant (vt arte possunt quidẽ) solarẽ nobis circularemq; referre possunt plenitudinẽ. Ex istis simul cõsideratis, sic sumatim, Hieroglyphice, nos hãc pferre posse sententiã patet. *Luna existẽs viua, per Elementorũ tractanda magisteriũ: habens potentiã, vt solarem repræsentet plenitudinẽ, suis simul arte cõnexis semicirculis.* Cõpleatur ergo: fiatq; ille, (quẽ diximus) circulus: vt, p E literam, hic annotauimus. Memores ergo simus, primo hũc solarẽ gradũ, nõ natura nobis fuisse obuiũ, sed artificialẽ, factitiumq; iã esse: Et cũ quidẽ, nobis se obtulisse primo aspectu & natura sua, (videlicet in B.) suis partib. laxis, fluxis, dissolutis; nõ solide in solarẽ speciẽ cõpactis. Deinde horũ semicirculorum Semidiametrum, non esse æqualẽ Semidiametro D & C (nobis ita natorũ, & omnib. notissimorũ) sed minorẽ multo. Vnde clarum est: nõ esse tantæ amplitudinis, ipsum B, quantę sunt ipsa D, C. Et hoc bene nobis cõfirmat E ipsum: opere isto circulari, a B, in speciem E, pmoto. Nam inde nobis emergit Veneris solũ character. Apertũ ergo iam fecimus, Hieroglyphicis istis Syllogismis: ex B, nõ sperandum nobis verum D. Nec fuisse primo verã C, in natura B: Vnde nõ fuit vera, luna, viua. De vita ergo & motu quoq; iã dubitare potes: an vere & naturaliter, sic se habeant: Erunt tamẽ, vt iam prudẽtibus elucidauimus, ad minus Analogica quidẽ, omnia, q̃ simili (de B) dicuntur Phrasi: vt & superius, q̃ de C, & D, perstrinximus breuiter, Analogice: ipsi B, cũ suis elementis, proprie cõueniunt. Quæ de arietis etiã natura adduximus, huic debẽt exacte cõuenire: cũ eandẽ illi⁹ in suo capite (licet inuersam) gestet figuram: vt & Elementorum eadẽ nota mystica, ipsi B adiũgitur.


Cũ ex hac tamẽ Anatomia videm⁹, ꝙ ex vnico nostræ Monadis corpore (tali dissecto arte) iste nouus pdierit ternarius: inde, dubitare nõ possumus, eiuscemodi mẽbra, mutuã inter se am-

amplexura *Sympathiam*: *Vnionemque Monadicam absolutissimam*, sua quasi sponte, admissura: Ita in istis Membris, Magnetica virtus est vegeta.

Hoc denique annotare libuit, (animi recreandi gratia:) Quod ipsum B, nobis, Rusticas, tot literas expeditissime exhibet, quod Puncta, sursum, conspicienda incapite, & quasi Frōte gerit: istas scilicet tres: vt & alias quasi sex: (summatim autē ter tria) Rudes valde & impolitas, fluxiles volubilesque: vt, ex semicirculis, vno vel pluribus, easdem esse factas videtis. Sed expertorum literatorumq; manibus inest firmior stabiliorque. Istas Formandi Literas ratio. Mysteriorum infinitatem, hic ante oculos habui: sed volui cum hoc ludicro, istam abrumpere theoriam. Haud parum tamen me quorundam promoturum conatus intelligo: Si (priori suo Mystico situi, restituta nostra Monade: compositisque artificiose singulis membris) saltem moneam eosdem, horterque: accuratius, nunc eruēre, Quis fuit Ignis ille Arietinus. Triplicitatis primæ. Quis ille æquinoctialis noster. Quis in causa fuit, quod Sol Exaltari poterat Supra Vulgarem Suum Gradum: cæteraque priora, perplura, *Secundis sapientioribus percurrere meditationibus*. Sed nos ad alia nūc properantes, digito tantum alijs iter indicare, (cui insistere debeant) non amice solum, sed etiam fidelissime voluimus: Mysteriorū (vt diximus) aliorum tacentes tamen infinitatē conspicuam.

THEOR. XXII.

NOndum nostræ Monadis esse exhausta Mysteria, facile liquebit. Si secretiora quædam Artis Sanctæ vasa (omnino cabalistica illa quidem) Solis initiatis reuelanda; ex eiusdem Monadis officina caute desumpta, vestrę serenitati Regiæ, nūc exhibuerim spectanda. Omni ergo Nexu nostræ Monadis sapienter dissoluto, singulis partibus (distinctionis gratia) literales addamus notas: prout hic factū videtis. Monemus ergo, α, esse vas quoddam artificiale, ex A & B: cum (vtriusq; cōmuni, & iam manifestando Semidiametro) ipsa quidem M, factū: &, ab Alphabeti Græci, prima, hac litera, sola partium locali Metathesi, diuersum: vt videtis: Ex recta enim, circulo & semicirculo, verā illius, Mysticamq; iā nos primi docemus, Symmetriā (licet supra etiā monuimus, ex circulo & semicirculo eandem fieri posse: omnia tamen in idē recidunt propositū Mysticum (at, λ, & ∂: Primū quidē, aliorum sunt vasorū quasi ima-



gines: (λ, quidem Vitrei ♉ autem, terrei. Sed, secundo in loco, λ, & ♉, nos memores reddere possunt, cuiusdam Pistilli & mortarii, ex materia (vere) tali præparandorum, vt cum ijsdem margaritas artificiales non perforatas, laminas Crystallinas, Beryllinasque: Chrysolythos, Rubinos deinde pretiosos: Carbunculos & alios rarissimos lapides artificiales in pulueres subtilissimos conteramus. Deniq; quod cum ω notatum videtis, vasculũ est, Mysteriorũ plenissimum; & ab ipsa vltima alphabeti Græci litera, (ad suã primã institutã Mystagogiam nunc restituta) vel sola partium manifesta Metathesi locali discrepans: ex duobus & illa quoque constante semicirculis. De vulgaribus præterea necessarijs vasorum, tum figuris, tum (vnde fieri debent) materijs, non est necesse hoc loco, vt verba faciamus. Hoc tamen erit considerandum, α, sui muneris obeundi captare occasionem, ex secretissimo breuissimoque spiraculi Artificio; & (גשרת קרם ששמ תמירי תמל'ה(גמוג ממעל אהו *litro Vinium* או] tyronibus Operis expeditissimum eliciet primordiale specimen; interim dum Subtiliora præparandi, artificior illis innotescat via. At in λ, vitreo (in præcipui sui oficij functione,) aer omnis externus, ventusve damnum adferret magnum.

ω, autem, OMNIVM est HORARVM HOMO. Πόρισμα τῆς ἱερᾶς τέχνης, quis iam non potest subodorari, suauissimos & saluberrimos fructus: vel ex istarum (dico) duarũ tantum literarum enascentes Mysterio? quorum aliquos quasi in speculo videndos, propius aliquantulum ex nostris Hesperidum Hortis) adducemus: nihil, extra nostrã Monadẽ, in medium ferentes. Ipsa enim quæ in Alpha apparet recta linea, omologa illi est, ex postremæ Anatomiæ, crucis parte ea quæ litera M, notatur: reliqua etiam, inde patere potest, vnde huc veniant.

Existens

	Exiftens ante Elementa.	Adam mortalis mafculus & femina.	Mortificans.	Adumbratus.	Natus in ftabulo.
	Elementaris œconomiæ.	Elemẽtalis Genealogię confummatio.	Crux.	Crux.	Holocauftũ in Cruce.
	Exiftens poft Elementa.	ADAM IMMORTALIS.	Viuificans.	Manifeftiffimus.	RexRegum vbique.
Conceptus fingulari in fluentia.	Potentiæ Semen	Creatio Hyles.	Matrimonium Terreftre.	Principiũ.	
Paffus & fepultus.	יהוה Virtus Denaria.	Depuratio Elemẽtalis.	Crucis. Martyrium.	Medium.	
Refurgens, propria virtute.	Gloriæ Triumph⁹.	Transformatio.	Matrimonium Diuinum.	Finis.	


His paucis, tales me fcio non ἀφορμὰς, folum, fed Apodixes dare illis, quibus igneus intus viget glifcitque vigor, & cæleftis origo: vt facile iam magno Democrito aurem præbeant; τὸ τῆς ψυχῆς præcedenti ἴαμα, καὶ παντὸς μόχθȣ λυτήριον κατασκευάσαι βȣλομένοις. non Μυθικὸν effe hoc Dogma, fed Μυστικὸν & Arcanum: vt & illi, qui afferuit, quod λόγῳ δημιȣργȣ̃ κόσμȣ μεθοδεύεται: ἵνα ὁ θεόφρων καὶ ὁ θεογενὴς ἄνθρωπος, διὰ τῆς ευρείας ἐργασίας, καὶ μυστικῶν λόγων μάθη.

THEOR. XXIII.

Symmetrias, iam, in noftræ Monadis conftructione Hieroglyphica,

glyphica, à nobis obſeruatas: & ab illis, qui in annulis, ſigillisve eandem geſtare, vel aliter habere, gratum erit, obſeruandas; accurate annotatas hic exhibemus. In nomine Ieſu Chriſti, pro nobis Cruci affixi cuius ſpiritus celeriter hæc per me ſcribentis, calamum rātum, eſſe me, & opto, & ſpero.) Ex Elementorum noſtra Cruce, omnes iſtas nunc petemus menſuras. Vel hac quidem (iuxta Propoſiti Argumenti Materiā) ratione: quod, ſub cælo Lunæ, quidquid ſuæ generationis capit exordium, vel ex Quatuor elementis eſt coagmentatum: vel elementaris ipſa quidem eſt Eſſentia: Idque modis varijs, non vulgariter cognitis Et quia in nulla re creata, elementa ipſa, in æquali ſunt proportione, vel virtute: arte tamen ad æqualitatem, in quibuſdam (vt Sophi norunt) rebus, reduci poſſunt: in Cruce noſtra, æquales & non æquales conſtituimus partes. Quod, alia ratione, idem & diuerſum: ſiue vnum & plura, nominare poſſumus. Crucis æquilateræ, (vt ſupra monuimus) in ſecreto, admittentes proprietatē. At, ſi Symmetriarum hic poſitarū, rationes (quas tenemus) ſingulas, in medium adduceremus; vel aliter, q̄ (ſapientibus) abunde ſatis, per totum fecimus opuſculum, demonſtraremus cauſas; propoſiti noſtri, limites, nobis, haud temere præſcriptos, transiliremus.

Acceptio, in plano, puncto aliquo; veluti A: per idem, vtrinque ducatur recta ſatis longa: quæ ſit C, A, K. & ſuper lineā K, C, à puncto A, erigatur perpendicularis: vtrinq;, ad ſufficientē producta longitudinē (in infinitū, ſolent dicere Geometræ; bene, incommoda præcauentes) quæ admittatur eſſe D A E. Iam in A K; accipiatur punctum, vbi libet; & ſit B. habita primū nunc A, B, (noſtri ſcilicet opis cōmuni menſura) huius, tripla capiatur, ab A verſus C: & ponatur eſſe A C. Ipſius A B, dupla fiat A E. Et dupla ipſius A B, ſit A D. Ita quod tota D E, ſit ipſius A B, quadrupla. Sic ergo noſtrā Crucē elementalē confecimus. Ex A B, A C, A D, & A E. Linearum ſcilicet quaternario. Nunc, ex B K, reſecetur recta, æqualis ipſi A D: & ſit B I. Centro I, & Interuallo I B, deſcribatur circulus; qui ſit




B R: ſe-

B R:secans rectam A K in puncto R. à puncto R, versus K, rescindatur recta æqualis ipsi A B; & sit R K.ad punctũ K, educatur vtrinque, ad angulos rectos, cum ipsa A K) sufficientis longitudinis linea recta: quę sit P,K F. ab ipso K, puncto, versus F, resecetur recta, ipsi A D æqualis: & sit K, F. centro deinde K, & interuallo K F: describatur semicirculus F,L,P, ita ꝙ F,K,P, sit eiusdẽ Diameter. Tandem ad punctũ C, ipsi rectæ A, C, ducatur perpendicularis, vtrinq;, ad longitudinẽ sufficientẽ extensa: & sit O,C,Q. Postea, ex linea C,O,& ad punctũ,C, accipiatur recta, æqualis A,B. lineæ: Et sit C, M. centro M. & interstitio M,C, describatur semicirculus C,H,O, cuius Diameter sit C,M,O. Et simili deniq; ratione, ex C, Q, recta, & ad punctum C, resecetur linea æqualis ipsi A,B: & sit C,N. centro igitur N, & longitudine N,C, fiat semicirculus, C,G, Q cuius, C N Q sit Diameter. Iam asserimus requisitas omnes, in nostra Monade, Symmetrias, explicatas, descriptasque esse.

Monere tamẽ Mechanicũ libet: C,K, totã lineam, nouẽ esse taliũ partium, qualiũ, nostra Fundamẽtalis, A B, vna est. Vnde alia via, ille ad hoc idẽ opus absoluendum accedere potest. Deinde Diametros, semidiametrosq; omnes, obscuris hic (vt loquuntur Mechanici) lineis designari debere. Nec vllũ visibile relinquendũ Centrũ: excepto centro solari: ꝙ, hic, litera I, notatum videt. Literasq; adiungendas nullas, tum ad ornatũ, (non necessitatẽ aliquã Mysticã à nobis ea ratione, iam considerandã) peripheriæ solari, latitudinẽ superficialẽ (intrinsecus parallelo vno descripto) Mechanicus adijcere potest. Parallelorũ vero distantia, per quartã quintamve partẽ, A, B, vel circiter, fieri potest. Lunari autẽ, illam tribuere speciẽ, qua solet prima, post suã cũ sole cõiunctionẽ, in cælo apparere: videlicet corniculata admodũ. Quod fiet, si à K puncto, versus R, accipiatur illa (q̃ diximus) quarta, quintaue pars lineæ A, B. & super eius lineæ fine, tanq̃ centro, semidiametro vero lunari, trahatur ista secunda peripheriæ pars, ad vtrunq; prioris semicirculi contactũ nitidũ. Simile quid ad M, & N, puncta, fieri potest: erectis ibi perpendicularibus: in quibus pars, ipsius A B, sexta, vel minor accipiatur: vbi, facto centro, prioribus autem M, C, & N, C, semidiametris, ducantur extrinsecus, illi secundi, quasi semicirculi. Per ipsas denique, nostræ crucis rectas, vtrimque possunt parallelæ protrahi, à medijs per octauam, vel decimam partem ipsius A, B, distantes: Ita vt nostra Crux,


ex



ex quatuor ſuperperficiebus quaſi linearibus,ea ratione conficiatur: quarũ latitudo, ſit quarta vel quinta pars ipſius A B,rectæ.Hęc ornaméta,appoſita figura, volui aliquo modo adumbrare:q̃ omnia, vnusquisq;, pro ſui animi ſententia, facere poteſt:modo interea, noſtris Myſticis Symmetrijs, nulla(vel minima)inferatur iniuria:ne ea quidẽ negligentia, temporis tandẽ progreſſu,verarũ iſtarum (& maximẽ neceſſariarum) commenſurationum Hieroglyphicarum perturbetur, pereatve diſciplina noua: longe amplior maiorque quam hoc libello, eandem vel potuimus, vel voluimus quidem explicare.Vt temporis filia,Dei nutu,docebit Veritas.

At,quæ cuivis eſſe obuia poſſunt, in iſtis noſtræ Monadis ſymmetrijs ſe exercenti,Methodice iam quædã,ob oculos ponemus.Primum quidem ordientes,à noſtræ Crucis linearum Quaternario : eo habito reſpectu,quo, Quatuor eſſe lineas, ſimpliciter enunciare,quis poteſt.Deinde de earundem linearum Quaternario prout peculiarem,Myſticamque, alio modo habent partitionem,& rationẽ. Tertio,numeris, quos vel iſto loco,vel ex alijs,per totum libellum,theorijs,artificioſe elicuimus,vtilia quædã à Deo in natura, eſſe deſtinata officia, nõnullis monſtrabimus exemplis: aliaque opportunis inſeremus locis:quæ fructum haud exiguum ferent, probe intellecta:hæcque breuiſſime abſoluemus.

QVATERNARII PYTHAGORICI.



Omnis poſſibilis Metatheſis,24.


Summa Pythagorica, 10.

Omnimoda partium additio,dat. 30.

Noster Matatheseos Canon.

NAturali ordine, à prima Monade, descriptis quoteũq, numeris: si à primo ad vltimum, fiat cõtinuata mulipliatio: vt, primi in secundum: producti in tertium: illiusq; producti in Quartum: similiq; modo ad vltimum: productum vltimũ, omnem possibilem Metathesim in illis tot locis, determinat. Pariq; ratione, in quibuscumque, tot diuersis rebus: hanc ego operationem, tibi (ô Rex) plurimum cõmendo: tum in omni naturæ examinatione, tum in alijs Reipu. negotijs vtilissimã. hac ego in Hebræorum Tziruph (siue Thmura) cum maxima voluptate, vti soleo.

QVATERNARII ARTIFICIALIS.



Continuata multiplicatio, — dat — 12.

Simplex, additio — dat 8. { 1. 7.

Onimodæ partium additionis, summa { 4. 3. ——— est ——— 24.

Omni possibili Metathesi quaternarij, æqualis: quæ auri physicã 24. Karat. determinat sanitatem, & bonitatem summam. Supra terrã dum habetur p se.

NOn sum equidem nescius, perplures alios, ex Quaternarij, Aritmethica virtute, & Formalitate, in lucem adferri potuisse numeros. Sed qui istis, naturæ euolui, illustrariq; obscuritatem magnam, non deprehenderit: maiori eorum multitudine, obtundi suum, non acui sentiret ingenium. Nostris ergo numeris (vt sumus polliciti) quantum insit auctoritatis, in Elementis Ponderandis, in Temporum Mensuris definiendis, deniq; in rerum potestati & virtuti, certis præscribendis Gradibus, ex sequentib. id perpendendũ exhibemus schematibus.

Numeri nostri hanc habent dignitatem: Vt illorum violare leges, peccatum sit contra naturæ sapientiam: quæ eisdem nos docere velit, (in Mysteriis suis maximis examinandis) quibus certis limitibus statisque illi, deuinciantur.

Ista

- *Virtus*
  - *Agens: externa*
    - 10. 20. 30. 40. — *Gradu.*
  - *Acquisita, interna.*
    - *Denaria id est,* 1.10.100.
    - *Infinita.*
- *Pondera*
  - *Analytica*
    - 4.
    - 3.
  - *Synthetica:* κτ'
    - ὑπολόγους
    - προλόγους
    - 13, 12, 8, 7, 6, 5, 4, 3, 2, 1 (7, 6, 5 — 24. 25.)
- *Tempora*
  - *Particularia*
    - *Trap. Putri. Sepa.*
    - *Coni. Coag. Contri.*
    - *Imb.*
  - *Magistralia*
    - *Lap.* / *Ferm.* — 252.

Antiquo-

Antiquorum ænigma, Decuplæ Proportionis, explicatũ.

OCTONARIVS nostræ CRVCIS

1	2	3	4
Terræ Pugillus	Aquæ	Aëris	Horizon Ignis
1.	10.	100.	Temporis 1000.

5	6	7	8

METHAMORPHOSIS CONSVMMATA.

HORIZON ÆTERNITATIS

REGNVM
Corporis : Spiritus : Animæ.

1	2		3
Tenebræ	Serenitas Cryſtallina	Citrinitas	Anthrax
	12. 13.		24. 25.

QVATERNARIVS: quo Numeratio, MONAS noſtra SABBATIZAT: ARTIS NATVRÆQVE vltimam nacta POTESTATEM.

TERRESTRIS ÆTHEREVS SVPERCÆLESTIS

CÆLESTIS.

SIC FACTVS EST MVNDVS

EX iſtis Schematibus, plura elici poſſunt:(ſi penitius conſiderentur) quam apertis par eſt proferre verbis. Hoc tamen præ ceteris momemus ſingulare vnum , (à nobis etiam Primis vna cum tota hac noua euulgatum arte) Ratione hic in medio eſſe poſitã, ob quam, Quaternarius, vel Denarius, Numerationibus finẽ imponit quendam:eamq; cauſam quã attulere Maiores noſtri , non fuiſſe abſolutam exactamque aſſerimus: ſed iſtam quam nunc narrabimus.



Poſtquam iſta Monas, eſt ſibi integre , pleneque Phyſiceq; Reſtituta , (tum quidem eſt Mõnas, Vniſſima, Magorumque iudicata Vnitas) neq; in Naturæ , neque vllius Artis eſt poteſtate , Eandem Sæpius Quam Quater , per Supercæleſtes Reuolutiones,ad Progreſſum vllum,Motumve faciendum impellere :  (Ac inde progignitur Ille,quem nos ob eminentiam ſuam, ſic notari volumus,) Idque ea de cauſa, quod nec in Elementali mundo , nec Cæleſti, nec Supercæleſti, ſit aliqua Poteſtas, Creata influentialis: Qua, tunc, non fuerit abſolutiſſime Ditata & Dotata.

Cuius, hunc verum Effectum, Quatuor ſimul(olim) Philoſophantes Clariſſimi Viri, Opere ſunt cõſecuti: Vnde,diu, Maximo Rei Miraculo Attoniti, Tandem ad Dei Opt. Max. Canendas, prædicandasq; Laudes, ſe totos , deinceps cõuertebant: Qui, ea ratione, illis, tantam Sapientiam , & ſuper Creaturas ceteras, Potentiam , Imperiumq; fuiſſet Largitus ampliſſimum.

THEOR. XXIV.


VT, noſtrum huius Libelli Exordium , à Puncto , Recta, Circuloq; Cœpimus: Sicq; ex noſtro Monadico Puncto, Linearem noſtrorũ Elementorum Effluxionẽ Extremam, in Circulum Circũduximus, Analogum fere , ipſi Æquinoctiali, qui Horis 24. ſuam Conficit Circuitionem : Ita, nunc tãdem, Quaternarij omnimodam Metatheſim; (Numero definitam,24.) Metamorphoſimq; hac noſtra Vigeſima Quarta Conſummabimus , Terminabimusque Theoria : Ad Honorem, Gloriamq; eius : Qui, (Teſte , Myſteriorum Diuinorũ Archipræſule , Ioanne: in Quarti Apocalypſeos Capitis , parte Quarta Vltimaque) in Throno Sedet: In Cuius Me-

Medio Circuituq; , Animalia Quatuor (singula Alas Sex habentia) Sine requie, Die ac Nocte, dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens: Qui Erat: &, Qui Est: & Qui venturus Est: Quem etiam, ex 24. Sedilibus, in Circuitu positis, Seniores 24. procidentes (Aureis suis Abiectis Coronis) adorant; dicentes: Dignus es Domine accipere Gloriam & Honorem, & Virtutē: Quia, Tu, Creasti omnia: Et propter Voluntatē Tuam Sunt: & Creata Sunt. Amen. 4. 5.

Dicit
Litera Quarta,
Δ.

Cui, DEVS, *Voluntatem Habilitatemque dedit, Diuinum hoc Mysterium, æternis Sic consignare Literarum Monimentis: Laboresq; hosce Suos, placidissime absoluere, Ianuarij 25. die eiusdem 13. Inchoatos:*

Anno 1564. Antvverpiæ.



Vulgaris, Hîc, Oculus
CALIGABIT, DIFFIDETQVE
plurimum.

LAVRENTII VENTVRÆ VENETI, ARTIVM ET MEDICINÆ D.OCT. DE RATIONE conficiendi Lapidis philosophici, Liber.

QVOD ARS ALCHEMIÆ est vera.

CAPVT I.

MVLTI opinantur, artem Alchemiæ non esse artem veram: ad quod mouentur duobus fundamentis. Primo, quoniam dicit Aristoteles in libro 4. Meteoror. Sciant artifices Alchemiæ, species metallorum transmutari non posse. Secundò, quia vident omnes laborantes in hac arte, non nisi sophisticas facere transmutationes, & neminem veras: quapropter existimant & credunt, quod cum à nullo fieri vident, verè & realiter à nullo quoq; fieri posse. Sed neutrum horum fundamẽtorum cogit artem hanc pretiosissimam & excellentissimam non esse veram. Non valet etenim primum aduersariorum fundamentum: quoniam bene verum est, vt dicit philosophus Alphidius, ac Rosarius maior; Quod species rerum non transmutantur, sed bene indiuidua quarundam specierum ad inuicem transmutari possunt. Et patet hoc ad oculum, præsertim in his quæ habent symbolum ad inuicem in vna vel in duabus qualitatibus, vt constat in elementis, & sic ex terra fit lapis, & ex ligno cinis, & ex cinere & lapidibus vitrum, &c. Sic quoque accidit in metallis: quoniam omnia metalla communicant in vna materia, quæ est argentum viuum cum suo sulphure. Et solum differunt metalla per maiorem vel per minorem digestionem, quæ fit per sulphuris sui maturationem, mediante decoctione. Est enim sulphur forma metallorum, & præsertim auri: non quidem sulphur vulgi, sed alteratum, vt dicit magister Bonus philosophus. Ex his dictis colligitur, quod si per artem potest fieri medicina, quæ habeat in se virtutem & proprietatem prædicti sulphuris mineralis alterati, talis medicina ab arte facta, poterit

rit metalla imperfecta, & argentum viuum ad perfectorum naturam transformare. Propter quod Ioannes Scotus & multi alij philosophi dicunt, & concedunt esse verum, quod metalla transmutari non possunt quocunque modo vel ingenio, nisi prius reducantur ad suam primam materiam. Prima autem materia omnium metallorum est argentum viuum & sulphur, non quidem in natura sua, sed alterata, id est conuersa in vaporem. Et sic prima materia metallorum est vapor humidus vnctuosus, vtriusque naturam, sc. sulphuris & argenti viui in se continens. Ex his ergo necessario sequitur, quod si per artem potest extrahi huiusmodi vapor vnctuosus ex his rebus in quibus est, & reperitur consimilis illi, qui in mineris terræ generat metalla, poterit confici medicina, quæ simplicia corpora imperfecta, & supra argentum viuum proiecta perducat in verum & perfectum corpus metallicum longius perfectum omni naturali. Sed sciendum est, quod hæc medicina ex quibusdam facilius & vberius, ex alijs vero difficilius ac imperfectius extrahitur, siue sint ipsa metalla, siue aliæ quælibet res. Sed hoc fieri non potest, nisi tales res prius per putrefactionem corrumpantur, & per debitam decoctionem ac longam digestionem, aliam nobioliorem formam acquirant.

Secũdum etiam fundamentum, quo argumentantur contra, non cogit, & ratio nostra est, vt inquit Geber in sua Summa magnæ perfectionis Cap. XI. in quo pertractat confutationem rationum, artem simpliciter negantium, & est; quoniã aduersario in suo arguendi modo non cadit necessitas, quo quis ad pauca respiciens, coartatur credere arte hãc non esse veram: quia à simili, vel à maiori ad minus, suam corroborat phantasiam & errorẽ, in quibus non continetur necessitas, sed tantum contingentia vt in pluribus. Amplius, certum est nostris temporibus, quod paucissimi reperiuntur philosophi, qui secreta naturæ cognoscant, imo illa quærere & cognoscere negligunt. Et ideo debitis operationibus res imperfectas meliorare & perficere nesciunt: & plerumque ignorant aptas ab ineptis, propinquas à remotis discernere. Et propter hoc multi deuiant & desipiunt. Veteres autẽ philosophi altioris erant ingenij, & in operando studiosiores. Nã, vt ait Ludouicus Lazarelli: Philosophi propter cognoscenda profunda secreta naturæ, ausi sunt aliquoties antra

ſubire,& in ſiluis ac montibus commorari,vt ſolerti ingenio ſcrutarentur ſydera, quas vires habeant, & quæ loca terræ ſint apta metallis, quæ materiæ, & quod diſcrimen in illis. Et ideo ad ipſorum vtilitatem,& ſuorum filiorum, hoc diuinum magiſterium per ipſorum longam inueſtigationem inuẽtum fuit, quia ſolum philoſophi & eorum filij intelligunt vim naturæ, & eius diſpoſitionem non ignorant. Cum ergo multi & magni philoſophi aſſerant,hanc artem trãſmutatoriam poſſe fieri, ac plures libros in ſcriptis poſt ſe reliquerint, iniquum eſt, & ſtultum, negare ipſam artem non eſſe veram, etiamſi vlla ratio, aut experiencia non atteſtetur, & comprobet. Propterea bene dixit Morienus, quod multa diſtantia eſt inter ſapientem & inſipientẽ,& inter cæcum & videntẽ,& idem eſt iudicium inter male operantem & neſcientem. Concluditur ergo ex his,quod hæc ars eſt vera.

QVOD NON OMNES QVI CREDVNT ARtem veram eſſe, ſciunt ea uti, & ſecundum eam operari.

CAP. II.

SVnt vero qui credunt firmiter, hanc artem nobiliſſimam veram eſſe, ſed vtrum vera ſit experiendo non attentauerunt,nec probare ſciunt.Credit quidam eorum qualitercunque debilis, & probabiliter veritati conſentit & adhæret, aut multitudine dictorũ, aut magnitudine auctorũ,ſed conuictus pugnæ cedit.Eſt autem vna res,quæ omnes ad credendum facile trahit, ſcilicet habendi cupiditas, & voluptatum auiditas. Sola enim voluptas, cupidos maxime facit.Dicit enim idem Ludouicus Lazarelli philoſophus: Homines terrenis delicijs dediti, ante omnia terrenas delicias optant, & ad eas comparandas nihil operis vel laboris prætermittunt iuxta illud Vergilij vatis eximij:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames.

Quia ergo homines vniuerſi quærunt delicias, & vt quantum poſſunt bene beateque viuere valeant, omnes fere huius mundi deliciæ,maxime per diuitias haberi poſſunt,iuxta illud commune adagium, Pecuniæ obediunt omnia:& philoſophus in V.Ethic dicit.Ad hoc nummus inuentus eſt,vt ſit

qua-

quaſi fidei iuſſor habendi pro eo, quodcunque homo voluerit. Maximæ autem diuitiæ per huius artis magiſterium pollicentur, vt pote verum aurum & verum argentum, & vtrũque multum ſine magno labore, ex quibus nummi figurentur, per quos omnia habeantur: idcirco homines ſcientes & non ſcientes facile credunt, & probando affectant ac probãdo acquirere tentãt. Sunt tñ pauci qui laborando artis veritatem attingunt, cuius rei ante præcipua expoſita eſt cauſa, ſcilicet ſecretorum ignorantia, & ſtudendi negligentia. Eſt quoque huius ſpecialis ratio duplex: prima metaphorica locutio. Dicit Auicenna: Conſideraui libros affirmantium artem, & inueni eos vacuos rationibus, vel ratiocinationibus, quæ ſunt apud omnem artem, & reperi plurimum eius quod in eis continetur, alienationi ſimile, id eſt metaphoræ ſeu ſimilitudines: ſed cum ego me reduxi ad principia naturalia, cognoui tunc artem veram eſſe. Secunda eſt falſorum cum veris commixtio: vnde Arnaldus ait in ſuo teſtamento: philoſophi duplicem modum in eorum libris poſuerunt. Vnum verum & alium falſum: verum autem per verba obſcura, vt niſi à filijs doctrinæ poſſent intelligi, ne impijs ſcilicet, via agendi profana daretur, falſum vero ſub verbis intelligentibus poſuerunt. Et hunc communiter ſequuntur operantes in Mercurio, Sulphure, Arſenico, & etiam in ipſis corporibus, & nihil inuenerunt. Sunt igitur plurimi, qui in hac arte laborant in vanum: quia nec proprio ingenio poſſunt inuenire opportuna, nec ex aliorum ſententijs veram intelligere & extrahere queunt. Aut enim peccant in debita materia, aut in inconuenienti operatione. Quare conſulendum eſt talibus, vt aut ab operando manus ſuas ſuſpendant, aut libros diligentius legant, & lecta plenius intelligere ſtudeant, vnde in libro Saturni dicitur: philoſophi nõ ſcripſerunt libros ſuos, niſi filijs eorum, & filios eorum voco, qui perfecte intelligunt dicta eorum, & non ſecundum literam. Nam operatio ſecundum intentionem literæ, eſt diſſipatio diuitiarum, & temporis perditio.

(*⁎*)

QVOD PRIMVM FVNDAMENTVM HVius artis, est cognoscere proprietates medicinæ.

CAP. III.

Finis huius artis est producere medicinam, quæ omnia metalla imperfecta, & argentum viuum conuertat in verum aurum & argentum ita bonum in omnibus suis proprietatibus, sicut est illud quod natura producit. Aurum enim est finis vltimus naturæ & artis, in generatione metallorum. Elixir vero est finis propinquissimus ad aurum: quia est in potentia propinquissima. Aurum enim est forma auri, conuertens omnia metalla in aurũ, vt dicit magister Bonus in Cap. 4. Talis autẽ medicina oportet quod sit perfectiss. sicut etiam forma auri perfectissima est inter omnes formas metallorum, quæ est vltima forma ad quam tendit natura, & terminus vltra quem natura transire non potest in metallis: in auro quippe est status. Perfectissima autem erit, si non solũ corpora imperfecta transmutet, de vna forma ad aliam optimam, reducendo ipsa corpora in materiam suam primam, sed etiam ipsum argentum viuum subito ante illius fugam coagulet, & in igne conseruet, & conuertat illud in momento in Solificum verum, vt dicit Geber in Capite de Medicinis secundi ordinis. Vnde eadem medicina quæ perficit metalla imperfecta etiam coagulat, & perficit argentũ viuum in Solem vel Lunam: Quia solum vna est medicina, quæ totum hoc perficit: vnde nisi medicina sit talis, quod corpus liquefactum in momento denudet à forma prima sub qua erat, & remoueat omnes imperfectiones, & similiter reducat ad vltimam simplicitatem materiæ primæ, & in eodem momento inducat aliam nouam formã, scilicet Auri, nondum est perfecta, qualem ars quærit. Similiter si argentum in ortu suo subito non coaguletur, cum illa forma sua euolaret, & fugeret cum ea simul. Ex qua re colligitur, quod componentia metalla, scilicet sulphur & argentum viuum, non permanent sub illa forma sub qua erant in prima mixtione sua, sed agunt & patiuntur ad inuicem continue, quousque ex ipsis generetur forma metalli. Et primo quidem generatur forma metalli imperfecti, in quo sulphur, quod est agens, nondum est separatum plene à suo materia,

quę

quæ est argentum viuum: quod ostendit eorundem metallorum fęculētia & adustibilitas. Quod si digestio continuetur vsque ad vltimum, quousque scilicet agens totaliter separetur à materia, tunc generatur noua forma, quæ est forma auri, & est vltima & perfectissima, & à natura principaliter intenta. Et hæc mineralia composita sunt ex suis elementis. Imo elementis in determinatis quantitatibus, & mensuris, naturę quidem notis, nobis autem omnino ignotis, simul à principio mixtis in loco vno minerali, in quo virtus cælestis conseruatur. Vnde natura permiscet prædicta duo principia ab exordio in certis mensuris & ponderibus cum sorditie & inquinamento in mineris suis. Ipsa vero deinceps agunt ad inuicem, & patiuntur simul digerendo, quousque in fine digestionis pars pura & digesta à suis inquinamentis ac sordibus separetur, & tunc perficitur in metallum. Et quanto digestio perfectior est, tanto metallum minus impuritatis habet. Quando ergo digestio est completa, tumc forma agens, quę est sulphur, totaliter separatur à materia argenti viui: quia à principio sulphur extrinsecum est argento viuo & naturę contrarium: & ideo insubstantia eius non transit vt materia, sed tantum agit in ipsum argentū viuum, sicut in rem aptā ad patiendū, & sic alteratū alterat digerendo, & purū ab impuro separat: sicq; post longā digestionem, sua virtute disponit materiā ad simplicitatē nobilissimā: & tandē de potentia materiæ educit formā, quæ eandē in alia specie cōstituit, quā pri⁹ fuit. Quapropter ipsa quoq; metalli forma, & præsertim auri, iā sulphur dici non potest: quibus quāuis substātia sit in quantū compositi substātialis principalis pars est, tamē materia sua appellari non debet: quia non idē esse habet in cōposito, ꝙ extra habuit, ꝙ ostendit virtus: quia quāuis in parte sit similis, &c. eadē tamē lōge est alterius naturę, quia excellentioris virtutis & disparatę, vel disseparatę. Vnde ęquivoce dicitur sulphur, ꝙ est in corpore ꝑfecto, & nunquā corpori vnitur. Cū etiā diuersificentur sulphura in duobus corporibus imperfectis, quę vtiq; differunt specie, sed nō nisi per formas substantiales: & ideo corp⁹ in quo taliter materia & forma vniūtur vtriusq; nomine, non incongrue quādoq; ex ea nuncupantur, vnū tamen ꝓprium nomen & cōmune retinent, ꝙ vtrumq; cōplectitur. Ex quibus manifeste deprehēditur, ꝙ materia ꝓxima metal-

tallorũ est argentum viuũ & sulphur nõ in sua materia: quia sunt mineræ distinctæ, & vbi illæ reperiũtur, nõ reperiuntur metalla, sed in natura alterata & alterante. Proxima .n. materia metallorũ, vt superius dictum est, vapor est vnctuosus humidus, ex vtroq; principio causatus. Oportet .n. vno eodẽque tempore ex ambobus spiritibus vapores eleuari, & sibi occurrere, & in vno loco, quẽ natura præparauit cõmisceri, & soliditate loci conseruari. Nisi .n. locus ille esset solidus, exhalarent. Sed frigiditas loci ipsos iam cõmixtos cõdensat & cõfortat. Sic fit, vt ad se inuicẽ agere, ac pati incipiant, & alterare se mutuo, & digerere subtiliando & impura separãdo, quousque in metalli naturã simul vertantur. Hoc autem fieri minime potest sine calore vẽtris terræ cooperãte & mouẽte. Qui vtiq; calor causatur a motu, & à lumine cælestium corporũ, & per eũ virtus eorundẽ locis mineralibus, ipsisque mineris imprimitur: per quem generatio metallorũ diuersimode cõpletur. Hi ergo vapores proxima sunt metallorum elementa, & ideo metalla in ipsa resolui possunt, tam per naturã, quam per artẽ, sicut ex ipsis sunt genita. Et hæc elemẽta differunt ab elementis mũdi, quę ex illis sunt cõposita. Hæc omnia sunt de intentione philosophorũ: & hoc modo intelligitur dictum Aristotelis in 4. Meteororũ, ꝙ species metallorum transmutari non possunt ad inuicem nisi reducantur ad suam primam materiam. Materia ergo prima intelligitur materia ab omni forma denudata. Non igitur noua forma introducitur nisi prius corrumpatur, & in generatione rerũ est processus de prima forma ad vltimã per multas formas medias. Ergo & in corruptione: quia generatio vnius est corruptio alterius. Et sic metalla reducuntur ad primã materiã, quando rediguntur ad illã primã simplicitatem, quã habuerunt elementa eorũ in prima cõpositione: in qua certe fuerunt spiritus & vapores per naturã perfectibiles ad cõpositi formam. Hæc omnia in perfectione medicinæ considerare oportet. Oportet enim medicinã ex his rebus fieri, quæ metallis maxime conueniunt, & amicabilia sint ipsis quoque metallorum principijs, virtute, natura & ratione similia. Ars quippe, vt dicit magister Bonus, ex ijsdem principijs, aut omnino similibus generat medicinam, ex quibus natura generat metalla. Oportet etiam hanc rem ex qua medicina elicitur, esse ex suis elemẽtis in debito numero, põdere & mẽ-

sura,

ſura, à natura etiam cōpoſitam tali proportione, vt naturæ metallorum maxime ſit conformis, & optime cōplexionata: ſimiliter eſt nunc eadē res à natura compoſita: quia ars proportionem actiuorū & paſſiuorum neſcit: aut male ſcit cōponere vtramque naturam, ſcilicet agentis & patientis bene proportionatorum, vt mutua actione & paſſione alterentur, & ad aliam formam diſponantur: quarum vna obtineat locum ſulphuris & maſculi, altera locum argēti viui, ſeu feminæ. Medicina enim, vt dicit Magiſter Bonus in tertio capite, medium locū tenet inter ſulphur & argentū viuum cū debita proportione commixta: quia ſunt principia metallorū. Hoc modo & aurū qui eſt vltimus finis & perfectiſs. à natura intentat: & ideo medicina habere debet vniformē naturā cū vtroq; extremo, tenens proprietatē & virtutē ſulphuris & argenti viui ſimul, & perficiens metalla imperfecta in verū aurum. Sed vtiq; materia iſta, ex qua fieri debet elixir & tinctura philoſophorū, a principio per ſuam naturā metalla tingere in aurū non poteſt, ſicut nec aliqua res in mūdo manēs in ſua natura: quia natura talē materiā nunquam præparauit. Et ideo neceſſe eſt illā amplius digerere per virtutem ſulphuris agētis & tranſmutātis de ſua propria forma in aliā nobiliorē formā, quę eſt forma auri. Et ſolu. n. ſulphur habet potentiā & virtutē digerendi, ac tingēdi materiā ſuā, & non alienā: vnde non poteſt res tranſire de forma ad formā, niſi denudetur per alterationes congruas à prima forma ſub qua erat Et ſic quando elixir perficitur forma ſua, debet primo materia eius ſpoliari ab omnibus accidentibus prioris formæ, & ad vltimā ſimplicitatem reduci per operationes conuenientes, & tandem noua forma in momento indui, quæ conſtituat elixir, habens potentiam informandi omnia metalla. Quare elixir non erit eadem res, quæ prius erat, nec ad ſuarum partium, ſed multo excellentioris naturæ & virtutis, quā ante. Eſt enim elixir non ſolū qualitas, ſed etiam ſubſtantia: & ideo iunctum metallis, ſubito mutat ea in aliā ſpeciē & naturā. Et ſimiliter etiā hæc res perfici non poteſt, niſi in loco apto & cum calore extrinſeco mouēte, qui ingenio artificis adminiſtrādus eſt recte. Sed de his poſterius ſuo loco dicendum erit. Sic ergo medicina iſta fieri oportet ex his rebus, quæ metallorum naturæ conueniunt: nec fieri poteſt ſine commixtione rei tingentis albæ, vel rubeæ intenſæ,

ſæ, nec ſine diuturnitate, & laboris inſtantia: qua omnis illius ſubſtantia, & puriſſima, alba quidem in luna, citrina vero intenſa in ſole perficitur. Et cum hac abſoluitur huius operis myſterium in medicinam, quæ argento viuo maxime adhæret & illud coagulat, ac conuertit in ſolificum vel lunificum. Ex hoc manifeſte relinquitur, vt dicit Geber, ex quocunq; eliciatur hęc medicina, oportet ipſam eſſe primo ſubtiliſſimę & puriſſimę ſubſtantiæ ex natura ſua illi adhærentis: ſecundo habere perfacilem liquefactionis remiſſionem ad modum cerę: tertio fixam eſſe ſuper ignis pugnam. Sunt ergo quinque conditiones, quas medicina habere debet, vt colligitur ex verbis Geberis.

Prima eſt vt facile fundatur, & in profundo corporis alterandi, hoc eſt, per minima ſubito miſceatur, ipſum perfecte & complete alterando.

Secunda eſt, vt illuſtret cū fulgore ſplendēte in albū vel citrinū. Hęc autē duo non faceret medicina, niſi ſubtiliaretur valde cum præparatione certa & determinata: & niſi fulgidiſſima, ſeu fulgentiſſima ex illo ſubſtātia eliceretur cū modo ſuæ ſeparationis. Sic enim in fuſione ſeparat omnem terreſtreitatem, ſulphureitatem, & immunditiam de cōmixto.

Tertia determinatam fuſionem lunarem vel ſolarem adducat, quod non faceret, niſi res tingens in perfectum albū vel rubeum, ei miſceretur.

Quarta quod ſit fixa, ita quod ſequatur perpetua alteratio & immutabilis: quia non permaneret eius impreſſio, niſi figeretur.

Quinta quod cauſet pondus debitum metallo, & per cōſequens, omnes proprietates naturales, quas habet aurum optimum, vel argentum puriſſimum ex natura ſuæ mineræ æque perfectas, aut etiam perfectiores.

Cauſa ponderis magni eſt denſitas, quando ſcilicet partes ſunt denſæ, nullo alio intercedēte: ſubtilitas enim & vniformitas in ſubſtātia & eſſentia corporum condenſat & conſolidat, ac pondus auget: propter quod aurū omnibus metallis eſt ſolidius & ponderoſius. Quanto autem maioris pōderis ſunt metalla, & ſubtilioris ſubſtantię, tanto etiam ſunt maioris perfectionis: & ideo aurum eſt precioſius cęteris omnibus metallis. Hęc autem ſunt quę oportet pręcognoſcere, volentem recte de arte ſpeculari & practicare.

QVOD

QVOD PHILOSOPHIS TANTVM DATVM est noscere & facere hanc medicinam.

CAP. IV.

QVia vero superius notificatũ est, Philosophos hanc artem habuisse, quia omnes adserunt Lapidem Philosophorum, & de eo miranda canunt scribendo: vidẽdum est, vtrum habuerint ipsam proprio ingenio, an diuino adminiculo. Pro quo sciendum, quod duo sunt, quæ grauia & difficilia ad inueniendũ, scilicet materia ex qua generatur Elixir & eius regimen. In tanta enim rerũ multitudine difficile fuit cognoscere, quæ res sit aptior huic operi, & naturæ metallorũ ꝓpinquior. Multo autẽ difficilius est cognoscere & scire, qui sit modus agendi efficacior: sicut etiam difficiliꝰ fuit cognoscere, quę metalla, & ex quibus principijs generatur, quã quo ordine, & quomodo perficiuntur: & tñ vtrũque sua industria & inuestigatione inuenerunt. De primo dicit magister Bonus philosophus Cap. vj. Cognitio causę materialis nõ est modicũ munus introeuntibus artem istam. Hæc enim est, q̃ antiqui philosophi prius quęsiuerunt, vt in cognitionẽ causę formalis deuenirent. Quia omnis forma habet propriam materiã, ex qua extrahitur, sine cuiꝰ cognitione vacui erant à cognitione, & per consequens ab arte & operatione. Secũdo dicit magister Bonus ibidem: Philosophi ingeniati sunt subtilissimo ingenio & ꝓfundissimo intellectu cum operatione mirabili, sublimi & occulta per quandã digestionẽ cõgruam & appropriatã extrahere argentũ viuũ ex arsenico, ꝙ est omnino idẽ cum argento viuo vulgi, vt cũ seipso congeletur, sicut aurũ liquefactum, cũ seipso solo coagulatur ab intrinseco suo sulphure: habet .n. istud argentũ viuum ab intrinseco suo sulphur prędictum sibi substantiale & ꝓprium. Omne autem sulphur, aut sulphuris habens naturam, habet ꝓprietatem congelandi argentũ viuũ. Ex hoc habetur, ꝙ philosophi vtrunque habuerunt, scilicet certã & propriam materiã, & ipsius certũ magisterium: ex qua & per quod, lapidẽ philosophorũ, qui preciosior omniũ lapidũ est, veraciter composuerunt. Non tamen est dubium, quin cum maximis periculis, multis erroribꝰ, plurimis laboribus, multi eorum ad hoc secretum peruenerint, sicut Geber de se refert. De alijs quoque dicitur ab eodem: Voluerunt philosophi

phi quærentes hanc ſulphuris diuiſionem, quia dixerunt, arſenicũ ſulphur eſſe, vel cõparem ſulphuris, non autẽ argentũ viuum. Quia in manifeſto eſt ſulphur, in occulto vero argentum viuum, quando ſcilicet ſublimatur niuis albedine, deberent cum anxietate fatigare ſe, & laborare in inueſtigando & ratiocinando, & experiendo ſæpius in cognitione iſtius occultæ materiæ, quæ eſt in arſenico. Vnde philoſophi manifeſte poſuerunt arſenicum, ſiue auripigmentum materiam lapidis. Occultum dicitur, quod eſt in re, in potentia, & primo intellectu comprehenditur: Manifeſtum autem, quod primo ſenſu comprehenditur, & eſt actu in re ipſa. Vnde philoſophi, ſcilicet, Hermes, Geber, Auicenna, & Raſis dixerunt, habere naturam ſulphuris potius, quam argenti viui, quamuis argentum viuum valde ſuperet in eius compoſitione, occultando quantum potuerunt maximum ſecretum quod eſt in eo. Et ideo de natura argenti viui exiſtentis in ipſo, nihil manifeſte dixerunt, niſi procul & quaſi vilipendendo. Vnde Morienus, Auripigmentum conuertit æs in albedinem, licet aliquantulum æs corrumpat: quam corruptionem medicari ſapientis eſt. Arſenicum enim in manifeſto habet materiam ſulphuream, volatilem, aduſtiuam: in occulto vero, argenteam, albam fixam, ſub qua eſt rubedo aurea fixa. Cum ergo hoc argentum viuum fuerit ſpoliatum à ſuo ſulphure, habet naturam ſuam occultam in ſe ipſo. Et ideo ſapientes conati ſunt naturam argẽti viui occulti in arſenico cum ſuo occulto manifeſtare, & cum maximo ingenio ex eo ſuum ſulphur Elixir facere. Vnde dicit Raſis in libro perfecti magiſterij: Non ſufficit huius artis inquiſitori, & operatori, rerum tantum manifeſtas & apparentes cognoſcere naturas (nihil enim in arte proficeret, niſi earundem interiores & occultas abſque errore congnoſceret.) Sed verba hæc non ſunt intelligenda ſecundum ſuperficiem, ſed ſecundum ſignificata per ſimilitudinem. Et ideo concludit Magiſter Bonus, ſic natura in mineris metallorum generauit Auripigmentum, ex quo facit metalla: ſic natura inſerta arti generauit Arſenicum extra mineras metallorum: quod alterius natura in aliud non tranſmutat, vt ars accipiat ipſum & alteret, & tranſmutet ipſum in ſubſtantiam veram Elixir. Quod ſi natura hoc non feciſſet, ars Alchemię penit⁹ vana eſſet & inutilis. Quamuis ergo philoſophi

phi per suum ingenium, & laborem, & materiam ac operationem inuenerint, nihilominus tamen dicendum est, quod Deo reuelante vel inspirante vtrumque habuerunt. Quia Deus, qui est omnium rerum prima causa, creator, & gubernator, per suam sapientiam & bonitatem, diuersis hominibus diuersas tribuit gratias pro tempore & loco, secundum quod viderit expedire illis, quibus largitur. Quod non solum verum est de gratijs spiritualibus, quales habent pro fine salutem animæ & virtutes, sed etiam de temporalibus, quæ ad corpora ipsa, aut etiam res exteriores pertinent, quales sunt diuitiæ, honores, sanitas, fortitudo, & mechanicæ artes. Sed inter alias artes omnes, excellentior est hæc ars tamen propter philosophicam vtilitatem: quia philosophiæ propinquior est: tum propter operis facilitatem, quia non diu laborandũ, nec grauiter: tum propter fructuum immẽsitatem, quia innumera bona sequuntur. Hic etiam lapis inter omnes nobilior & mirabilior est, ideo non omnibus datur: quia meliora paucioribus cõueniunt. Non omnibus dico, vt noscant quid sit, & quomodo fiat: sed paucissimis datur qui norũt hæc vt faciãt. Quia De⁹ ordinat omnia, ne sibi vel alijs noceant. Si malis daretur, multũ nocere possent: si omnibus bonis, oẽs nõ bene vterentur tanto munere. Sicuti illi primi ac ꝓbi philosophi, qui ad cõmunem vtilitatem cõferebant: ideo merito acceperunt hoc donũ Dei, vt sibi sufficerent, & alijs benefacerent. Ideo dixit Calid (vt habetur in trãslatione Castrensis) Secretum Dei gloriosi maxime est soror philosophiæ. Inspiratum autem est à Deo prophetis suis, & certis electis, credẽtib. in eũm. Et Hermes iuxta principium: Huius autẽ artis scientiã ab vnius tantum Dei habes inspiratione. Et Morienus: Intẽtiò omnis hominis, hanc diuinam scientiam, quærentis, aliud arbitrari non debet, nisi donum Dei altissimi & magni, qui suis seruis eam ostendit: cuius nomen semper sit benedictũ. Itẽ Geber ait: Ars nostra in potẽtia Dei reseruatur, qui cui vult eam largitur & subtrahit. Et Parmenides in Turba: Hoc autẽ specialiter est, cui Deus posse tribuit. Et Balgus in Turba: Regimẽ eius mai⁹ est, quã ratione percipiatur, nisi ab inspiratione diuina detur: ꝓpter ꝙ dicũt omnes philosophi, quod est donum Dei: quia scienti illud & perficienti, & recipienti, Deus largitur & non subtrahit: Scienti vero & perficienti, & non recipienti, illud Deus largitur

gitur ac ſubtrahit: quia ab eius oculis euaneſcit, quod tunc retineri deberet. Item in libro Saturni: Multi habent lapidem noſtrum & cognoſcunt, ſed neſciunt eius virtutem. Et ſi ſcirent eius virtutem, nihil valeret, niſi etiam ſcirent operationem eius. Operatio autem non poteſt ſciri, niſi per maximum donũ Dei, vel per doctrinam peritiſſimi magiſtri: & totum id à voluntate diuina deriuatur.

QVOD PHILOSOPHI OCCVLTAVERVNT hunc lapidem & eius regimen.

CAP. V.

PHiloſophi occultauerunt hunc precioſum lapidem dupliciter. Primo de eo ſub allegoria loquentes: vnde Morienus in Caſtrenſi. Sunt libri de hac ſcientia ſub figura compoſiti: quorum pars maior obſcura multum: ac ſententijs connexa, vt non niſi à ſuis compoſitoribus poſſint intelligi: vnde ipſum multis nominibus nominauerunt: quæ tamen ſibi non conueniunt apud vulgares: ſuum aut propriũ nomen tacuerunt, quo apud vulgus nominatur. Quod ſi aliquando eum nominant ſuo proprio nomine, ſemper tamen aliquid addunt, vt ſc. intelligentes abſtrahat, ne cognoſcatur, vt dicit Lilium. Secundo varias operationes & pondera fingũt. Vnde dicitur in turba: Philoſophi multa ponũt, quorũ nihil faciunt. Faciunt autem hoc propter duas cauſas. Primo vt reddant artificẽ in operando intelligentẽ, & ſolicitũ & cautũ. Oportet .n. artificẽ qui eorũ libros legit, non ſolũ literę attendat, ſed rerum naturas cõſideret. Omnes quippe ſciunt, quod ſi metalla imperfecta debeant perfici, oportet ꝙ perficiantur à ſulphure & argento viuo: ſed nõ omnes ſciunt ꝙ eſt illud argentũ viuum, & quale. Et ideo multi ignorãter operãtur. Quare qui intromittit ſe huic operi, debet auctoritatibus & rationibus eſſe fulcitus, & caſualiter operari, vt dicit magiſter Bonus cap. v. Oportet artificẽ altiſſimo intellectu vti, vt per ſuum intellectũ percipiat opera, quæ ſunt ſecundũ naturam viſui occulta, & percipiat operationẽ diuerſam, quę eſt ſupra naturam. Vnde Geber: Oportet artificem altiſſima perſcrutatione adiuuari per doctrinam. Si enim ſcientiam quantũcunq; acquiſierit, niſi ab induſtria naturali iuuetur, ad epulas tam precioſas non inuitabitur: & in pũcto

cto in errorem caderet, nisi per industriam suam remedium adhibere sciat. Vnde Haly figuratiue loquitur de hoc puncto dicens: quod radices suarum minerarum sunt in aere, & summitates in terra. Et quando euelluntur à suis locis, auditur sonus terribilis, & sequitur timor magnus. Quare vade cito, quia cito euanescunt.

Secundo ne mali homines hãc scientiam sibi vsurpent. Vnde scribitur in libro Saturni: Lapis noster benedictus ab omnibus est notus. Nam in vijs proijcitur, & quilibet ipsum habere potest. Propter quod antiqui philosophi abscondetunt, tam ipsum lapidem, quam viam suam & magisterium eius. Nec mireris, quod philosophi finem & principium magisterij prætermiserunt, medium tãtum prosequentes. Nam si totum fuisset traditum manifeste, quidam impij eam indigne vsurpassent. Item, alius philosophus inquit, te adhortari non prætermittam, vt nemini, quamvis tibi carissimo, nostrorum occultorum thesauros aperias, ne rubeas & albas rosas nostri viridarij, olidæ & fœtentes capræ depascant. Et ideo etiam nos debemus similiter occultare, & nulli etiam amicorum notificare, ne diuinum furorem contra nos excitemus. Vnde magister Bonus, Munus explico, quod in armario cordis vestri secretius occultare velitis: quod similiter intelligenti, & intelligere volenti, sub pœna anathematis diuinæ iræ narrare velitis: sicuti præcepit Hermes & Aristoteles, & alij quamplurimi philosophi.

QVOD LAPIS PHILOSOPHORVM, EX vna sola re, & non ex pluribus conficitur.

CAP. VI.

IAm deinceps videndum est, si hic lapis est simplex, vel ex pluribus compositus. Et dicendum est, quod lapis philosophorũ, ex natura suæ originis est vna simplex res indiuidua. Quia sicut à natura generatus est, ita solus in hoc magisterium intrat sine additione alicuius alterius rei, extra naturam suæ speciei existentis Et hoc omnes philosophi affirmãt, dicit enim Mundus in Turba: Nolite compositionis pluralitatem curare: neque ea quæ philosophi in suis libris posuerunt. Veritatis namque arcanum, natura vna est, & illud in ventre suo occultum non videtur, neque scitur nisi à sapienbus. Et in libro Saturni. Ista scientia nihil aliud est, quam perfecta inspiratio Dei: quia totum magisterium in vna re con-

sistit, quæ dicitur Adrop. Similiter Morienus in Castrensi: Huius rei inquit prima & principalis substantia, & materia est vna, & de ea est vnum, & cum ea fit vnum, vel aliquid aliud sibi additur, vel minuitur. Et Hermes, quomodo ex vno omnia procedunt, & sic hoc magisterium ex vna fit substantia atque materia. Et Morien. inquit, multiplicia sunt eiusdem radicis nomina, sed vnam radicem huius magisterij substantiam absque materia inuenies. Et Senior. Natura coniungit naturã, & natura gaudet natura, & tamen non est nisi vnica natura, & genus vnum, & substantia vna, ac essentia vna. Item Alphidius in Turba, Vnus est lapis, vna natura, vna compositio, atque vnum vas ad album & rubrum simul faciendum. Et ideo concludit Rosarius: Oportet inquisitorem huius artis constantis esse voluntatis in opere, vt non modo hoc, modo illud attentare præsumat: quoniam in rerum multitudine ars nostra non perficitur. Est enim lapis vnus, via vna linearis, medicina vna, cui nihil additur extranei, nec minuitur, nisi quod superflua in eius præparatione remouentur. Quoniam si aliquid extraneum sibi apponeretur, statim corrumperetur, & non fieret ex eo quod quæritur.

QVOD LAPIS NOSTER VNVS EXISTENS, plures in se res continet.

CAP. VII.

QVamvis autem lapis vnus sit in substantia & natura, est tamen ex pluribus rebus compositus, ex quibus sua perfectio causatur, non solum sicut multæ res aliæ in extraneo occulto, sed & in manifesto partibus suis distinctus: vnum enim continet, seu coniungit, duo componunt medicinam: itaque sunt vno in corpore iuncta tria, vt ait quidam philosophus. Hercules in Morieno Castrensi: Hoc magisterium ex vna propria radice procedit, quæ postmodum in plures res expanditur, & iterum ad vnum reuertitur. Et iterum ibidem ait quidam sapiens, Propria creatio hominis est sperma, & ex vno homine mulier extracta est. Ex quibus scilicet, mare & femina, multi filij & filiæ in colore & aspectu dissimiles nati sunt, & continue nascuntur. Primum ergo continet duo: vnde Parmen. in Turb. Natura natura lætatur: natura naturã vincit, & superat. Vnde scriptum est, Propter hoc relinquet homo

patrem & matrem suã, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Et ista duo sunt Sol & Luna. Et Morienus vbi supra: Non studeas hoc magisterium circa quælibet alia quærere, & quærendo errare: quoniam ad eius effectum non peruenies, vsq; dum Sol & Luna in vnum corpus redigantur. Et Aliratus ait: Qui veritatem vult sequi, accipiat Solis ardorem & Lunæ sputũ. Et Hamis in Turba: Si sumseris sulphur & argentũ viuũ, quodlibet sicut est in natura sua, oportet te illa cõmiscere, quia proportionẽ debitam ingenii humanam penitus ignorat, & postea coquere in solidam massam, quod nihil valet. Ideo inueniemus quædam corpora, in quib. prædicta duo, scilicet sulphur & argẽtum viuum sunt debito modo adunata, & hoc est secretũ maximũ, & propter hoc dicit Arnald. Iste lapis vocatur Mirius, id est Mercurius sulphureus. Itẽ in libro Saturni: Lapis noster qui est Mercurius philosophorũ, non inuenitur in cauernis, sed est corpus & spiritus. Secundo lapis continet tria. Ioannes Teb. Tota fortitudo artis deprehenditur tantum in tribus, scilicet Sole, Luna & Mercurio, cum suæ præparationis causis: quia in his duobus corporibus solum reperitur sulphur sapientum, vtrumque scilicet album & rubeum, in quibus natura sagax continet semen suum. Et in his tantum insunt radij tingentes cum adiutorio nostri Solis. Lapis autem Mercurij complectitur vtrumque. Et alibi: Qui cum trinus sit in personis, huius rei verum nomen est, Alberis, vel albar æris, quod ex tribus componitur, scilicet terra, aqua & igne, quemadmodum & ouum quod rubeum, & aquam, & corticem continet. Deinde ex dictis tribus vnum quidem fit, quod est pullus, qui gallina alente exit. Similiter hoc compositum regimine fit, & putrefactione, ex qua fit aer qui est spiritus, &c. Item lapis philosophorum est vnus in trinitate, & trinus in vnitate, quia in se habet corpus, animam & spiritum. Corpus stat, anima viuificat, spiritus tingit. Item Bonus Cap. 2. Materia ab exordio operationis debet esse vna absolute, in qua sit virtus corporis, spiritus & animæ similis materiæ minerali. Vnde Lilium, vnde sola res est, habens in se corpus, anima & spiritu simul tingentia. In cuius operatione non est necessarium aliquod coadiuuans, aut adminiculans: in cuius figura Ezechiel vidit rotam in rota, & spiritum vitæ qui erat in medio rotarum. Et propter hoc a quibusda[m]

busdam vocatur Deus terrestris. Sed absit vt per hæc derogemus honori diuino: quod Deo proprie conuenit attribuamus creaturæ, nisi per similitudinem. Per hæc ergo exprimitur natura lapidis, compositio, & virtus inæstimabilis. Tertio lapis continet quatuor: quia ex quatuor elementis componitur, non solum sicut cæteræ res omnes habent elementa quatuor sibi mutuo cōmixta, verū etiam diuisa locis, & in suis sphæris distincta. Vnde dixit Hermes in Morieno Castrensi: quatuor ex vno omnia procedunt: ideo sic magisterium ex vna fit substantia atque materia. Et licet quatuor elementa in vno corpore sint iuncta, vel vnita, & disiuncta per totum corpus diffusa: tamen diuersum habent colorem & dominium. Et Astanus in eodem ait: Quatuor elementa scil. caliditas, & humiditas, siccitas & frigiditas ex vno fonte sunt & procedunt Radices sunt aqua & terra. Quæ autem ex his composita sunt, sunt ignis & aer. Et Mundus in Turb. Natura non lætatur, natura naturam continet, natura naturam vincit & superat: & tamen sunt diuersæ naturæ nec plures: verum vna natura habens in se quatuor naturas, & res suas, quibus sibi ipsi sufficit. Et in lib. Saturni dicitur: Lapis noster est triangulus in esse, & quadrangulus in qualitate. Et hæc quatuor elementa in lapide sunt in eius occulto corpore, valde proportionata bene, & hominis complexioni valde conuenientissima. Vnde in via vniuersali dicitur, in hac re sunt quatuor elementa, optime per naturam proportionata, ibique figens & fixum tingens, & tinctum, album & rubeum, masculus & femina simul composita, & duorum spermatum in hoc opere non oportet esset quietem, donec permisceantur. Propter quod hic lapis maximam similitudinem habet cum ouo. Dicit enim Pandulphus in Turb: Ouum continet quatuor elementa, scil. corticem, scil. terrā, albumē quod est aqua, pelliculā quæ est aer, vitellum quod est ignis: sic etiam lapis continet eodem ordine quatuor elementa. Et hæc est causa quare philosophi hanc artem nominauerunt Ouum. Non tamen vt dicit Lilium, vocant ouum simpliciter, sed cum additione. Nominant enim lapidem ouum philosophorum, propter similitudinem quam habet cum ouo. Imo propter hæc prædicta assimilatur Mūdo. Vnde Morienus: In hoc lapide quatuor continentur elementa. Assimilatur enim mundo & mundi compositioni, nec in hoc mundo alius lapis reperitur, qui huic assimilatur in ef-

fectu

fectu vel natura. Quicumque alium lapidem ad hoc magisterium quæsierit, omnis eius operatio vana erit.

QVOD LAPIS EST VILIS ET preciosus.

Cap. VIII.

POstquam dictum est de lapide & compositione, videndum est de eius vilitate & nobilitate. De eius vilitate dicit Morienus: Omnis res quę magno emitur precio, in huius operis artificio mendax & inutilis reperitur. Et Haly dicit: Inuenitur hic lapis apud pauperem & diuitem, & apud euntem & sedentem. Et in lib. Saturni, Quilibet cognoscit lapidem, & cæci cognoscunt & habere possunt. Et de precio huius inquit Rasis in lib. verbor. Laudetur qui creauit carissimum ex vilissimo. Et Lilium, vt Zinon ait: Hic autem lapis palam minimo emitur precio, quod si nouissent venditores, ipsum in manibus tenerent, & nullo modo venderent. De vtroque dicit Rasis vbi supra: Ars ista longe cæteris præferenda est, in qua est parua impensa, paruus labor, tempus breue, lucrum magnum, optanda securitas & hilaritatem comitantem largitas, & est lapis non lapis vilis ac preciosus, obscurus & electus, vnius nominis & multorum nominum. Idem quoque lapis est preciosissimus, quia sine ipso non operatur natura. Sed quomodo idem potest esse vilissimus & preciosissimus? respondendum est. Quia in se consideratus vilis est: quia etiam sæpe in sterquilinijs proijcitur, & pro vili precio emitur: sed si consideratur quantum ad effectum, tunc est preciosissimus, quia ex eo fit elixir nobilissimum. Et sic in eo sunt omnia metalla in potentia, & præsertim aurum, quod est preciosissimum. Et hoc dupliciter: primo in potentia remota ante eius præparationem; secundo in potentia propinquissima post eius perfectionem. Vnde secundum intentionem magistri Boni in V. Cap. Natura generat de ente in potentia, ens in actu in instanti, vt dicit Aristoteles in nono Metaphysices, præcedentibus tamen omnibus dispositionibus congruis, habilitantibus materiam ad formam suscipiendam, & secundum quod materia diuersimode disponitur, alia & alia forma in eam introducitur. Omnis autē generatio est ex propinquis principijs, & vniuocis, vt patet in VII. Metaphysices.

Sicut ergo duo spiritus naturæ, scilicet sulphur & argentum viuum sunt in potentia corpora: quia sunt principia corporum metallorum, & econuerso materialiter & formaliter, vt patet oculata fide in mineris suis. Ex solis enim illis spiritibus natura facit actu corpora, & econuerso. Et non commiscendo corpora spiritibus vt conuertat spiritus ad corpora. Sic etiam ars generat elixir necessario ex iisdem principijs proximis & vniuocis, ex quibus aurum generatur: quia elixir est forma auri proxima: aut principia auri sunt duo soli spiritus, scilicet sulphur & argentum viuum. Vlterius, natura facit ex solis ipsis spiritibus, sine admixtione alicuius corporis, corpora fixa, scilicet Sol: ita quod spiritus tales per congruam digestionem recipiunt proprietatem, & naturam, & essentiam corporis, & ex solis se ipsis figuntur. Ergo etiam ars ex solis spiritibus super ignem suum facit elixir fixum. Et sicut spiritus minerales non sunt vulgi, sed alterati, sic etiam spiritus artis. Et sicut natura de solis spiritibus facit corpora in actu, ex his scilicet spiritibus, quæ sunt corpora in potentia, sic etiam ars debet facere. Et sicut natura nihil miscet suis principijs, quia impediret generationem, sic & ars. Et sicut natura duo habet principia, vnum quod tenet naturam agentis, & aliud quod tenet naturam materiæ, seu patientis, sic etiam ars. Et sicut natura hæc principia simul componit in certis mensuris & determinatis ponderibus, sic etiam ars debet componere, sed ars non potest scire debita pondera: ergo oportet quod tāquam ancilla talia accipiat à natura composita. Erit ergo vna materia à natura ponderata, in qua ars operari debet, & illa sufficit. Ex quibus concluditur quod oportet necessario, quod omnes differentiæ, quæ sunt in auro minerali actu, sint quoque in lapide, & in elixir in potentia, & manifestentur in auro, quod fit per elixir in actu, scilicet, quod sit grauissimum, citrinissimum, splendidissimum, impassibile ab adurentibus, temperatissimum & maxime medicinale. Ex omnibus his vlterius concluditur: quod illi duo spiritus soli à natura commixti, scil. sulphur & argentum viuū sunt principia & materia metallorum, & sunt metalla in potentia: ergo etiam & ars ex solis eisdem principijs vel omnino subtilib. à natura cōmixtis generat elixir, quod est aurum in potentia, præcedente tamen congrua præparatione. Et sunt vtiq; illi spiritus per se solos cū se solis corpus in potentia. Sic ergo spiritus mercurialis, existēs sub-

ſubiectum naturæ,& ſpiritus ſibi omnino ſimilis, artis ſubiectum cum fuerit,per artem ſublimationis ingenioſam mundatus & purgatus è ſordibus ſuis, & per congruum ignem venerit ad ortum:tunc eſt ſpiritus ſimplex fugiens in actu,quem philoſophi præſciuerunt, & eſt corpus in potentia propinquiſſima.Ergo oportet hunc nos perficere abſq; additione alicuius extrinſeci, & conuertere in corpus in actu,quod ſit elixir fixum & rubicundiſſimum ſicut ſanguis, & tunc eſt corpus ſolare philoſophorum,& tinctura perennis, & hoc eſt aurum philoſophorū & plumbum & æs philoſophorū,de quo Myluefindus ait,Æs noſtrum non fit tingens,antequā ſit fugiens. Et hoc eſt ſulphur philoſophorum, & ipſorum aurum occultum in argento viuo philoſophorum. Vnde manifeſtum eſt,quod non ſolum corpora metallorū ex ſuis tantummodo ſpiritibus fiunt,ſed fere omnium aliorum mineralium generatio eſt ex vaporibus proprijs,ſiue ſimplicibus, ſiue cōmixtis. Qui vapores omnium ſunt de genere ſpirituum, quia fugiunt à calido, & tamen in fine digeſtionis figuntur à frigido conſtringente:& figuntur per ſe cum ſuis corporibus occultis exiſtentibus in eis in potentia,abſq; permixtione alterius corporis extrinſeci cuiuſcumq;:ex his patet precioſitas lapidis,tamē plura de hoc inferius à nobis declarabuntur.

QVOD LAPIS PHILOSOPHORVM VNVM proprium nomen habet,& tamen multis nominibus appellatur.

CAP. IX.

HIc lapis benedictus,ſicut vna res eſt, ita etiam vno proprio nomine nominatur.ſcilicet triſonis, nihilominus quaſi infinitis,& omnium rerum nominibus. Et hæc multitudo nominum à duobus proceſſit generibus hominum,primo à Philoſophis.Vnde Bonellus in Turba: Huic rei propter diuerſos colores in operatione apparentes diuerſa nomina imponendo pſentant.Vnde idē Bonellus: Inuidi nomina multiplicauerunt,vt poſteros ſeducerent,vt ait Hermogenes.Philoſophi autē hunc lapidē diuerſo nomine & diuerſimo de appellant. Nunc enim nomine lapidis,nunc animalium: nunc æris vel ſtāni,vel ferri, vel plumbi: imo omniū corporū nominibus nuncupauerunt, nunc ſpiritus, nunc corporis, nunc oui, nunc cuiusvis rei nomine ipſum appellanr, vt dicit Lilium. Et hoc fecerunt propter tres cauſas ſeu rationes. Prima eſt, propter colores in eius operatione,

apparentes, & significantes varietatem & effectuum diuersitatem. In ipsius enim operatione omnes colores, qui hodie in mundo excogitari possunt, apparent. Et ideo secundum diuersos colores in ipsa operatione apparentes diuersificantur per philosophos eius nomina. Vnde dicit Morienus in translatione noua quam fecit Castrensis: Sapientes hoc magisterium multum quærunt: & inueniunt, amant & ornant, stulti vero ipsum derident, & pro nihilo reputant. Ignorant enim quid hoc sit, & sunt multa nomina quibus appellant ipsum sapientes in locis suis: quorum vnum est sperma, quod quando vertitur in sanguinem mutatur, ac demum coagulatur & fit quasi frustum carnis comestum. Sunt etiam alia plura nomina, quorum omnium est vna radix, sed secundum diuersos effectus, & diuersos colores, ac diuersas naturas, nomina multa & diuersa nominant & imponunt. Secundo ratio est propter continentiam multarum rerum in se. Est enim ex omnibus quatuor elementis hic lapis confectus, vt superius dictum est: quare cuiuscunq; rei elementatæ nomine ipsum nominãt. Sunt etiam in ea omnia metalla in potentia, & multa mirabilia opera, & virtus spirituum & corporum, ac proprietas mineralium, vegetabilium & animalium, etiam, & nobilitas omnium lapidum preciosorum & herbarum, & ideo omnium nomina sibi nõ immerito vsurpat. Vnde Pythagoras in Turb. Ipse lapis est preciosissimus, quia sine ipso non operatur natura: cuius nomen est vnum, & tamen multis nominibus nominamus eum, propter suæ naturæ dignitatem seu excellẽtiam.

Tertia causa est propter occultationem eius. Vnde dicit Lilium: Si insipientes hunc lapidem cognoscerent, non vili vt faciunt precio ipsum venderent. Item Daucim philosophus in Morien. Sapiẽtes huius magisterij nomina & effectus eius atque confectiones, non alia de causa multiplicauerunt, nisi vt sapientes hoc magisterium instruerent, insipientes vero penitus excæcarẽt. Quoniam sicut hoc magisterium vnum proprium nomen habet, & hoc tale sibi deputatur: sic etiam habet vnam confectionem & vnam viam linearem. Et ideo (vt dicit Lilium) si vulgus sciret quantum thesaurum in manibus teneret, non vilipenderet vtique hanc rem vilissimam & preciosissimam. Sed hoc Deus à populo celauit, ne mundus deuastaretur.

QVOD

Quod multi lapidem quærentes inuenire non possunt, sed errant.

CAP. X.

MVlti philosophorum libros legentes, & credentes lapidem philosophorum posse fieri, quærunt & non inueniunt, laborant & errant, ac vitam suam perdunt, ac rerum substantiam. Cuius rei duplex est causa: prima proprij nominis occultatio, non enim nominant eum proprio nomine simpliciter, sed cum adiuncto. Vnde Lilium. Hunc lapidem Reges quærentes non inuenerunt, nisi pauci: sc. ij, quibus Deus reuelauit. Nam si aliquando philosophi, hanc rem proprio nomine vocant, semper eius nomini aliquid ficti addunt, quod est propterea ne notum fiat. Secunda nominum diuersorum multitudo. Vnde in li. Morieni ait Ernech, Nihil aliud magisterij in errorem traxit, quã varietas & multitudo nominum, & quia in vna sola confectione nomina sic mutant, sicut colores multi. Itaq; libros percurrentes, & varia nomina inuenientes, falsam concipiunt opinionem de lapidis materia, & diuersi diuersam, secundum quod eos fantasia propria, & non ratio naturalis instigat. Ex qua re contingit, quod aliqui in vna materia laborant: alij in alia: oẽs vero in materia nõ conuenienti, quorum multa sunt genera. De horum numero fuerunt multi, & magnę auctoritatis viri, & in philosophia famosi, qui naturæ principia vniuersaliter considerauerunt & non proxima. Et sicut ad generationem particularium considerandam descenderunt, & falsè de generatione metallorum iudicauerunt: sicut etiam in principijs artis & eius operationibus fecerunt diuersis, & ideo semper sophistica opera fecerunt, & semper in sophisticis permanserũt, nunquam peruenientes ad illam lapidis perfectionem, quam philosophi intenderunt. Alij vero in artis & naturæ veris principijs operati fuerunt, sed regimen artis verum & directum omnino ignorauerunt, & ideo non minus errauerunt. Cum ergo multi cognoscerent quod elixir est forma auri & argenti informans & transformans metalla imperfecta, existimauerũt, quod elixir deberet fieri ex principijs metallorũ. Principia autem metallorum, sunt sulphur & argentum viuũ. Ex qua vt concludebant, quod lapis philosophorum fieri habet ex altero horum, aut ex ambobus simul: Quia eorundem nominibus Philosophi lapidem nominant. Alij vero his ar-

ſenicum addiderunt, alij ex marchaſita qualibet, aut thucia, aut antimonio, aut reliquis mineralibus operationem fecerunt. Cæteri in rebus animalium, aut vegetabilium operationem ſuam impenderunt, & omnes deluſi ſunt propter vtriuſque defectum, ſcilicet materiæ conuenientis & operationis debitæ. quia neſciuerunt iudicium de proprijs & proximis principijs, quæ ſunt tria, ſcilicet, argentum viuum & ſulphur alterata, & in menſura debita commixta à natura, & calor mineralis digerens, & virtus loci qui eſt generationis principium, impreſſa cæleſtibus corporibus: quorum quodlibet in corporibus generandis diuerſitatẽ inducit per ſe: plus autem omnia ſimul. Ex primo ſequitur diuerſitas elementorum, imo potius elementatorũ, ex quibus metalla generantur. Ex ſecundo diuerſitas perfectionum: quia ex diuerſa digeſtione, puriora, vel impuriora elementa metallorũ generantur, & commiſcentur, & commixta proprietantur. Ex tertio vero diuerſæ ſpecies mineralium procreantur. Quamuis ergo metalla & marchaſitæ habeant communiter duo prima principia, ſcilicet ſulphur & argentum viuũ: tamen quia quantitas & mẽſura, ac mixtio & digeſtio in diuerſis eſt valde diuerſa, (Diuerſitas enim mixtionis & digeſtionis cauſat diuerſitatem in materia diuerſimode paſſibilem) etiam ſic fuerint eædem qualitates elementorum, ſiue in ſimplicibus ſiue in compoſitis. Ideo metalla participant ad inuicem in communibus paſſionibus, quia tendunt ad vnam formam finalem. Non autem aut Marchaſita, aut ſulphur, aut argentum viuũ in natura ſua ſunt principia cõponentia metalla, ſed vna tertia natura confuſa & mixta in debita menſura ex ipſis generata: alioquin natura nõ poſſet ipſa in vnũ locũ coaceruare ad generationẽ complendã Quia nec natura mineraliũ, nec etiã vegetabiliũ habet iſtos mot⁹ locales ad generationẽ. Ars autem habet in diuiſione & coniunctione: oportet ergo quod iſta tertia natura ſapiat naturam quandam cõmunem alteratam à natura componentium: quæ proueniat ex eorum diuerſa commixtione & digeſtione, & in hac natura tertia eſt vis mineralis ad generationem compoſiti. Compoſitorum autẽ duo ſunt genera. Vnum quidẽ cuius cõponentia omnino ſubijciuntur pro materia, & ex horũ compoſitione fit noua forma diuerſa à formis ſuorum ſimplicium: nõ autem manet in ipſis potentia ad vlteriorem formam metallicam, quæ

poſſit

possit fieri per digestionē naturæ, vt sunt marchasitę, attramēta & magnesia. Quædam vero sunt, cuius componentia non omnino subijciuntur pro materia, sed vnū est pro agente, & aliud pro materia. Et talia quidē non manent sub illa forma, sub qua componentia fuerunt in prima cōpositione. Et vltra hoc per mutuā actionē & passionem possunt digeri, & transmutari de forma in formam, tam diu, quousq; attingāt vltimam formā & pfectionē, q̄ est forma auri: & tunc agens separatur à materia: & talis digestio est in generatione metallorū quorū materia est mixta ex duob. principijs in mineris, sc. ex sulphure & argento viuo, & nō manet sub illa forma sub qua est in prima cōpositione, sed agunt & patiuntur adinuicē cōtinue, quousq; generatur noua forma, sc. corporis imperfecti: & tunc agens nondū separatū est à materia, sed si cōtinuetur digestio vsq; ad vltimū, quousq; sc. agens totaliter separetur à materia, tunc igitur generatur, noua forma, sc. metalli pfecti, q̄ est forma auri. Ex quib. patet, q͞p omnia mineralia sunt cōposita ex suis elementis in quantitatib. determinatis, & mēsuris cōmixtis: ita q͞p miscibiliū vnum nō est prius nec posterius altero: sed simul & semel est generatio simpliciū & compositorum & ē conuerso. Sicut etiā fit in generatione lactis, quod est compositū ex trib. substātijs, sc. caseo, butyro & sero: & eorū generatio est simul cum lacte. Ex his cōcluditur quod cū metalla sint composita solū ex duabus, sc. argēto viuo & sulphure, & similiter eorundem mineræ, & ars debeat imitari naturā, omnino necessarium est quod procedat ex ijsdem principijs, ex quib. natura omnino aut simılib. ad generationem elixiris, & eadem pondera obseruet. Ex quibus patet, quod qui in solo sulphure laborant in vanū laborant. Primo quidem quia sulphur quantuncunq; depuretur per sublimationem, non potest esse de compositione & substantia auri, nec potest subijci pro materia, quia nullum agens subijcitur pro materia. Secundo quia sulphur solum nō habet materiam in quam agat per digestionem continuam, ex qua vltimate formam, sicut de potentia materiæ extrahat. Quia si hoc fieri posset, videtur quod maxime hoc fieri deberet in minera, in qua ad perfectionē medicinæ reduceretur. Et postquā subito commisceretur etiam viuo, & subito coagularet in metallum, quod non fit. Tertio vero quia sulphur figi non potest, nisi calcinatum, nec calcinatur nisi per sublimationem, quod vtrunq; est difficile valde,

valde, quia est combustibile. Multo autē difficilius est ipsum tingere tinctura perfecta: impossibile autem fulgēte qualem Elyxir requirit.

Alij vero qui in solo argento viuo laborant, plus errant, quemadmodum Aldimarus inquit: Qui primo ipsum sublimat, & postea in octuaginta diebus fixat lento igne, quousq; habeat fusionem metallicam: sed vana est hæc medicina, q̄ ex sola materia patiente sine sulphure agente non perficitur, etiam cum argentum viuum multam habeat impuritatem & grossitiem, per se digeri non potest.

Alij autem ex argento viuo & sulphure simul mixtis conati facere lapidem: quod non minus impossibile est. Primo siue quodlibet pro se digerat, siue simul commixta, non poterit consequi intentionem naturæ. Secundo quia quanta sit eorum mensura necessaria, tam in mineralibus, quam in metallis nemo scire potest. Tertio quum quodlibet per se sit difficilis præparationis, commixtis ambobus simul erunt magis difficilimæ.

Alij autem laborant in solo auro, sed nec hi secundum intentionem philosophorum faciunt. Primo, quia licet suum sulphur sit tingens suum argentum viuum, de cuius potentia extractum est, non tamen est sufficiens ad generandum aliud aurum, aut ad augendum & multiplicandum suam tincturā, cum sua tinctura sit vltimus gradus in metallis. Secūdo, quia opus philosophorum non est sumtuosum, apud illos scilicet, qui recte viam naturæ & regimen debitum inuestigaiunt. Et de hac inquit Geber: Non oportet tua bona consumere: quia vili precio, si artis principia non ignoraueris, quæ tibi tradèmus, ad completum peruenies magisterium. Aurum est autem sumtuosum: & sic pauperes cogerentur hoc gloriosum opus postponere? Et cum oporteat artificem pluries errare, pauper non posset iterato pluries etiam opus reincipere, sicut exigit ars ista. Et sic hi, qui ad artis operationē istam & intelligentiam perfectam adpropinquant, propter maximā paupertatem operari non possent. De quibus dicit Geber: Hi tamen vltima paupertate depressi, ex dispensationis indigētia, coguntur hoc gloriosum opus postponere. Ergo paupertas non prohibet ab operatione lapidis, sed vltimata. Et sic oportet, quod ab exordio operationis, materia artis sit vna & vilis, in qua sit virtus corporis, spiritus & animæ similis materiæ

mine-

minerali. Alij vero laborant cum Mercurio & ære, ac fermẽto solis, vel lunæ, quod ex hoc sumunt, quia philosophi lapidem frequenter æs vocant, sed decipiuntur. Primo quia philosophi loquuntur de ære philosophorum, quod etiã aurum nostrum, vel physicum dicitur: similiter ferrum, vel plumbũ. Secundo, quia æs vulgare habet multas sulphureitates impuras, inficientes & corrumpentes medicinas, quæ in purgationibus omnino auferri non possunt, vel vix. Tale autem sulphur non est de essentia auri. Aurum quoq; est ex naturis lucidissimis & puriss. & eius partes sunt vnius substantiæ & naturæ, & non diuersæ. Tertio, quamuis auri fermentum commisceatur, tamen aurum non potest æs tantum sua virtute perficere, quantum per ipsum à sua virtute diminui. Idem dicendum est de omnibus qui operantur in alijs metallis, qui inutiliter laborant, & post longum laborem nihil aut parum inueniunt. Quare vt dicitur ab Arnaldo in libro eius testamenti: tales sc. operationes sunt valde prolixæ, fastidiosæ, & magnarum expensarum, & quandoq; propter vnum defectũ, totum negotium perditur. Et licet bene incipiamus, aut dimittimus, aut negligentes sumus. Quare etiamsi ex metallis posset fieri lapis, consultius dimittitur opus, quam inchoatur, vel incipitur.

Alij vero sunt qui laborant cum salib. atramentis & aluminibus soluẽtes cum ipsis aut eorum aquis solem, aut lunã, aut cætera metalla, & postea destillant & cõgelant dissolutas calces. Et hi adhuc grauius errant: quia hæ res longius absunt ab intentione naturæ.

Aliqui vero magis veritati appropinquant. qui scilicet cũ argento viuo & auro laborant vel argento: ideo quia aurum est corpus nobilissimum: & argentum viuum nobilissimus spiritus, & per amborũ cõmixtionem ac digestionem potest extrahi anima. Sed nec hi secundam intentionem philosophorum agunt, sed decipiuntur in nominibus quibus vtuntur philosophi. Scito quod hæc ars mystica est: ipsi autem applicant nomina ad ipsas res sicut sonant. Philosophi enim cũ de argento viuo vel auro loquuntur, volunt dicta sua intelligi de argento viuo philosophorum, vt de auro philosophorũ. Quia aurum philosophorum est sulphur philosophorum: quod extrahitur de argento viuo philosophorũ. Oportet ergo occulta nomina in dictis philosophorum considerare non ipsa significata, volentem non errare. Alij

Alii vero laborant in arſenico vel auripigmento: quia vtrumque compoſitum eſt à natura ex duobus principiis mineralibus, ſcilicet argēto viuo & ſulphure, quod oſtendit ſublimatio ſplendens & tingens in albedinem: ſimiliter liquefactio metallica. Quod autem tingat argentum viuum habet à ſulphure coagulante ipſum & digerente. Vnde ſi primo arſenicum decoquatur in acutis rebus, ſicut in aceto, vrina & ſale, & poſtea ſublimetur cum calcibus metallorum & ſalibus, efficitur albiſſimum ſicut nix, & transparens ſicut cryſtallus. Similiter arſenicum eſt valde ponderoſum & inflammabile, ſed pondus non poteſt habere niſi ab argento viuo, inflammationem vero à ſulphure. Ergo arſenicum erit ſubiectum, & principium apud naturam in generatione Auri & apud artem in generatione Elixiris, vt dicit magiſter Bonus capite 6. Sed hi grauiſſime errant. Primo quia natura arſenici eſt volatilis & aduſtiua. Secundo quia eſt difficilis fixionis & fuſionis. Tertio quia ſolum dealbatur in minori opere: graue autem eſt citrinitatem ex occulto eius extrahere, quamuis in natura ſua ſulphur habeat, ratione cuius fixari poſſet, & rubefieri, quod etiam argento viuo ſuo per minima inſeparabiliter coniunctum eſt, & ipſum coagulat, & aliquantulum digerit. Quarto, quia quamuis philoſophi videantur ipſum aſſerere materiam lapidis, tamē loquuntur de ipſo ſub metaphora: quod oſtendūt alia verba eorundem philoſophorū, quę de arſenico vulgi verificari non poſſunt. Loquuntur enim philoſophi de alia re, quæ ſe habet in ſua comparatione & proprietatibus ad modum arſenici. Et hoc vocatur arſenicum, quandoque etiam auripigmentum: Quia ſicut Arſenicum primo eſt citrinum, poſtea eius manifeſtatur occultum, quod eſt argentum viuum occultum cum ſuo ſulphure occulto: ſic etiam illa res de qua lapis philoſophorum fit, primo in operatione citrinatur & nigreſcit, poſtea albeſcit, in qua albedine eſt occulta rubedo: de qua re ſuperius clarius dictum eſt.

Alii vero laborant in marchaſita, thucia, magneſia, antimonio & ſimilib. ſed vane. Primo, quia à marchaſitæ ſubſtātia remouetur ſulphur totaliter per ignem lentum, & ſuum argentum viuum remanet in fundo vaſis mortificatum, quāuis poſtea cū ignitione fortiori ſublimetur in Aludel, ſed ſulphur in generatione metalli eſt neceſſariū vſq; ad complementū digeſtionis. Ergo etiam in generatione elixiris. Secundo quia argen-

argentum viuum marchasitę sublimatum, nō liquefit liquefactione metallica fixa, quod tamē requiritur tā in metallo quam in Elixiri. Tertio quia in mineris metallorum non reperitur marchasita aliqua, nec aliquid obtinens eius proprietates, sed in omni minera reperitur argentum viuum & sulphur. Ergo illa sunt principia metallorum, non hæc, ergo similiter & artis. Et quasi eædem rationes sunt de thucia, magnesia & antimonio, nisi quod sulphur istorum nullo modo est separabile ab eis.

Alij quoque laborant ad faciendum lapidem de quibusdā animalibus siue de aliquibus partibus eorum, veluti ex Ostreis, Testudine, Basilisco, Bufone, Salamandra & reliquis. Alij de sanguine hominis, spermate, craneo, &c. Alij ex ouis & infinitis rebus similibus quod vanum esset enarrare. Et horum omnium, vt dicit magister Arnaldus, est vnus operandi modus, scilicet vt putrefiant & separentur elementa per alembicum, & rectificentur, postea albificetur terra, deinde coniungantur & simul congelentur & fixentur. Sed nec hic modus est conueniens naturæ, aut de intentione philosophorum. Ex quo concludendum est, quod philosophi horum omnium verbis cum de lapide loquuntur vsi sunt; & pluribus alijs nominibus, & non sunt mentiti secundum intentionem ipsorū, quia sub allegoria dixerunt veritatē, tamen imprudentes significata rerum prout voces sonant acceperūt, & in eis laborauerunt, & se & alios deceperunt, nec ad cognitionem lapidis philosophorum peruenerunt, nec etiam perfecte appropinquauerunt, sed semper sophistica fecerunt. Quia operatio secundum literarum intentionem est dissipatio diuitiarum, vt dicitur in libro Saturni.

Quas conditiones habeat lapis, & per quæ signa cognosci possit. CAPVT IX.

QVamuis lapis philosophorū cognosci faciliter nō possit: quia philosophi aliarū rerum nominibus eum nominant, & multis obscurāt, & propriū eius nomē tacēt: tamen si quis fidelis fuerit, & frequenter eorum libros legerit, & si intellectu naturæ opera viderit, inspirāte Deo inueniet quod quærit. Sunt enim duæ res quæ faciunt inuenire hunc lapidem cum magisterio. Prima res est lectio cum diligenti inquisitione. Vnde Rosarius dicit: Qui ia legendis

libris

libris deſes extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit. Sane liber librum exponit & aperit, ac ſermonem explicat:quia quod in vno eſt diminutum,in alio eſt expletum. Non ergo poteſt de leui ad practicam aſſueſcere, cuius mens in theorica tenuerit deſudare. Et in Lilio ſcribitur:Qui citius cupit peruenire ad artẽ noſtram,libros noſtros non aſpiciat: quoniam magnam moleſtiam & iniuriam nobis inferunt antequam à lectoribus intelligantur:ſemel vel bis vel ter noſtris voluminibus perlectis. Secunda res eſt fidelitas honeſtata,cũ deuota oratione ad Deum. Vnde magiſter in Lilio: Qui curuat dorſum ſuum in noſtris libris legendis,eisq; vacat,& non eſt in vanis implicitus cogitationibus,dominumq; precatur, regnabit in regno indeficienter quouſque moriatur. Et ante dicit Lilium:ſi ex dictis aut dicendis nõ poterit aliquis ad noſtri lapidis notitiam peruenire propter offuſcationem ſui ingenii, non reprehendat ſapientes, ſed ſeipſum. Si enim quæſierit & ignorans ſit, noſcat quod Deus celauit ab eo veritatẽ. Nam ſi Deus ipſe ſciret in eo mentem fidelem,ei vtique veritatem inſpiraret,vt ait Diomedes: Ex quo etiam omnes hunc lapidem celare debent, & maxime regimen eius,ne in manus inimicorum deueniat, & nos ſimus poſtea cauſa ipſis male agendi,vnde à Deo puniri mereamur. Deus autem ſolus poteſt gratis cui vult largiri,nec largiendo peccat: quia iniuſtus eſſe non poteſt, aut imprudens, ſed perfecte cognoſcit quod hominibus expediat. Ab hac ergo arte benedicta ſunt vetiti milites amorum ac deliciarum feminalium, clientes ſcelerum, truces,vindictæ auidi,cupidi, auari, homicidæ, ac prophani. Sed vt ait quidam optimus Philoſophus:

Huc veniat patriæ Codrus, pietatis amator:

Et quicunq; Deum & ſydera ſancta colit. Nam latet impiis hæc ſancta atq; aurea virtus. Hic ergo lapis tam diligenter à philoſophis occultatus,difficulter inuenitur:quia multa alia metalla transmutat, ſiue vere ſiue ſophiſtice inueniatur: tamen quibus Deus ipſe fauet,&qui ſenſum verborum attendunt & non voces.Lapis hic dicitur à philoſophis æs,propter ſimilitudinem,& tamen æs non eſt: eſt tamẽ æs philoſophorum. Vnde Eximenus in Turba:Scitote omnes periti mente, quod nulla ſit tinctura vera,niſi ex noſtro ære. Et hoc intelligendum eſt ſecundum Lilium, quando compoſitio noſtra perfecta eſt,& in elixir conuerſa. Hoc æs, corpus,animam & ſpiritum

ſpiritum habet, & ex eo fit aqua, vt patet per ſequentia philoſophorum dicta in Lilio. Dicitur etiam ferrum. Vnde Roſinus: Recipe ferrum & duc in laminas. Et Raſis in libro Lumẽ luminum inquit. Viuum argentum & purũ ex ferro ego ipſe adminiſtratione expreſſi, & tandem in Auri puriſſimam ſpeciem conuerti. Quod non intelligitur tamen de ferro vulgari; ſed de ferro Philoſophorum propter colorem ſimilem cum ferro, quem in decoctione accepit, ſicut etiam de ære. Vnde Roſinus ait: Æs cum dealbatum eſt, & cum rubeum factum eſt, ipſum aurum dicimus. Hoc autem æs quamplurimi ignorant. Vocatur etiam plumbum. Socrates in Turba: Scitote quod abſque plumbo nulla fit tinctura vera, eo quod vim habeat. & Democritus: Plumbum noſtrũ coque quouſque rubeum fiat Et dicitur plumbum, quia in manifeſto eſt argentum, in occulto vero aurum: & quia calcinatum fit rubeum. Vocatur etiam Magneſia ab inuidis: quia in ea eſt maximum arcanum, vt dicit Baſen in Turba. Plura vero ſunt alia nomina, q̃ naturã eius exprimunt, ſed a remotis. Sunt alia quę expreſſius indicant quid ſit lapis: primo, quia hæc res eſt compoſita ex corpore & anima. Vnde Amigantus in Turba: Æs noſtrum habet corpus & animam vt homo. Et quemadmodum hominum ſpiratio eſt ex aere, ſic res noſtra humido inſpiratur: & propter hoc à quibuſdã vocatur homo. Vnde Raymundus Maſſilienſis. Lapis ab homine aſſumtus eſt; illud quod abundat in eo in vere. Quapropter ipſum eſt animal, quod corpora roborat. Et Hermes: Lapis eſt in re animata, & ſpiritualis: Vnde Ariſtoteles libro de Secrẽtis ſecretorũ dicit, quod lapis eſt mineralis, vegetabilis & animalis: quia horum proprietates & naturas ſeruat. Vnde quidam magiſter Philoſophus ait: Deo perſoluamus honores, qui pennas alaſque negat, melioraque donat. Cum ergo lapis ſit compoſitus ex corpore, anima & ſpiritu carere non poteſt: quia ſpiritus vinculum eſt animæ & corporis: quare etiam ex tribus compoſitus dicitur, ſcilicet anima, ſpiritu & corpore, vt ſupra dictum eſt. Vnde Ioa. Teb. Lapis cadens fit ex tribus, nulli datur niſi quibus fit inſpiramine Dei. Secundo dicitur Ouum philoſophorum, propter ſimilitudinem quam habet ad ouum, vt dicit Lilium, & idem Ioa. Teb. Attendite veritatem tantum conſiſtere in tribus, ex quibus fiat vera compoſitio, verum & integrum elixir, videlicet ex lapide Lunari, & ex

lapide Solari, & ex lapide Mercurij, qui complectitur vtramque naturam, videlicet albam & rubeam. Idem nunc hic tibi trado ouum in carne capere, si scis capere nouum, tractando rem lapidis, quod produxit in brutorum, dulce pomum est odorum, floridus hic pomulus. Item alius philosop. Qui argentum viuum cum albumine & vitello oui nostri tingere nouerit, ad arcanum id quod dicitur philosophorũ sulphur se peruenisse sciat. Et Arnal. Licet in animalib. et vegetabilibus Deus donauerit vnicuiq; lapidẽ perfectum physicum, & medicinam perfectã q̃ habet transmutare omnia metalla in solem & lunam, tamen homo non potest eum facilime inuenire. Tertio habet lapis in se duas naturas principales. Vnde dicitur in libro, qui dicitur Via vniuersalis: In hac re sunt quatuor elementa optime proportionata: ibi est figens & fixum, tingens ac tinctum, album & rubeum, masculus & femina insimul cõposita. Sunt .n. duo spermata in hac arte necessaria, scilicet maris & feminæ. Mas dicitur Sol: femina dicitur Luna; Sol dicitur pater, Luna dicitur mater: & non fit impręgnatio, nisi masculus feminæ iungatur. Vnde Bassen in Turba: Scitote q̃ natura illa est mas & femina, & inuidi vocauerũt eã magnesiam, eo quod in ea est maximum arcanum. Et alius quidam philosophus dixit: Lapis habet duos colores album scilicet & rubeum, album in manifesto & rubeum in occulto. Est calidus & siccus: & ex hoc est oleum tingens. Et in lib. septem Sigillorum dicitur Annulus aureus argento coopertus. Et hoc significat lapidem philosoph: qui quidem in suo profundo est masculus & aureus, & in suo manifesto est argenteus & femineus. Et Rhodianus adhuc ait: Lapis noster est albiss. & citriniss. &c. & in ipso sunt quatuor elementa. In ipsius occulto est caliditas & siccitas, in eius manifesto est frigiditas & humiditas. Id quod est in occulto, est oleum & est de natura solis & ignis: frigiditas autẽ est fumus aquosus, & est de natura aquæ & lunæ. Item Arnaldus: Lapis Physicus est pro parte fixus, & pro parte non fixus, sed volatilis: aliter enim non teneret naturam argenti viui & metalli inter quæ est medium: quia naturæ fixæ coniungitur natura volatilis, & quando est ei iunctum, incorporatur naturæ fixæ, & fixatur vnum cum altero. Item de eius natura volatili dicit Morien. in translatione noua: Quicquid ad hoc opus vel magisterium confeceris, in cuius principio veritatem non inue-

tenerit, inutile est: quod namque boni potest separari, cum ipsa res non saliat, nec secum in mundo commisceatur, ita sc. quod in vnum corpus redigatur. Item de natura eius fixa dixit Rosarius maior, loquens de argento viuo perfectissimo: Laudetur ergo Deus, qui ex vili creauit preciosum, vt cum mineralibus maximum teneat symbolum in natura: & Deus dedit illi substantiam, & substantiæ proprietates, quas nulli cõtingit ex rebus in natura possidere. Vnde ipsum solum est, quod ignem superat, & ab eo non superatur, sed in eo amicabiliter quiescit, eo gaudens: Ipsum namq; solum continet in se totum quo indigemus in nostro magisterio. Vnde hoc argentum viu. continet in se sulphur suum bonum, quod coagulatur in solem vel lunam, secundum diuersum digestionis modum. Et in lib. Lilij dicitur: quanuis autẽ multæ sint gummæ, ex quib. quædã pennas ignis nequeunt sustinere: nam eo diminuuntur: illæ aũt applicationes nostræ, q̃ fiũt ex gumma nostra, & ex honorabili nostro lapide, pennas ignis sustinent, nec vnquam eo diminuuntur, quoniam in igne nutritæ sunt. Vnde mundus philosophus, O quã multi sunt inuestigatores huius gummæ, & quã pauci sunt q cognoscunt eã, de vtraque natura simul. Vnde dicit Rosar. & alius philosophus: In via vniuersali istorum duorũ corporũ coniunctio necessaria est in ista arte ad vtrumq; elixir: quia vnũ alterũ soluit & volatile facit, ac vnum alterum cingit & fixat, & loquuntur de Mercurio, luna & sole, quia omnia hæc tria in vna re existunt. Vnde Rosar. Non opereris nisi cum Mercurio, sole & luna: quia tota ars in istis cõsistit. Non aũt loquitur de Sole, Luna & Mercurio vulgari, sed de nostro Mercurio, qui solẽ, lunam, & sulphur philosophorum in se continet. Et de hoc etiam dicitur in lib. Satur. Cęcus est, qui de re adustibili putat facere artem, cum operatio diuina fit ex pura substãtia, quę in igne perdurat sine aliqua combustione. Omnes enim aliæ res per combustionem ignis destruuntur, & consumuntur, &c. Aurum autem & argentum in arte nostra simul ordines, & habebis totum magisterium: non tamen dico aurũ vel argentũ vulgi. Nam argentũ nostrum, est argentum viu. nostrum, & aurum nostrum est sulphur nostrum. Et hoc totũ nihil aliud est, quã argentum viu. de argẽto viuo, & sulphur de sulphure. Non aũt intelligas ad literam quod ego dixi, nisi figuratiue. In subiecto enim nostro sunt masculus & femina, & similiter sol

& luna. Dixit ergo luna soli, tu me indiges, sicut gallus indiget gallina, &c. Ex his omnib. hoc elicitur secretum: quod sicut duo sunt principia metallorum in natura, sic etiam duo sunt principia elixiris in arte, sc. argentum viu. & sulphur, quę omnibus prædictis nominibus nominantur. Idem quippe est dicere masculus & femina, quod sulphur & argentum viuū. Idem sol & luna: idem pater & mater: idem vir & vxor: idem calidum & frigidum: idem oleum & aqua: idem Auripigmētum & Arsenicum, & his similia. Per hoc enim vnius & eiusdem rei, diuersæ significantur proprietates, & duo colores quos Lapis habet, scilicet rubeus & albus. Inter hæc autem omnia nomina, nomen Solis & Lunæ proprie Lapidi nostro conuenit, sed magis proprie nomen Sulphuris & Argenti viui, & per consequens Arsenici, maxime autem proprie Mercurij nomen præ omnibus sibi attribuitur. Adhuc in lapide nostro sunt omnes planetæ virtute, duo tamen præcipue, scilicet Sol & Luna: quia cæteris prædominatur. Dicitur enim in lib. Mireris: Est eadem vna res quatuor elementa continens, & septem planetas: duo quidem sunt meantes, & quinque non meantes. Et Rhodianus dicit: Sunt omnes planetæ, & eorum imagines in suis locis, sicut in sphæra suis temporibus operantur. Et infra sic: In omnibus corporibus Alchemiæ quilibet planeta suo loco suam facit imaginem vsq; ad complementum operis. Sol ergo & Luna principium tenēt & finem. Et sicut sol à principio occultatur in Lunam, ita in fine occultatus extrahitur à Luna. Lapis autem magis proprie sulphur & Mercurius dicitur: quia horum vim tenet & naturam. Vnde dicit magister Bonus in Postilla quinti cap. Sicut ex menstruo absque semine non generatur embrio, nec ex ouis venti fit generatio auis, quia virtus animæ non est in eis nisi ex spermate maris: sic ex argento viuo nunquam fit aurum neque argentum, neq; etiam elixir absque sulphuris actione: quia non est in eo virtus generatiua nisi per sulphur. Item sicut ex spermate solo, aut semine maris, absque mēstruo & materia feminæ nō generatur aliquod animal, quoniam tota materia generationis & nutrimenti non est nisi ex femina, sic ex solo sulphure absq; argento viuo nunquam fiet aurum, neq; elixir. Ergo oportet ista duo principia simul à natura commixta concurrere ad generationem elixiris: sicut etiam ad generationem metallorum. Sulphur ergo

ergo sua actione digerit argentum viuum, dans sibi tincturã metallicam, primo albã, postea rubeam. Argẽtum autem viuum in sua natura manens, quantumcumq; album & purum non tingit sua caliditate ac siccitate. Et has conditiones lapis noster habet. Propter quod sub allegorica materia lapis dicitur a magistro Bono, Arsenicũ. & non immerito: Quia Arsenicum vtramq; naturam continet, scilicet sulphuris & argenti viui. Arsenicũ enim habet naturas & proprietates, & substantias illorũ cõmixtas: & ipsum scilicet Arsenicũ est obtinẽs vices & vicariatũ illorum, & est principium naturæ per illorũ commixtionem, cum habeat potentias & virtutes ipsorum. Propter quod dicit Geber in Cap. de principijs naturæ in generatione metallorũ: Tria sunt principia naturæ, scilicet argentum viuum, sulphur & compar sulphuris, quod etiam Arsenicum est. Et iterum in eodem capitulo, Principia naturalia in opere naturæ sunt spiritus fœtens, & aqua viua: quam & aquam siccam concedimus nominari. Quia argẽtum viuum in Arsenicum coagulatum est aqua sicca. Sic ergo magister Bonus lapidẽ appellat Arsenicum, vt intelligatur sc. vtramq; naturam in eo esse vnitam in tertia natura, q̃ non sit sulphur vulgi, neç argentum viuũ vulgi: sed est vnum habens eorundẽ virtutes ac proprietates: & etiam vt intelligatur, quod in lapidis nostri sublimatione, primo ad albedinem proceditur: in cuius ventre vera & pfecta latet rubedo. Vnde dicit Morien. Scias quod sulphur, & Arzenech, id est Auripigmentum comburuntur, & à combustione cito consumuntur: quomodo ergo expectatis, aut expectare vultis de eo, quod cito ab ignis combustione consumitur, & in carbonem redigitur, &c. Quod verbum exponens magister Bonus dicit: Quod considerando Arsenicum secundum quod est à natura productum, totum comburitur, quia nunquam sulphur combustibile separatur ab alijs partib. sed omnes simul euanescunt. Similiter etiam in minori opere, si taliter figatur, nunquam ingreditur: sed considerando naturam eius occultam, quæ de natura auri, sic non comburitur: quia partes eius occultæ per profundissimum ingenium separantur à sulphureis. Et ideo videtur quod Morie. sub allegoria sit locutus, sicut ipse & alij philosophi semper consueuerunt.

Lapis quoq; maxime proprie dicitur Mercurius à philosophis, eo quod secundum totam naturam suã habet proprie-

tates Mercurij, & illas retinet in principio, medio & fine. In principio quidem, quia opus incipit à natura volatili, quæ similem albedinem habet cum argento viuo. In medio autem: quia tota materia ad perfectiss. albedinem cum splẽdore cristallino conducitur. In fine vero, quia quamuis extrahatur rubedo de occultis eius, nihilominus tota materia Mercurialis est, quia quanto metalla sunt perfectiora, tanto plus de Mercurio & minus de sulphure habent. Propter quod aurum solũ totaliter spoliatum est a sulphure, post cõpletam digestionẽ: Et ideo magis incorruptibile & magis fixũ est omnibus metallis. Et si quamuis à principio sulphur incipit coagulare & tingere argentum viu. diuersis coloribus, tamen post longam digestionem, argentum viuũ ex se habet potentiã coagulandi & tingendi sine alio sulphure, vel cum paulo sulphure. Vtraq; enim tinctura, sc. albedinis & rubedinis est ab vtroq; spiritu: albedo tamẽ proprie est ab argẽto viu. rubedo vero à sulphure proprie. Cum ergo argent. viu. receperit à sulphure in coagulatione, & digestione virtutẽ & substantiã elixiris: recipiet etiã ab ipso potentiam tingendi & transformandi omne corpus in metallum perfectum, & primo in album in prima digestione, secundo in rubeum in vltimam digestionem. Prima ergo tinctura est ab argento viuo, quam tum recipit à sulphure digerente, cuius signum est, quod omne metallum cum fuerit purificatum, ostendit in manifesto potius naturam argenti viui coagulati, quam sulphuris, propter exuberantiam eius in manifesto. Secunda etiam tinctura est ab argento viuo, quia de eius materia educitur forma vltima. Et hoc modo lapis dicitur argentum viuum Et hoc argentum viuum est ex corporibus extinctum, & est generatum ex argento viuo, & est ex masculo, & coagulatur à suo corpore subito, id est, à sulphure philosophorum, quod nunquam separatur ab eo Et quamuis argentum viuum trahat suum corpus secum ad volatum, tamen subito corpus illud interimit ipsum, & secum retinet in igne. Vnde dicit Rasis in Lumine luminum: Argentum viuum volans & spirituale, totius operis est exordiũ, & radicem firmat. Vnde Sol, vt ibidem dicitur, in hoc loco albedinis natura volente, muliebrem suscipit formam: sed quia rubor præualet tribuitur Soli: Quãuis enim solide & vere sit rubeus, tamen primo promit ad albedinẽ propter naturã argenti viui, in quo est radix rubedinis occulta, quẽadmodum

minium

minium in cerussa. Vnde Pythagoras inquit:Sol est albus apparitione, rubeus vero experimento.Propter hoc Rasis hoc aurũ albũ vocat corpus neutrũ.Et quando hic Mercurius oritur simul cũ eo,in ventre suo oritur sol & luna. Sol vero simul ascendẽs retinet & figit Mercuriũ, abscõdens eũ in ventre suo. Vnde si sol simul cum Mercurio nõ ascenderet volando,nõ vniretur ei,nec figeret ipsum.Per hoc.n., quia simul ascendũt, vnum recipit virtutẽ super aliud. Et ideo tunc spiritus vincit corpus,& corpus spiritum, & conuertuntur ad vnã naturam. Vnde concludit Magister Bonus in V.ꝙ origo istius radicis & firmamẽtum est dictus Mercurius sublimatus,purgatus,mũdus & candidus.Et de hoc argento viuo dicit Rasis,ipsum desiccat,humectat,infrigidat & calefacit, & facit operas cõtrarias secundũ suum cõdimentum. Et Geber dicit in lib. Denudatorũ in cap.de Auro:Si non posueris Leuamentum, totam amittes confectionẽ. Quia si argẽtum viu.ascendens in sublimatione,simul in vnum cum suo corpore, nõ potest separari ab eo,nec ecõuerso secundũ substantiã & locum. Necessario ergo aut simul recedent,aut simul manebunt. Si vero corpus receperit vim & dominium supra spiritũ, tunc cõuertit ipsum ad naturam suam, & sic permanebunt de cętero in æternum. Si vero spiritus receperit vim ac dominium supra corpus, tũc simul euolant, & annihilatur opus. Et huius speculatio est pulcra: quia omnis res generabilis & corruptibilis habet suũ contrarium in se ipsis in potentia, quod potest deduci ad actum absq; præsentia & permixtione contrarij sui exterioris. Et in isto modo quod erat fixum in potẽtia,in nõ fixum reductum in actu,retinet non fixũ.Vnde Geber ait:Si summa volatilis superauerit sum̃am fixi,volabit cum ea:si aũt summa fixi supauerit summam volatilis, figetur simul cũ ea. Planum aũt est quod fixũ superans volatile,perfecit opus: volatile aũt superans fixum perimit,& annihilat opus. Vnde in Tur.dicitur: Irritate bellum inter æs & argẽtum viu. quia pariter tendunt, &c.Irritare bellum est destruere ipsum.sc.eo tempore quando volunt pacificari post bellum, & hoc est Solis & Lunæ, Sulphuris & Mercurij. In quo oportet toties facere fixũ volatile & ecõuerso,quousq; simul figãtur,& fluant in verũ lunificum & solificum,alterãdo.Et hoc argẽtum viu.despõsatur cum auro, & econuerso secundum philosophos.Et quia vna substantia est subiectum fixi & volatilis,possibile est,quod fixum cum

volatili ascendat, & econuerso volatile cū fixo fixetur. Et hoc totum fit in vno vase, absq; manuum cōtritione. Ex his ergo patet, ꝙ lapis proprijssime vocatur Mercurius, quāuis etiam nominetur aurum philosophorū de argento viu. extractum, & plurib. etiam alijs nominib. infinitis.

Quarto de lapidis generatione dicit Zinon: Hic lapis cōponitur ex lacte volatilium. Et in lib. qui dicitur via vniuersalis. Sunt autē necessaria hæc duo spermata in arte ista, sc. masculinum & femininū, & oportet quod spermata habeāt idoneum conceptaculum, vel receptaculum suæ substātiæ & suæ naturæ consonum. In quo, vt quidā magnus philosophus inquit, suas perfectiones exerceāt. Et istud vas est Luna, & ideo dixit Hermes, mater eius est Luna. De suis autē cōditionibus sensibilibus & signis dicit Morien. in Castrensi: tactus huius lapidis est mollis, & est maior mollities in eo, plus quā in suo corpore. Pondus vero illius multum est graue, & eius gustus dulcissimus, eiusq; substātia vel natura aerea: & eius odor ante cōfectionem est grauis & fœtidus, & assimilatur odori sepulchrorum. Item philosophus Marchonys ait: Hæc res vffi, tuffi appellatur: postea fit eius odor bonus & suauis, & nihil remanet in eo obscuritatis & fœtoris.

De regimine lapidis in genere.

CAP. XII.

Dicto de materia lapidis, nunc dicendum est de Regimine eius. Multi enim sciunt lapidem, sed regimen eius ignorant. Vnde scire oportet, quod etsi multi in hac arte operantes, imo pene infiniti errant, in cognoscendo materiam propriam & immediatam lapidis: longe plures ac multo magis falluntur & decipiūtur in eius gubernatione, & ideo paucissimi ad perfectionem lapidis perueniunt, & de mille vix, vix vnus. Vnde in via vniuersali dicitur: Vix aliquis hoc opus excellentis. ad finem optimum sine impedimento perducit. Et oportet artificē huius magisterij cum multis laborib. & erroribus ad perfectionem eius peruenire. Et in li. Satur. dicitur: Multi habent lapidem nostrum & cognoscunt, sed nesciunt eius virtutē: & si scirēt virtutē nihil valeret, nisi scirēt etiam eius operationem. Operatio autem nō potest sciri, nisi per inspirationem Dei, aut per doctrinā & institutionē magistri. Rhodian. quoque dicit: In hoc opere Alchémiæ multi

errant,& pauci perueniunt ad eius perfectionem. Huius autẽ causam assignat Hamis in Turb. In dicto nostro lapide, humor aereus subtilis cum aquoso,& aquosus cum terreo sicco, ita sunt coadunati homogeneẽ: quod vix vel nunquã nisi subtilissimo artificis ingenio,ab inuicẽ separari possunt: Beatus ergo ille qui tantã ingenij subtilitatẽ adeptus est in hoc mundo:quoniã absq; huiusmodi separatione, omnes practicãtes, seu operantes in vanum laborauerunt. Et quia tamen est difficultas in huiusmodi separatione,ideo nemo,vel vix vnus inter omnes mundi philosophos ad ipsum peruenire potest cũ effectu. Non ergo quisquã iactet se scire hunc, vel artificem esse, nisi sciat prædictos humores in dicto lapide sequestrare. Qui vero sciuerit facere hanc separationem,& puriores partes, scilicet aereas,spirituales,subtilissimas, in vnũ naturaliter adunare,& ex ipsis medicinã formare,erit indagator preciosæ pfectionis,& ideo Morien. operantẽ cautum reddit,dicẽs: Hęc est huius rei radix vt qui eam addiscere voluerit, eius doctrinam primo à magistro accipiat,postea magister coram discipulo frequẽter pertractet eam. Sunt enim huius scientiæ plura obstacula:& multa distantia est inter sapientes & insipientes,& inter cæcum & videntẽ: Nec ille qui dispositionem huius magisterij per probationẽ rectè cognouerit, est vt ille,qui adhuc in eius inquisitione per libros persistit. Ex his elicitur quod operatio qualiscumque sit, necessatio est in hoc physico magisterio. Dicit enim Rosar.& Costis philosophus: Quãvis autẽ noster lapis iam in se naturaliter tincturam cõtineat, quoniam in corpore magnesię, id est terræ (fatuus quidã delinanda addidit gallinæ) perfecte creatus est: attamẽ per se motum non habet,vt fiat elixir completũ, nisi moueatur arte & operatione. Quare per philosophum dictum est. Fili extrahe à radio suam vmbram. Etiam dicunt hoc Mundus, Theophilus, Hermes. Igitur operatio nobis necessaria est, sicut vides in infante,qui quantũ ad creationẽ attinet,nascitur perfectus: imperfectus tamẽ quoad operationẽ, nisi nutriatur. Ideo diuersæ artes adinuẽtæ sunt à philosophis,vt ait quidã philosophus vt compleatur ab arte ꝙ est à natura derelictum. Delirat qui falsa imaginatur, aut vera quæ non expedit,fatur. Finis autem huius operationis est,vt dicit Geber,vt in lapide nostro melioretur tinctura eius plus quã est in sua natura. Et Bonell. ait: Ex elementis nihil fit absq; regimine sũma ratione directo,&c.

Quale regimen in speciali necessarium est arti.

CAP. XIII.

SEd quale regimen huic arti sit necessarium, deinceps perscrutandum est. Quibusdam autē visum fuit, quod regimē lapidis solum opus naturæ, ita quod artista nihil aliud agat, nisi ipsum in vase claudere, & in aere suspendere vmbroso, & à turbinibus quieto, vel interna sepelire, cum hoc obseruatis congruis temporibus anni, mensiū, dierum & horarum, atq; opportunis cursibus planetarū & astrorum, ita quod reliqua omnia natura peragat vsque ad complementum. Et sic lapidis regimen nō esset aliud, quam applicatio ad debita loca & tempora. Quod videtur ex hoc probari, quia ipsa metalla in viscerib. terræ, lapides quoq; & cætera mineralia atq; nascentia solo calore & virtute quæ à corporib. cælestibus causantur, ad suū complementū ꝑducuntur. Et Rosar. inquit: Sufficiat autē tibi, materiā sufficiēter disponere extrinsecus: quoniā ipsa sufficienter intrinsecus operatur, ad sui perfectionem. Habet enim motum sibi inhærentem secundū vnam viā & vnum ordinē meliorem ac certiorem q̃ possit ab homine cogitari in creatione cuiuslibet generati. Ideo tantū præparamentum esse debet magisterio philosophorum. Quia natura, nisi impedita fuerit per contrarium, non potest præterire motum suum certum, antequā habeat tempus ad imprægnandum, ad parturiendum, ad nutriendū, ad operandum. Et similiter etiā ex hoc argumentum trahitur: ꝙ philosophi dicunt, decoctionem lapidis faciendam esse in calore Solis. Similiter etiam ex hoc, ꝙ philosophi annū in quatuor tempora distinguunt, & secundum horum varietatem dicunt, Lapidē esse regendum. Dicit enim Zinon in Turb. Annus diuiditur in quatuor partes: prima est hyems frigida & humida: secunda est ver, calidum & humidum: tertia est æstas calida & sicca; quarta est autumnus frigidus & siccus, iuxta hunc modum oportet nos duas naturas regere. Dealbate ergo, &c. Et quidam versificator dicit:

Dic mihi, quid numerum geminatis viribus auget:
Hoc natura facit, specierumque insita virtus,
Astraque sub cælo recto gradientia cursu.
Imo ars natura disponens ordine vires.
Ars ergo & natura facit, si deficit vna,
Cassa erit alterius quamuis miranda potestas. &c.

Multa alia sunt, quæ de hac re scribuntur: sed siquis libros philosophorũ perlegẽdo, diligenter rectéq; examinauerit, inueniet ꝙ lapidis regimen sine calore ignis per artem administrato perfici non potest. Omnes enim philosophi ponunt magisterium fieri cum igne. Vnde Morien. inquit, Fornacem philosophorum construas, in qua ignem physicum accendas. Et idem, maxima huius operis efficacia in suo igne perpenditur: nam cum eo mineræ aptantur, & male animæ in suis corporib. retinentur, & cum eo animæ cum corpore coniunguntur, & ignis est tota huius rei vera atq; perfecta probatio. Et nõ intelligitur ex hoc quod calor naturæ sufficiat, sed oportet ignem elementarem exhibere seu administrare, sicut patet ex alijs eiusdem verbis, quæ infra ponuntur. Idem dicitur in lib. Satur. totum regimen nostri operis consistit in igne, in vase & clausura. Et certe sine ipsis magisterium perfici non potest. Item Rhodian. ait: Opus Mercurij quod est sperma sanguis & caro, ita creantur in ventre Athanor, sicut infans in ventre mulieris. Et Bonedus ait: Ex elementis nihil fit vtile absq; cõpositione & regimine, eo quod sperma ex sanguine & libidine generantur, &c. Si enim humiditas vteri & calor non esset, sperma non maneret, neque fœtus perficeretur. Fœtus autem extractus non nisi lacte nutritur, & igne parce & paulatim dum paruulus est, & quando magis, &c. sic & te oportet in hac operatione facere: sciasque quod absque calore nihil vnquam generatur, &c. Item certum est, quod oportet in generatione metallorum calorem esse continuum: quoniam seruaretur in suis vasis mineralibus, sed non conseruaretur, nisi mons esset solidus, & frigus circumstans calorem compelleret ad inferiora, & stringeret. Ergo à simili: Lapidis decoctio in elixir necessario fit cum calore continuo in vase apto conseruato, quod fieri non posset in libero aere: quia nunc frigore nimio, nunc humido excessiuo, nunc alijs alterationibus decoctio variaretur. Et ideo dicit Albertus Magnus in libro tertio mineralium. Hoc agit calor ignis in Alchemicis, dũmodo sit temperatus, quod agit calor solis in mineris: quia in vtroque virtus planetarum & stellarum recepta, defertur ad vasa, rebus ipsis infunditur. Similiter oportet ignem in generatione elixiris esse maiorem, quam in generatione elementorum: alioquin si idem esset vtrobique æqualis, oporteret etiam vnum esse tempus æquale vtraque generatione: & sic in millibus annorũ

elixir

elixir non perficeretur. Quare vt dicit magister Bonus in V. capitulo: Aliud est regimen eiusdem rei cum igne cum vtrobique sit calor. Propter quod & aliud tempus est in generatione auri, & aliud in generatione elixiris. Ex quo sequitur, quod oportet alium calorem adhibere, & intensiorem, & magis continuum per artem, quam natura ministrat. Sic enim ars supplere valet longitudinem naturalis operationis. Vnde Rosarius ait: Solicite regimina exerceas, & ad virtutem pervenies: quod quidem nec per se, nec miraculose, vt forte putas, sed arte & operatione artificis cum sagaci ingenio perficitur. Vnde philosophi similiter ponunt, quod hoc opus est ars mulierum ac puerorum ludus. Et hoc ideo dixerunt, quia mulierum opus est coquere: non autem coquitur sine igne: ergo nec hoc opus fit, vel fieri potest sine igne. Sic ergo igne ab exteriori ministrato, per artificem perficitur. Verũ ex hoc nõ concluditur, quin etiam natura operetur. Natura enim omnia perficit, & artifex solum applicat res necessarias, & inter cætera ignem, vtpote maxime necessarium. Cum enim ipsa materia partim sit fixa, à principio administrandus est sibi ignis & vsque ad finem continuandus, temperatus tamen, vt materia paulatim assuescat ignem sufferre, donec vltimo tota figatur, vt nullum omnino ignem pertimescat. Hic enim est finis artis, vt generetur sulphur, siue elixir omnino incremabile: sicut etiam finis naturæ est, vt generetur aurum, quod in igne non diminuatur. Hoc autem per nil aliud fit conuenienter, sicut per ignem: quia sic paulatim virtute ignis roboratur, & ad incorruptibilitatem appropinquat. Regimen ergo huius artis est ignis, calor, & non solum calor naturalis, vel lapidis, vel cælestium lunarium: nec est necessarium obseruare ortus & cursus cælestium signorum, aut aspectus planetarum, vel tempora anni, aut dies vel horas, nisi quantum pertinet ad bonitatem radicis, de qua posterius dicetur. Quia huius nostri Lapidis generatio est omnino naturalis sicut aliarum rerum, quas natura producit, & eius effectus similiter, quamvis diuinus & cælestis sit dicendus propter suam excellentiam, corporalis, nec non & spiritualis: qualis est imaginum & annulorum. Cuius signum est, quod eius quælibet pars, eandem virtutem habet cum toto, & tantum valet contritus, aut liquefactus, quãtum integer: nec in eius generatione iustum est vnquam ab aliquo philosopho obseruare chara-

ćteres,

ćteres, verba, fumigationes, aut alias ceremonias magicæ artis proprias. Et hoc est quod docet Liliũ considerare in hoc opere quatuor tempora, & signorum cursum ac planetarum: licet in aliquibus hoc reperiam scriptis, non oportet tamen. Nam quasi omnia quæ in hac arte vel scientia sunt scripta ad occultandum eam, non vt in cæteris scientijs dicitur: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

QVOD AD REGIMEN PERTINET, *bonam habere radicem.*

CAP. XIV.

ANte omnia autem oportet lapidis philosophorum radicem esse optimam: alioquin nihil fit. Dicit enim Morienus: Maior radix huius operis est in inquisitione specierum, quæ sunt meliores ad magisterium. Nam vnaquæque minera multorum est generum. Et in libro Saturni dicitur. Accipe lapidem nostrum de summo bono, & non recipias ipsum nisi recentem cum suo sanguine toto. Item in via vniuersali: Species nouæ meliores sunt quã antiquæ. Et Mundus in turba: Caueatis ne æs capiatis nisi purum & mundum. Ad hoc ergo quod radix sit optima, oportet præcipue tria circa ipsam attendere. Primo quod ex optimis corporibus extrahatur. Ex bonis enim arboribus boni fructus colliguntur, & ex melioribus arboribus meliores gummæ effluunt: & ex melioribus gallinis meliora oua procreantur: & bonus pastus bonas ac pingues facit carnes. In genere gallinarum meliores sunt nigræ quam albæ. Inter complexiones melior est sanguinea & cholerica: inter ætates melior & magis robusta est iuuentus. Vnde Rosarius dicit: Non comedes de filio, cuius mater menstruum patitur: sed si comedis de pinguiori carne comede, & habebis aurum. Et in libro Saturni dicitur: Non comedas de filio cuius mater sit leprosa: quia si puram substantiam habemus, purum corpus creare possumus: & si masculus fuerit leprosus & femina leprosa, necesse est corpus leprosum generare. Vnde si purum corpus creare volumus, oportet nos habere purum masculum ab omni sorde mundum: & puram feminam ab omni sorde mundam, & similiter purum semen clarum ab omni sorde mundum. Et Raymundus de terminis inquit: Accipe gummi de India, si habere poteris, quod est gummi nigrum & clarum in manifesto, & rubeum in occulto, aut de Hispania, & coniunge simul masculum cum femina, &c.

Secundum circa quod attendere debes, est, quod femina impręgnetur suo semine masculino. Est enim lapidis generatio, quasi similis generationi hominis: quia oportet concurrere semen vtriusque, maris scilicet & feminæ. Omnis enim virtus generatiua animæ, est à semine maris. Vnde sicut ex ouis venti non generatur auis: ita ex ouo philosophorum non generatur lapis, nisi femina à suo semine, scilicet à suo mare fuerit impręgnata. Et hoc semen est virtus ignea penetrans & tingens, & est coagulum coagulans menstruum, & est anima seu spiritus subtilis viuificans. Et propter hoc quidam philosophus ait: Sicut homo non potest generari sine coniunctione viri & mulieris, sic medicina nostra sine coniunctione maris & feminæ. Mas enim est calidus & siccus, femina vero frigida & humida. In vtriusque autem coniunctione contemperatur caliditas cum frigiditate, & siccitas cum humiditate: quia non conuenienter generatur animal, si excedat caliditas frigiditatem, & è conuerso, vel siccitas humiditatem & è conuerso. In vtriusque autem commixtione extrema contraria reducuntur ad mediam dispositionem, scilicet ad temperatam caliditatem. Vita enim viuentium in calido & humido consistit, supple, temperato, vt habet doctrina Aristotelis: sic per omnia de lapide nostro vno est: qui non solum compositus est ex duplici natura, scilicet masculo & femina vt supra dictum est, ratione cuius ad se inuicem agunt & patiuntur, perficiunt & perficiuntur, vt in sequentibus apparebit: sed etiam ex sua origine prima, ex spermate masculi & ex spermate feminæ & menstruo concipitur, & nascendo oritur: propter quod animal dicitur, quia in potentia vitam habet, & semper vtique volatilem: nisi in sterquilinium mittatur. Et quia animal domesticum est, quidam ipsum non immerito hominem nominauerunt. Vnde in libro Saturni, de huius lapidis procreatione prima & secunda dicitur, Si masculus cũ femina coniungitur per temperamentum, mediante spermate, necesse est ex menstruo generationem fieri. Et quidam alius Philosophus ait: Illa res, de qua lapis fit, vocatur Rebis, id est res bis composita, vel res ex duobus composita. Et vere dixit, quia simul vel semel in ventre terræ, id est, matris compositus vt nasceretur, & altera vice in vase vitreo componitur, vt in elixir perficiatur. Ex duobus autem composita, ex spermate maris & menstruo feminæ, id est, ex rubeo & albo nasci-

nascitur, etiam inter duos montes, qui sunt pater & mater. Alij tamen inter duos mõtes, id est sulphur & argentum viuum, vel solem & lunam: sed hi proprietatem lapidis in se ipso considerant: illi vero suam originem demonstrãt: quia ex masculo & femina genitus est: & ideo maris & feminæ proprietates in se retinet & conseruat.

Tertio quod attenditur est, quod in optimo tempore adsumatur: tunc enim quælibet res ad humanum venit vsum, quando in sui natura & perfectissima est. Lapis autem noster, sicut vbiq; reperitur, ita & in omni tempore reperitur: sed nõ in omni tempore æqualis virtutis est sicut nec in omni loco. Quælibet nascentia suum tempus proprium habent: quilibet fructus & plantæ tunc meliores sunt, cum maturi sunt: sic Lapis noster melior est ex duobus: primo ex tempore, scilicet quando nascitur in vere. Alia cum gummi æstiuo calore maturatur & effluit. Nostrum enim gummi verno tempore optimum effunditur. Quia enim sanguinis humani naturæ maxime approximat, & generationi animalium appropinquat: sanguis autem in vere maxime augetur, & animalia ad commixtionem incitantur, & aues ad cubandum: ideo tunc lapidis nostri materia eligi debet, & ad opus conuenientissime tunc applicatur, vt auis noster volans producatur, siue plumata, siue deplumata. Vnde dicit Raymundus de terminis. Ponatur autem Lapis in vase physico in principio veris sole existente in Ariete. Hoc enim tempore, vt ait Raymundus Marsiliensis, magis augmentatur calor & humiditas, similiter sanguis & cholera simul. Et ideo etiam hoc elementum lapidis magis abundat in vere, & hoc modo natura iuuat artem, & tempus opus, & plantæ magisterium. Secundo ex nouitate fructus: recentes meliores sunt antiquatis, si sunt maturi: Quia ex singulis rebus genitus, à suis radicibus auulsus, paulatim mitius extrahitur, quousque totaliter corrumpatur. Noster autem lapis tenerrimus est, & cito virtus eius exhalat, nisi nostro calore nutriatur. Et ideo aliquantus operi nostro non congruit, sicut antea dictum est. Sed recens est omnino incorruptus, &c.

Quod ad regimen spectat habere vas opportunum.

CAP. XV.

EST & aliud quod ad ipsum regimen est necessarium, scilicet vas aptum confectioni lapidis. Cognita ergo radice

dice bona, quod est prius, oportet cognoscere vas, quod est posterius: in quo sicut in proprio loco lapis gignitur. Vnaquæq; enim res in loco sibi conueniente generatur. Huius ergo lapidis vas tam admirabile, est valde necessarium. Vnde dicit Morienus: Si sapientes suas expositiones de qualitate vasis, in quo conficitur creatio lapidis, non inuenissent, nunquã ad perfectionẽ magisterij peruenire potuissent. Ostendi.n. superius, ꝙ hoc magisterium non multu distat ab hominis creatione: hominis autem creatio non nisi in ventre materno perficitur. Animalia enim in ventre matrum, calido humore temperato, ex spermatum cõmixtione aluntur & perficiũtur, vt dicit Morienus. Metalla siquidem in ventre terræ decoquente gignuntur. Fœtus in vtero & pullus in testa procreatur. Oportet autẽ conditionẽ vasis coniecturare ex natura lapidis. Lapis quippe philosophorum non perficitur, nisi tota eius virtus retineatur intra vas suum. Quare oportet vas, in quo hoc magisterium agitur, primo esse fortiss. quod ignem sustinere possit. Vnde dicit Lilium: Hoc autem lapideum & circulare vas non timẽs ignem esse oportet, & non porosum sed valde solidum. Vnde dicitur in lib. Saturni: Multi fecerunt vasa de terra, & de ferro, & inuenerunt tandem se deceptos: quia spiritus fugiũt per poros, & ideo ad perfectionẽ magisterij nõ potuerunt peruenire.

Tertio ꝙ sit vitreum ex vna sola materia. Vitrum.n. in igne creatur: & ideo fortius omnib. ignem sustinet. Est etiam vitrũ solidũ. nec habet poros: ideo spiritus in eo exhalare non possunt, vt dicitur in eodẽ lib. de alia autem materia quacunq; nõ valeret. Quarto ꝙ sit bonum, & spissum. Vnde Lilium: Pauca enim vasa ex his vasis lapideis, quib. vitrearij vtuntur, durant, quin & corroduntur in opere, vel scinduntur. Ideo dicit Morienus: Et pone cõmistos in vase spisso. Et in via vniuersali dicitur: Ponatur quælibet pars seorsum in vrinali vitro duplo.

Quinto quod sit ventre rotundũ, & collo longum & strictũ. Vnde dicit Pandulphus & Horsoleus. Rotundũ sit vel factum in modum cælestis lunæ. Et in via vniuersali dicitur: Vasa autem vitrea sint, q̃ habeant fundum rotundum & collum longum ad mensuram dimidij pedis vel circa os strictum, ita tamen grossum, quod possis pollicem introfigere, & sint formata ad modum phialæ, & sint spissa & fortia: aliter istam aquam tenere non possent, sed præ nimia eius fortitudine frangerentur.

Sexto

Sexto, vnum tantum vas sufficit. Vnde Lilium ait: Sciendum est philosophos huic nostræ operationi tantum vnicum vas attribuere: quia omnes de operatione loquentes, semper dicunt de vase in singulari. Vnde Bonell. ait: Suo imponite vasi. Xistus quoque ait: Suoque imponite vasi angusti oris. Et in lib. Saturni, Totum perficitur in vno vase, & non in pluribus. Et Geber: Et totum istud fit in vno furno & in vno vase. Hoc est ergo vas mirabile, quod à diuersis nominib. nominatur. Dicitur enim primo vas philosophorum, frequẽter à solis philosoph. inuentum tanquam magis congruum operationi lapidis. Dicitur etiam ouum philosophorum: quia ad formam oui dispositum est, & dicitur sublimatorium, ex eo, quia in eo lapis sublimatur. Dicitur etiam cribrum: quia in eo lapis guttatim sicut per cribrum aqua descendit. Vnde Mireris dicit, Suo cribro ipsum cribari oportet. Dicitur adhuc sphæra, quia ad illius similitudinem factum est. Et quia in eo lapis superius & inferius voluitur & rotatur sicut in suo orbe circulariter. Vnde Mireris ait, Sphęra sphęrate & inuenietis. Et Ascanus: Aurũ cribro sphæræ septies cribrari oportet. Dicitur etiam sepulcrum, quia in eo lapis sepelitur, & ignis operatione moritur, vt dicitur in Symbolo. Appellatur præterea Carcer: quia in eo mascul⁹ & femina violenter detinentur. Dicitur & Leo antiquus, & Leo viridis à Morione: quia fortis est vt leo. Vocatur etiam Vrinale, Cucurbita, Boccia, Phiala, Ouum, & alijs multis nominibus nominatur.

QVOD MODVS IMPONENDI LAPIDEM IN *suum vas est varius, & scire quis congruus & quis incongruus, est necessarium.*

CAP. XVI.

MVlti sunt qui lapidem cognoscunt, qui tamen ipsum incongrue imponunt in vas, & ideo non efficiunt, ꝙ quærunt. Et circa hoc duplex est error. Primus quidem eorum, qui masculũ à femina separant, & masculos masculis seorsum, & feminas feminis seorsum copulãt. Et hi decipiuntur ex verbis philosophorum, de quibus somniauit Alphytris Atisleus, quando iuit per fundum maris & inuenit regem & gentes suas, qui non generabant: qui applicabant inconuenienter mares maribus, & feminas feminis, & coniunxit

iunxit filium regis sorori suæ, & statim fuit mortuus filius regis: &c. Secundus error est illorum, qui totum lapidem terendo commiscent, & post commixtum imponunt. Et hi similiter falluntur ex philosophorum scriptis. Dicit enim Morien⁹: Recipe fumum album & rubeum, & effunde ambos, & pene commixtos in vase spisso, &c. Et Arisleus ait: Accipite corpus quod vobis demonstraui, & inde tabellas tenues coaptate, & similia: Sed philosophi optime dicunt, si ipsorum verba bene attendãtur. Oportet enim quatuor ex huiusmodi impositione obseruare. Primo quidem quod simul masculus & femina, Sol & Luna, sulphur & argentum viuum, rubeum & album, quæ sunt idem, in vas ponantur: nec vnquam vnum ab altero separetur: Quia scriptum est: Quos Deus cõiunxit homo non separet: Et superius dictum est, quod masculus sine femina generare non potest, nec è conuerso, & quod fixum non fixum fixat, necessario concurrunt ad generationem metallorum in natura. Sol vero & luna ad generationem Elixiris in arte, & similiter in natura coniuncta. Vnde dixit Mireris: Accipe lapidem & simul commisce in albo rubrum inferri: fac sicut fermentum in pasta. Et Mundus in turba: Caueatis ne æs capiatis nisi mũdum & purum. Ista duo sapienter vasi imponite & orate Deum, & hunc lapidem videatis in opere mixtum. Ex quo sequitur, quod non ante impositionem miscendum est per artificem: sed post per naturam & operationem. Et sic verbum Herm. intelligitur, Accipe lapidem Auri, & humori sc. aquæ permanenti commisce.&c. Et iterum nisi esset fermentum non coagularetur aqua. Propter quod a Maria prophetissa appellatur Coagulũ, coagulans. Sic intelligitur quod superius dictum est. Et pone commixtos in vase, hoc est commixtos à natura. Vnde quidam magnus philosophus ait: Cũ muliere virum claude in eodem sepulcro. Et Socrates ait: Arcanũ operis fit ex masculo & femina, vi enim masculi recepta, gaudet femina, &c. Et Raymun. de terminis inquit: Coniunge simul masculum cum femina. & in via vniuersali duorum spermatum: In hoc opere non oportet esse quietum, donec permisceantur, &c. Et in horũ figurã inquit Hermes, Sol me⁹ & radij mei intranei sunt in me. Et hoc est somnium Rasis ad Euthesiam, de homine neci dato, habẽte corpus albũ vt sal, & caput aureũ ac diuisum in circuitu, &c. Et hæc est visio senio-

ris,

ris, qui vidit in carcere Ioseph sphærã solis & sphęram lunæ. Et Artet⁹ ait: Recipe masculũ & feminã purgatos, & æquis põderib. simul funde: ita per feminam concipiat masculũ, vt de masculo nihil videatur: deindę in laminas subtilissimas deducas: deinde scindatur, & in domum vitream ponantur. Rasis quoque in Turba ait: Filij doctrinæ introducite vitrũ citrinum cum vxore sua in balneum post coniugium. & iterum in turba: Effodiatur ergo sepulcrum, & sepeliatur mulier cum viro mortuo in fimo equino, id est, coquãtur in calore humido, quousque sponte iungantur, &c. Violenter ergo miscetur, sed sponte non per contritionem, sed per calorem, non extra vas, quia prius à natura permixti & coniuncti sunt, sed in vase, quia ibi totaliter vniuntur. Et ideo in principio resident in fundo vasis sicut lapilli: vnde Arnaldus ait: Recipe de aqua puri solis, & de aqua puræ lunæ simul mixtis & vnitis, & pone in vas vitreum extra solem: & tunc erunt sol & luna residentes sicut parui lapides. Ex his intelligitur, quod lapides imponi possunt in vitrum in numero quouis ad libitum. Et ideo vas sit concauum & bonę capacitatis. Secundum enim multitudinem materiæ oportet vasis multitudinem seu capacitatem statuere. Debet autẽ semiplenum tãtum esse: imo securius est, vt 3. tantum pars sit plena & duæ vacuæ, & minus etiam. & ideo dicitur in lib. Satur. Pone vas cum materia in scutella habente cineres in spissitudine 2. digitorum, & stet supra ignem in furnello, & solum 3. pars vasis sit cooperta cum cinerib. cõpressis, & firma bene vas ne pendeat ad partem, &c. Quamuis autẽ lapis possit in numero pari vel impari: tamen numerus impar magis est mysticus & diuinus. vnde Raymund. de terminis satis expresse dicit. Pone autẽ 25. sorbilia in vase clauso, & apta vas in balneo philosophorum, ita quod calor solis vbique possit vas circundare: & Senior sub figura vidit 9. aquilas, & statuã in medio super cathedram cum tabula marmorea in manib. & duas aues, vnam cum alis & aliam sine alis: vna tenebat rostro caudam alterius, & è cõuerso, & sphęram solis sphęrã lunæ, &c. Secundo quod Sol siue masculus ponatur integre. Ideo admonet Mundus in Turba: ista duo sapienter vasi imponite. Dicit autẽ, sapienter, quia cauendum est, ne casu rumpatur sphæra solis: si autẽ casu rumperetur, sol debet iterato extrahi: Facile extrahitur si culmus vel calamus subtilis,

politus tritici,abſciſſis nodis propellatur vſq; ad ventrem vaſis & infigatur. Sic enim facile imponetur, ſi fiat cāna vitrea, ſubtilis,&c.Theophilus in Turba: Accipite magneſiam albā & aquam viuam maſculo mixtam, & terite coquēdo non cū manib. quouſq; fiat tenuis aqua. Et alius quidam philoſ. ait. Oportet autem albumen cum vitello integro ponere, & cito claudere: quia cito euaneſcit virtus ſpiritus niſi clauſura retineatur. Vnde & Ioan. Teb.Ouum caue ne frangatur,ac⁹ ne interimatur in ſolari circulo,vitellum ſcias latitare,qui in ouo rubificare nitorem vis rubedinis.

Tertio quod nihil ſubiungatur,nec aqua nec puluis,ſed ſolus in vas ponatur. Vnde Geber: Eſt enim vnus lapis,vna medicina in qua magiſterium conſiſtit: cui non addimus rē extraneam,nec ab ea diminuimus, niſi ꝙ in præparatione eius ſuperflua remouemus.Et Diomedes in Turba ait: Venerabili vtimini natura, quoniam natura nō emendatur niſi in ſua natura: quibus noli alienum introducere, nec puluerem nec vllam rem. Et Roſarius ait: Si aliud extraneum ſibi addatur, ſtatim corrumpitur.

Quarto priuſquam imponatur ſuperflua ab eo remoueatur. Et hæc eſt eius mundatio, poſt primam eius purificationem, quæ per infuſionem completur, nihil ſuperfluum, nihil diminutum in noſtro lapide reperitur. Effuſio ergo eius eſt purgatio, in ſua quippe natura Lapis puriſſimus eſt: vnde in via vniuerſali non fecimus mentionem de purificatione terræ noſtræ albæ & rubeæ: eo quod ſatis purificatæ & mundatæ inueniantur venales: eius tamen purificatio ſufficiens eſt, vt educatur extra domum ſuam, & in alienam domum includatur. In propria domo generatur auis volans, & in aliena domo lapis tingens, vtraque auis volans ad regū menſas & capita ſalit. Quia artem hanc apparentem, vtraque auis, plumata ac deplumata dedit, hominumq; conſortia relinquere neſcit. Pater eius pigros ad loborandum excitat, mater fatigatos laboribus paſcit filios, delicatos recreat artus & ornat.Rumpe ergo domum, frange parietes, puriſſimum inde extrahe ſuccū cum ſanguine; coque vt edere poſſis. Vnde dicit Arnaldus in libro Secretorum: Purga lapidem:tere portam: frange caniculam: elige carnem teneram, & habebis rem optimam. In vna ergo re omnia membra latent,

tent, omnia metalla lucent. Horum duo ſunt artifices, duo vaſa, duo tempora, duo fructus, duo fines, vna ſalus, &c.

QVOD CLAVSVRA EST AD REGImen neceſſaria.

CAP. XVII.

NOn ſolum oportet vas eſſe fortiſſimũ, ſed etiam clauſuram munitiſſimam: quia ſicut dictum eſt, niſi ſpiritus ſubtiliſſimi retineantur, totum magiſterium ꝑditur. Statim autem vt lapis impoſitus eſt vaſi, incipit propter anguſtiam carceris ſudare, & ſubtiliſſimæ partes exhalare, & quanto diutius coquitur, tanto ſpiritus magis multiplicantur, ſubtiliantur & fortificantur. Et ideo ſtatim ab initio oportet vas claudere, & forti ſigillo obſtruere, ne flores fugiant, & totum magiſterium amittatur. Quid iuuaret fortiſſimum vas habere, & non eſſe clauſuram eius firmam & optimã? Nec etiam ſufficit ꝙ ſit firma, niſi etiam ſit ſolidiſſima: ꝙ tunc eſt, quando nullo modo eſt poroſa. Omnes ergo philoſophi fortem clauſuram perſuadent. Dicit ad hoc Mundus, vaſis os firmiter claudite. Theophilus ait: Vaſis autem os firmiter claude, ne flores fugiant. Artephus, In domum vitream ponatur, & cum cemento fortiſſime cooperiatur, ne aer intret, & humiditas introcluſa exeat. Et in libro Saturni dicitur: Pone lapidem noſtrum cum tota ſubſtantia ſua in vas noſtrum, & claude optime ne reſpirare poſſit. Et Morienus dicit: Claude os vaſis cum bitumine ne venti euadant: In longum enim venti in vaſe multiplicantur & calidiſſimi efficiuntur, ita vt ſit periculum vel quod vas frangatur, vel ſigillum rumpatur. Vnde Haly figuratiue dicit de his ventis: Scias quod radices ſuarum minerarum ſunt in aere, & ſummitates in terra: & quando euelluntur à ſuis locis, auditur ſonus terribilis, & erit timor magnus. Vade cito, quia cito euaneſcunt, &c. Et ideo dicitur in libro Saturni: Scias ꝙ totum regimen in igne & vaſe conſiſtit: quia ſi os vaſis nõ eſt bene clauſum, fumi qui ſunt ſubtiliſſimi euadunt, & totum magiſterium annullabitur. Eſt ergo duplex periculum ſi clauſura non ſit fortis, primo quod perdatur opus & labor, ſicut dictum eſt: ſecũdo quod interficiat vel lædat artificem: quia à principio lapis eſt ſicut toxicũ mortificans: in medio

ſicut ſpiritus vehemens & ſubtilis, omnia penetrans: in fine ſicut medicina perfectiſſime ſanans. Vnde dicit Artephus: Duo ſunt cauenda in Lapidis magiſterio: primum ne igne incendatur: ſecundum ne exhalet: quia læderet laborantem, & multas in ea infirmitates induceret, &c. Quare neceſſe eſt, vas fortiſſime claudere, & cum vna clauſura & non cum pluribus. Et qui hoc ignorat, errat vt cæcus. Claude ergo firmiter os vaſis cum ſigillo Hermetis vt reſpirare non poſſit. Spiritus enim promptus eſt ad fugiendum, quando eſt verberatus indocte. Ergo aliqui fecerunt, qui ſigillauerunt vaſa cum argilla impaſta cum ſale: alij etiam cum alijs, vt de ceruſſa, minio, bolo armeno, & impaſtata fortiter cum vernice liquida ſupra marmorem: & omnes tandem fuerunt decepti: Ego autem dico tibi, quod cum nulla re fortiori poteſt ſigillari vas, niſi cum vitro. Stude ergo ad inueniendum hoc ſigillum ſecretum: quia ſine illo magiſterium perfici non poteſt. Et de hoc eſt duplex modus: primus eſt per torturã colli. Ponitur enim tegula perforata ad collum bocciæ, ſeu vaſis,& ſuper ipſam tegulam ponitur cinis cũ carbonibus, quouſque collum ſit ignitum, poſtea cum tenaculis ignitis, ſeu forcipe ferrea, collum comprimitur & torquetur, vt docet tractatus Lucis. Et hoc proprie ſigillum Hermetis eſt. Sed tunc oportet collum eſſe longum ſatis, & cum maxima cautela ignire, ita vt materia inferius manens, nullo modo deſtruatur per ignem aut lædatur. Secundus modus eſt ſic: vt collum in ſupremo bene caleſiat, & poſtea ſuper ponatur & circumducatur vitrum forti igne liquefactum. Et tunc vitrũ forti igne liquefactum infra os colli per duos digitos debet habere circulum vitreum aliud, in loco in quo ponitur alembich, non minus magnum vel altum, quod apte intret in os inferioris vrinalis per oppoſitum, quam in aliis diſtillationibus, vt docetur in via vniuerſali, & poſtea cum vitro liquefacto, vt prædixi, claudere in circuitu.

QVOD

QVOD FVRNVS QVI DICITVR A-thanor, necessarius est.

CAP. XVIII.

NOn minus furnus est conueniens, in quo vas cum materia statuatur, & igne decoquatur. Supra enim est dictum, quod totum regimen magisterij & nostri operis in igne, in vase & in clausura: quia sine istis perfici magisterium non potest, vt aperte dicitur in libro Saturni: Ignis debitus certe administrari non potest, nisi in furno ad hoc apto. Oportet ergo secundum dictum Morieni in translatione noua, quod artifex sciat ignis qualitatem & suæ fornacis: & similiter ignis ascensionem: in qua videlicet parte fornacis, seu in quo loco ignis debet accendi, &c. Et circa hoc tria oportet attendere: primo fornacis debitam dispositionem & conuenientem ignis proportionem, vt videlicet, non sit nimis magnus, nec nimis paruus, non nimis altus, non nimis depressus, & vt parietes non sint nimis grossi, seu spissi, nec minus tenues: sed taliter instructus, vt sufficientem calorem & continuum recipiat & seruet ac ministret. Magnus enim furnus & paruus vel grossus & tenuis, nō eodem calore ęqualiter & continue calefiunt. Vnde Morien. ait: Vbi supra fornacē philosophorū construas, in quo ignē philosophicū accendas: aut.n. eius materia ex stercore erit cōposita, aut ex folijs oliuarū, ꝙ nihil aliud est: quam vt ignem æqualem in combustione durare. Quærat secundo, vt calor æqualiter tangat vas vbique in altitudine materię. Vnde dicit Mireris: Sepelias autem vas in ignea natura. Natura autem ignea subtus & vndique in circuitu posita, ipsum vas in medio positum duobus oportet te naturæ igneæ digitis vel tribus cooperire donec mellis colorem, vel sulphuris rubri, vel vermilionis induatur. Et Raymundus de Terminis: Apta vas in balneo philosophorum, ita quod calor solis vbique circa vas possit circundare. Et ibidem vbi supra dicit Mireris: Et hoc totum fit in igne in vitreo vase, quod vas figuli contineat. Et in Soliloquio philosophico dicitur: Colloca phialā vitream inter cineres cribratos, super furnum sibi aptum. Et in lib. Saturni ait: Pone vas in furno, & cum cinere subtus & ad latera, & sint duæ partes vasis discoopertæ desuper, & tertia pars cooperta, & commoda bene ignem in furno. Et

in via vniuersali dicitur: Cineres sint sub vitro ad spissitudinē vnius digiti tantum: deinde ad ignem temperatum sub vase terreo quod cineres continet. Vnde Lilium: Dracone autem in vase sepulto, ignis trium frustrorum siccorum subtilium in fouea fornacis accendatur. Morien. quoque ait: Cauendo etiam, ne flamma ignis vllatenus prædicturas contingat: nam omnia in damnum verterentur, &c. Vnde Lilium: Fiat autem sub vasculo ignis carbonum paucorum ad vasis probationem & calefactionem, & plus plurium graduum, ignē augmentando continua ipsum vsque ad 15. dies, vt fornax optime desiccetur, & probetur an vas sit in igne duraturum? Si autē fornax per se absq; igne desiccata esset, tunc sufficiet prædictum ignem carbonum fieri tantū per octo dies. Tertio vase in furno posito, non remoueatur, nec aliquo modo tangatur, donec opus sit completum. Vnde dicit Morienus in Castrensi: Vas autē suo fornaci inuiolabiliter, vt ait Hermes, firmiterque adhæreat, donec totum tempus fermentationis Etheb compleatur. Et in lib. Saturni dicitur: Non autem potest tangi aqua nostra sine damno, nisi quando est facta: quia antea est venenosa & fœtida: & multi philosophi dixerunt, quod toxicum mortificans. His ergo consideratis construc fornacem, sicut docetur in libro Quintæ essentiæ, aut sicut dicit Saturnus: In primis habens bonam terram, argillam scilicet, quam impasta cum stercore equino sicco, & parum de subtili arena, vt melius teneat calorem ignis. Alij impastant cum argilla optime cribrata, & cum stercore equino sicco, admiscendo capillos hominum incisos minutim aut cimaturam pannorum. Altitudo furni sit vnius cubiti & trium digitorum & fornax sit rotunda, & in medio fiat solarium cum decem foraminibus: Habeat autem duas portas, vnam supra solarium, per quam ignis imponatur: & alteram inferius prope terram, per quam recipiat aerem: Vas autem cum materia pone in scutella terrea habente cineres ad spissitudinem duorum digitorum, & stet scutella supra ignem in furnello & rege ipsum vt sit lentus & continuus, & firma bene vas, ne pendeat ad partem aliquam, & solum tertia pars vasis sit cooperta cum cineribus compressis. Et Lucas ait, in quibus, scilicet vase & fornace, quærenda est potius visio siue depictio, quam scriptura. Item facta fornace caput eius totum liniatur extrinsecus cum aqua vbi sit

calx

calx viua comperta ſubtilis. Alumen fæcum vini, ſal præparatum, & puluis corticum ouorum crudorum. Furnus quoque ſtet in loco luminoſo, ſecuro à ventis & alijs incommodis: Sine hoc ergo Athanore nihil fit: quia ſine eo calor tam neceſſarius generationi lapidis, nec conſeruari, nec continuari poteſt in temparamento congruo, ſicut ars requirit.

QVOD IN NOSTRO REGIMINE NON EST *alia operatio manualis niſi ignis.*

CAP. XIX.

IAm ante dictum eſt, quod ignis eſt neceſſarius in magiſterio lapidis, ſed nondum declaratum eſt, vtrum alia requiratur operatio: qualis eſt calcinatio, ſublimatio, deſtillatio, elementorum ſeparatio, incineratio, & ſimiles operationes multæ, quę fieri dicũtur in lapidis regimine, ac multę reiterationes ac pondera & tempora diſtincta, ſed ſi quis recte philoſophorum dicta perſpexerit, inueniet quod in tanto magiſterio, ſola eſt vna operatio & vna confectio: & omnes aliæ operationes de quibus loquuntur, igne tantum peraguntur & perficiũtur. Dicit enim magiſter Bonus in II. capitulo: Omnes ponunt quod ſit vnum tempus determinatum & continuum decoctionis ad perficiendum elixir album & rubeum, quamuis quandoque tempora varient & interrumpant in doctrina ad errorem idiotarum. Et Hamis in Turb. Philoſophi multa ponunt, quorum nihil faciunt. Quoniam vnus modus, vna res eſt: non ergo teras manib. nec coquas, nec fundas quouis modo cum illis quæ præcipiunt medici: quoniam medicina vna eſt quam tincturam puram appellauerunt. Plumbum noſtrum quando putreſcit vocatur æs: quando finit humiditas argen. viui exaltati, vocant putrefactionem, ſed poſt egreſſionem nigredinis ad citrinum colorem, dicunt eam Aurum: ſed quando fuerit ex tinctura tertia dicitur flos auri: quando ex quarta, fermentum dicitur: ſed quando vltima dicitur venenum tinctorum. Ibidem: Sapientes libros ſub figura componunt, vt inſipientes penitus excæcent. Dico autem quod ſapientib. vna eſt confectio, vna via, vna res, vnum regimẽ: cuius confectio eſt naturarum mutatio, ſcilicet calidi cum frigido & humidi cum ſicco admirabilis commixtio. Vnde Mireris & alij plu-

res in Tur. dicunt: Vna dispositione totum magisterium terminatur à qua tanquam a radice sumunt quælibet vires & tincturam. Philosophus autem opus diuisit, dicens: Coque, contere, reitera: & non te tædeat & videas ne oberres. Nam commiscere, coquere, sublimare, assare, calcinare, dealbare, terere, aquare & tingere, plura sunt nomina eorum: tamen regimen vnum tantum est. Et dicunt quidam si philosophi scirent, quod vna combustio .i. vnus modus coquēdi sibi sufficeret, non toties dicta eorum reiterarent: quod tamen ideo fecerunt, vt teratur & regatur compositum, & iugiter coquatur, & ne nos tædeat commouerunt. Est ergo actio vna, quæ est coquere, vt ait Theophil. & etiam Geber in lib. radicum, si patienter continueque decoque, vnde totum regimen cum igne. Dicitur enim in Tur. manuum contritione non indigetis: quoniam contritio fit cum igne: vnde cum omnia conuersa fuerint in aquā diligenter contrita sunt. Et Alphid. Cum soluimus, sine interuallo temporis calcinamus, sublimamus, separamus & componimus: & inter solutionem & compositionem corporis & spiritus non interuenit spacium temporis. Vnde solutio nostra physica, est vera compositio. Et in lib. Satur. Volo te docere ignem nostrum vbi iacet tota perfectio: quia cum igne opus perficitur, sed manibus perfici non potest: quia cum igne teritur, cum igne putrescit, & cum igne destillatur, cum igne purgatur & sublimatur, cum igne soluitur & coagulatur & calcinatur, cum igne fit volatile & fixū: etiam ad hunc sensum, oportet intelligere etiam elemētorum separationem, mundationem, reiterationem & coniunctionem. Vnde oportet elementa amæna suprema, & iā purificata supra leuem ignē incendi, quousque cōiungantur & contēplentur se, & paulatim comburantur, quousque in illo leui igne exiccentur. Et oportet reablui & mundificari, ac igne dealbari, quousque omnis res fiat vnus color. Item in Turb. Scientia nostra quatuor elementorum & qualitatum eorum ad inuicem conuersio. Conuerte ergo elementa, & quod quæris inuenies. Nota etiam quod non est separatio elementorum quatuor, sicut idiotæ & imperiti intelligunt, sed in natura elementorum est quoddam arcanum absconditum, duorum sc. elementorum, quorum opus & virtus sentitur, quæ sunt terra & aqua: alia vero duo elemēta, scilicet ignis & aer
non

non tanguntur, nec videntur, nisi in priorib. elementis, quæ sunt terra & aqua: quoniam ignis in decoctione peruertit eorũ colores. Terra est maior omnium elementorũ, & ex ea alia procedunt, & ad ipsam vertuntur: & nisi iungantur ista quatuor elementa, nihil operamur. Est ergo lapis vnus quatuor habens colores secundũ quatuor elemẽta. Itẽ in Turb. Conuerte elementa, & quod quæris inuenies. Conuertere autem elemẽta, est facere humidũ siccum, & fugiens fixum. Qua peracta dispositione dimittatur in igne, quousq; corpus annuetur in spiritum, & rarum tingens remaneat. Et Ras. dicit in 3. lib. verbor. Spiritus iste vertitur in corpus: & tunc facta est amicitia inter frigidum & humidum, inter calidum & siccum. Et hoc fit virtute Dei & temperamento ignis, & moderantia terminorum ignis, &c. Et in hoc fit conuersio tincturarum ad inuicem: quia vt dicitur in lib. septuaginta præceptorum: Quicumq; sciuerit conuertere aurum in argentum, sciet etiã conuertere argentum in aurum. Et Rosar. dicit, oportet elementa ad inuicem conuertere id est, circulariter, quod est calidi & humidi cum frigido & sicco subtili dispositione admirabilis coniunctio, vt dicit Morien. Aer enim & aqua in humiditate conueniunt, terra & ignis in siccitate. Et ideo hæc ad inuicem facile conuertuntur, & tardius ad inuicem separantur. Ignis vero & aqua, terra & aer ad inuicẽ non cõuertuntur, nisi primo in aere, & terra primo in aquã conuertantur, vel econuerso. Cũ ergo siccũ cõuerteris in frigidũ, & frigidũ in humidum, & humidum in calidum, tunc totum habebis magisterium elementorum. Ergo separatio non est realis, sed est tincturarum, & naturarum transmutatio. Vnde dicitur in lib. Saturni, Azoch abluit sordes a Latone: & Laton & Azoch semper sunt simul, & nunquam separantur, imo semper manent simul coniuncti: sed propter diuersitatẽ colorum philosophi nominauerunt multis nominibus. Et hoc modo oportet, quod operator pondera elementorum, & terminos temperamenti ignis sciat, vt dicit magister Bonus in v. capitulo: non quod hæc pondera trutina artifici sint nota: sed artifex debet cognoscere, quod quando elementa omnia sunt, & apparuerint munda ad oculum in vno elemento, tunc natura ponderauit in illo vno elemento omnia elementa secundum naturalem & veram proportionẽ. Et ideo nisi

nisi artifex cognouerit tempus determinatum mundificationis istorum elementorum, necessario ignorabit eorum põdera & ipsorum compositionem. Et per consequens nihil nouit. Et ideo dicitur in Lumine luminum: pondus a memoria nunquam labatur. Ex hac autẽ determinatione opus redditur grauissimum. Quantum enim ad actum coquendi, dicitur opus mulierum; quia sic etiam leuissimum: sed quãtum ad regiminis moderantiam & terminorum ignis, tunc est grauissimum. Vnde Morien. loquens de binis confectionib. dicit: Hæc autem compositio non fit manibus: de cuius grauitate quamplurimi sapientes sunt conquesti. Vnde philosophi nihil suarum rerum posuerunt, nisi secundum prædicta pondera, nec aliud occultauerunt. Si ergo, vt dicit magister Bon. in v. capitulo. Credimus quod omnes modi operationum, quos describit Geber, concurrant simul in vno vase, absque manuum vlla contritione, quia solus ignis est conterens totam materiam ad vtramque tincturam simul perficiendam. In hac autem trituratione oportet artificem vti manibus & oculis valde sæpe, tanquam iuuantibus naturam & ministrantib. naturæ. Non tamen propterea quod manibus teratur, sed quia non peruenitur ad rei scientiam, nisi per visionẽ rei, vt dicitur in cõmento Stolicarũ. Et ideo dicit Geb. Nisi artifex habeat sua pfecta organa, nõ poterit ad huius operis complementum per se venire, si puta sit cæcus aut in extremis truncatus: & tertium instrumentum est vltra prædicta duo, altissimus intellectus: vt sc. per suum intellectum comprehendat ex visis opera, quæ sunt secundum naturam occulta, & percipiat operationem diuinam, quæ supra naturam. Nisi enim naturali industria iuuetur, quantumcumque per doctrinam eius scientiam acquisierit, ad epulas tam preciosas non inuitabitur, vt dicit Geb. nec in puncto errorem suum emendaret, cui remedium adhibere ignoraret. Ex his euidenter apparet, quod Lapis noster solius ignis regimine indiget, quia in se habet naturas integras ac perfectas, quibus sibi sufficit, & seipsum soluit, ac seipsum congulat, seipsum dealbat, seipsum rubificat, seipsum gubernare facit. Omnia tamen hæc perficiuntur mediante igne. Ignis enim primum aquam extrahit, & mediante aqua & igne omnia complentur. Ideo dicit Morien. Azoch & ignis Latonem abluunt & mundificant, & eius obscuritatem penitus

ab eo auferunt, seu eripiunt, si tamen recte ignis modum disposueris. Et ait Maria in Turba: Non oportet vti in contritione & cõmixtione & toto regimine, nisi illa aqua sola permanẽte, & hoc est acetum acerrimum, quod facit aurum esse merum spiritum, sine quo nec albedo, nec nigredo, nec rubedo fieri potest, &c. Ex his reprehenditur error illorum, qui lapidem manibus cõterunt, & destillando aquam per alembicum separant alia elementa: sicut est etiam error illorum, qui contritione oleum à Lapide extrahunt: quia non est alius modus extrahendi oleum philosophorum à sulphure & argẽto viuo, quam per ignem & aquam, veluti quidam philosophus scribens filio suo aperte declarauit.

QVOD IN REGIMINE LAPIDIS NON sunt diuersi gradus ignis.

CAP. XX.

QVibusdam autem visum fuit, quod in regimine ignis, diuersi gradus pro diuersis temporibus ad diuersos effectus producendos & colores atque naturas affert administrandi, & quod philosophorũ verba hoc videntur insinuare. Dicit enim Pandulphus in Turba: Caueatis ne incendatis ignem intensiorem ante terminum, & videte quod ignis sit bene leuis ad rem dealbandam, donec coaguletur: Ergo videtur quod minus post dealbationem debeat augeri ignis. Idem quidam alius philosophus in Turba ait: Oportet æs nostrum comburere cum altera parte aquæ, vt simul liquefiat in aqua: ipsa autem aqua in terram versa, intensiorem ignem facite. Et Raymundus de terminis dicit: Ponatur lapis in principio veris in vase philosophico, & permitte donec materia denigretur, & tunc augmenta calorem solis secundum quod natura augmentat, &c. Sole autẽ exeunte in Leone, regatur opus cum intenso balneo vsq; ad perfectionẽ veræ albedinis, &c. Et Alphidius dicit: Qualibet autem vice, facta increatione aquæ super terram, fortifica ignem in calcinatione, quousq; lotione aquæ & ignis obscuritas penitus recedat. Et dicit Lilium allegans verba Rosini ad Euthesiam, Quatuor sunt anni tempora, scilicet Hyems, Ver, Æstas, Autumnus: intellige quod in istis quatuor anni temporibus ab

hye-

hyeme in hac operatione incoamus, id est, ab humido & frigido, & ad ver peruenimus per pullulationem, id est, colorum apparitionem, quæ fit leui decoctione vt in vere: deinde ad ęstatem peruenimus, scilicet ad citrinationem, per maiorem ignis intensionem, vt in ęstate. Vltimo ad autumnum procedimus maiori calore ad rubificationem peruenimus. Sed tamen qui recte philosophorum verba inspicit, reperiet omnes velle, quod semper ignis sit æqualis, & præsertim vsque ad dealbationem. Vnde dicitur in Turba: Scitote quod primus humor frigidus est: Cauete ergo ab igne: quare philosophi iusserunt nos suauiter regere, donec fiat sulphur incremabile. Et Morienus dicit: Fornacem philosophorum construas, in qua ignem physicum accendas: aut enim materia ex stercore ouino erit composita, aut ex folijs oliuarum. Hoc autem nihil aliud est, quam vt ignis in combustione durare queat, quousque in eo album remanserit bene firmatum, nec propter ignis exustionem succensum inueneris. Et Morienus in Castrensi dicit: Quando corpus immundum direxeris, mitte in eo postea de fermento quartam sui partem, & depone eum in sole & decoquas, sitque eius ignis blandus, & per suos dies æqualis ardendo perduret, eius scilicet ignis indesinenter ardeat æqualis, ita quod nec inualescat nec debilior existat aut fiat. Propter q̄ dicit Bonellus in Turba: Nisi sit in illa re quod ipsam emendet, id quod quæritis non fiet: reuera enim in ea est quod ipsam emendet, nisi fugetur igne nimio, vel nimia festinãtia. & ideo patientia & mora necessaria sunt. Vnde Zinon ait: Si quis in hac arte introductus eius sciret naturam, prolixitatē vtiq; coquendi sustineret, donec propositū nutu Dei extraheret. Et Morienus ait: Sciat artifex sui ignis accensionem, numerumque dierum suorum, &c. & eorum ponderum mēsuram. Ex his ergo patet quod ignis iugiter debet esse æqualis vsq; ad finem operis. Si autem quandoq; iubeatur intensior fieri, aut maior, non est referendum tamen ad intensionem caloris scilicet temporis. Quanto enim res diutius in ęquali calore durat, tanto per ignis actionem magis de vna natura ad aliam alteratur & mutatur. Et ideo quæ primo fuit liquida, postmodum erit sicca, & quæ primo fuit nigra, vel alba, postmodum fuit citrina, vel rubea, &c.

Quod ignis debet semper esse lentus & continuus.

CAPVT. XXI.

SEd cum ignis multi sint gradus, vidēdum nunc est, quātus esse debet, an magnus an debilis. Ad quod tamen respondendum est: quod primo ignis debet esse lentus. Vnde Lilium inquit: Scias quod absque calore, nihil vnquā generatur, & quod calor intensus perire facit, & quod balneum frigidum fugat compositum. Per ignem vero temperatum corpus fit suaue atq; cōueniens. Nam igne leui humiditas corrumpens extrahitur. Philosophi enim testantur omnes, se non inuenisse ignem extrahentem humiditates corrumpentes alium, quam leuem, prolixitatem commendantes, & festinantiam simul vituperantes & merito. Nam si cōpositum plus quam oportet regatur, extinguitur. Et in libro Saturni dicitur: Tota operatio est in regimine ignis: quia qui scit ignem regere, veniet ad perfectione. Ille qui regit materiam suam igne lento, potest venire ad arcanū, & sic materia non vitrificatur, & semper manet solubilis: cū violento vero igne vitrificatur, & in tantum induratur quod nō potest solui, nisi cum maximo labore, quod nihil prodest. Oportet enim partes subtiles separare à partibus grossis & nō fixas à fixis: non autem hoc fit nisi cum lento igne. Nā si fierent cum igne violento, aut materia combureretur, aut cum partibus subtilibus simul ascenderent partes grossæ, & illas inficerēt. Et ideo omnes philosophi volunt ignem esse suauem. Vnde Hermes ait: separabis terram ab igne, subtile à grosso suauiter cum magno ingenio. Et Morien. ait: Quod autem hæc corpora maxime coaptat, oleaginari est: nā illa viuificat atq; coniungit, & ex illis omnibus vnū corpus efficitur. Quapropter ignis blandissimus cōponi & apponi debet, qui suis diebus semper duret æqualis. Nam calore ignis cito in corpore serpente, festina combustione ipsum corpus consumitur. Nam corpora postquam suas non retinent animas comburuntur cito. Endica autem bene omnibus corporibus conuenit. Nā ea viuificat & aptat, & ab omni cōbustione defendit, & coniuncta quædam in alijs, & insimul mixta à calore nimio defendit, eiusq; fortitudo est nimis magna, &c. Propter quod dixit ante hæc verba Morienus: Azoch & ignis latonem

tonem abluunt & mundificant, & eius obſcuritatem ab eo penitus eripiunt. Et Bonellus ait in Turba: Nihil eſt huius artis ſcientia, quã vapor & ſublimatio argenti viui per multos dies leui igne. Item lento igne & æquali decoquẽda ſunt, vt roboretur ad pugnam ignis: Et ideo Teb.

In humore collocetur,
& feruore coloretur,
ignis in temperie.
Humore dicto tunc firmetur,
ne ad latus declinetur,
firmo ſuſtentaculo.
Sic mittatur matrix ſtare,
gemmam dictam maturare,
in humoris loculo.
Per humores tunc rigatur,
ne lapis noſter corrumpatur
æſtus violentia.
Lentius quippe calor datur,
fœdo ſorte amputatur
aquæ lutulentia.

Item Pandulphus: Et videte quod ignis ſit bene leuis ad rem dealbandam, donec coaguletur. Et in via vniuerſali dicitur: Si ignis eſſet nimis magnus, ſpiritus humidus euolaret, & frangeretur vas, & ſpiritus ſubtilis exiret. Secundo ignis lentus debet eſſe cõtinuus, & nec ad horam ceſſare. Vnde in via vniuerſali eadem dicitur: Da ignem temperatum ſub vaſe terreo, quod cineres continet: vaſe autem in furno apto poſito, ignis continuetur. Et Morienus inquit: Eius ignis indeſinenter ardeat æqualis, &c. Et vt dicitur in Turba: Vna hora minuatur calor, aut frigus ſuperet. Et in libro Saturni dicitur: Ideo dixerunt omnes philoſophi, leuiter aſſando facietis omnes decoctiones. Et Morienus ait: Caue ne de ſuis diebus aliquem obliuiſcaris, aut augmentes, aut minues. Sit ergo eius ignis blandus & mitis, qui per ſuos dies æqualiter ardendo perduret. Item Roſinus: Scitote quod ęs non comburitur extemplo, ſed paulatim, & quicquid de ipſo comburitur, ipſum in humorem occiditur. Et Geber dicit: Oportet operantem ſedulum operi vſque ad ipſius conſummationẽ inſiſtere, vt non dimittat opus detruncatum: quia ſic damnum acquireret. Sic Lilium: Dimiſit opus imperfectum propter terribilia mala,

mala: quæ occurrerunt sibi, & ideo sicut decoctiones non sunt augendæ, ita non sunt intermittendæ. Vnde in libro Saturni dicitur: In hoc sunt multi decepti laborantes: quia facta dissolutione coagulant, deinde calcinant cum fortiori ignis calore: & sic faciunt in omni decoctione, quod est contra Geberum, qui ponit totam artem in sola sublimatione: per quam purissima pars diuiditur &c. quod non fit nisi per lentum ignem, qui apud philosophos dicitur Calor solis, quia est suauis vt calor illius. Etenim calor solis non est violentus, sed temperatus: calor autem ignis est fortior, quam calor solis. Propter quod dixerunt philosophi, Suauiter coque & lento igne. Ignis enim fortis destruit opus & dissipat: ignis autem lentus ad sanitatem perducit, & vnam substantiam generat. Et vt dicit Geber: Lentus ignis humiditatis naturalis, siue radicalis est conseruatiuus, & fusionis tributiuus: vehementior autem humiditatis est consumptiuus. His ergo cognitis, adhuc restat dubium, quantus calor solis huic operi est necessarius & sufficiens: quia in lento sicut & in forti, plures possunt intelligi gradus. Est enim lentior lento, sicut in forti, fortior forti. Ideo difficilius inter omnia arti necessaria est regimen ignis. Dicitur enim in lib. Saturni: Scias quod qui operantur in hac scientia, sunt decepti in regimine ignis plusquam in alia re, quia nesciunt temperantiam ignis. Multi enim sciunt rem, sed eius regimen ignorant. Disce ergo regimen Solis: quia ibi latet tota perfectio. Potes hoc regimen addiscere ex duobus, recurrendo ad naturam & ad scripturam. Primo ergo natura sit imaginatio tua. Nam facit natura suam concoctionem plane & continue per calorem solis in visceribus terræ, quosque ex spiritibus vaporis mineralibus generantur metalla: sic tu quoque rege opus tuum, & inuenies perfectam scientiam. Non tamen possumus in hoc naturam quantum ad omnia imitari: nec oportet, vt dixit magister Bonus, sed sufficit continuum, & lentum calorem, secundum operationem debitam ad nostrum opus adhibere, sicut natura ad suum: quamvis non eodem gradu caloris.

Secundo sume philosophorum dicta, & considera quem calorem dicant lentũ. Vnde Theophilus ait in Turba: Oportet autem lento igne comburi, & humiditate quadã vti ouorum nutricatione. Et Moysius ait: Et debet sic comburi & dealbari tanquam ouorum nutrice, id est, leui decoctione. Sicut enim

VV vincit

vincit aqua pugnam ignis prolixitate corrumpendi, continendi, & putrefaciendi, & inspissandi, scilicet calore Solis, hoc est leui decoctione res congelantur. Balneum enim, id est, intensus calor perire facit. Item Ioan. Teb.

Ouum coque in ardore:
coque tantum solis more,
tractatu cum beneuolo.

Item Mireris: Nonne nutricis gallinæ calore fit ex ouo gallus volatilis? Similiter huius putrefactionis calore fit ex ouo nostro gallus volans. Et ideo putrefiat in mari meridiei Ægypti. Quippe terræ Persarum egent subsidio Ægypti. Et Rasis in Turba: Filij doctrinæ introducite maritum citrinum cum vxore sua in balneum post coniugium, & non incendatis puluerem igne, ne opere & motu subito priuetur. Reddite eis sudorem suum. Et iterum, Incēdite ignem, requiemque eis constituite: & cauete ne fugetis eos nimio igne, comburendo venerandum regem. Ex his collige præterea, quod tantum oportet esse calorem, quo aquam emittas sudando, & nullo modo induretur, seu congeletur: quia leui decoctione contra naturam aliorum gummi sudat, & coagulatur. Alia in aere frigido, & hoc in aere calido coagulatur. Ideo dicitur in lib. Saturni, tere & cribra in vase philosophico, & coque leuiter ad ignem, donec color eius mutetur in violaceum. Quod ideo dixit: quia tali igne debes coquere, quod simul teratur durum & stillet humidum. Vnde in Soliloquio dicitur: Cui superpone ignem febrilem, &c. Cognoscitur & ignis lentus sic, sicut dicitur in Via vniuer. Dicitur autem ignis temperatus, quando potes tenere manum diu super fundum vasis terrei, siue scutellæ, sine læsione. Similiter etiam in libro Lucis dicitur ignis lentus siue temperatus: quā diu manum in ventre furni potes tenere. Ignis ergo lentus, imo lentiss. dicitur calor solis siue ignis philosophicus. Sed videndum etiam quo fomento ille calor generatur. Est enim quadruplex calor igneus, ad modum solis, per artē causatus, secundum philosophos: primus fimi, secundus balnei, tertius subterrationis, quartus carbonū. Nihil tamen hic dicendum est de igne aeris, seu cælesti, nec de igne flammæ: quia primus insufficiens est, vt supra dictum est, &c. Secundus vero adustiuus, acutus & omnino impertinens: quia superius prohibitum est, ne flammas eas contingat, eo qđ infans noster tenerrimus damnaretur. Est autem tertius

ignis intrinsecus rebus, vt sunt olea & res acutæ: & secundum hoc lapis noster suum in se habet ignem, sed est otiosus, nisi exteriori calore excitetur & moueatur. Res autem acutæ nec aliud aliquid sibi adiungitur: quia statim eius substantiam corrumperet, vt prædictum est. Solus ergo solis nostri calor apponendus est per artem, vt ignis lapidis ad actum moueatur; &c. Visum est ergo quibusdam, quod lapis sub terra debeat sepeliri: Alij in fimo equino calido: Alij in balneo Mariæ: Quia verba Philosophorum videantur horum alterum præcipere. Dicit enim Rosarius maior: Coque autem & destilla in balneo Mariæ, quousque videas nigrum totum in oleū conuersum. Alphidius autem ait: Vas in stercore humido circunda. Et Raymund. subterrare præcipit in componendo. Sed si quis bene scrutetur, reperiet, philosophorū intentionē esse, q̄ omnia fiant in Athanor cum igne carbonum: Qui quando lentus est, dicitur calor fimi, & calor balnei, & calor solis. Ille enim ignis humidus est, quia humiditatem in lapide causat & extrahit. Est etiam fimi calor, quia putrefacit. Est etiā calor terræ: quia Athanor de terra & fimo cōstruitur. Talis etiam calor melius potest in æqualitate continuari, quā calor balnei & fimi, & nō solum humectat à principio lapidem, sed etiam in fine desiccat. Experiri ergo cuilibet singula licet: sed ratio & auctoritas in omnibus præualet hanc esse philosophorum intentionem. Illorum namq; priora demonstrant, sed & posteriora indicabunt adhuc. Dicitur etiam in Tur. Si fermentum sibi immisces, vt dicit Hermes, depone ipsum in sole, id est in fimo equino ad coquendum, donec hæc duo in vnum redigantur corpus siccum, &c. Et iterum in Turba eadem dicitur. Effodiatur ergo sepulcrum, & sepeliatur mulier cum viro mortuo in fimo equino, id est coquatur in calore leui, ac temperato, quousque sponte iungantur. Cuius fimi equini decoctio est apud philosophos obscura transfiguratio, hoc est in nigredinem conuersio. Et superius dictum est quod ignem facere de stercore equino, vel de folijs oliuæ, nihil aliud est, nisi vt in combustione æqualis ac leuis perduret. Et hic igni non potest esse, nisi ignis lampadis cum oleo. Vnde quidam philosophus ait: Pone cucurbitam bene lutatam, & sepelias in ventre equino calido, & fac aquam euolare continue cum igne lāpadis, donec tota exierit, & materia nigra fuerit in fundo, &c. Et in Soliloquio philosophico de igne febrili loquens

dicit. Qui non poteſt fieri niſi per licinium lampadis cum oleo. Et in lib. Satur. dicitur: Ignis philoſophicus non eſt ignis vulgaris. Multi ipſum putauerunt debere fieri cum carbonibus, cum lignis, vel cum folijs oliuarum, vel cum ſtercoribus animalium, vel cum oleo, & eſt ibi bona intentio, dummodo tamen ſciant facere licinium debite. & hi pene omnes ſunt decepti: quia nos non habemus niſi vnum ignem: & hic eſt cum licinio philoſophico. Licinium autem hoc numquam comburitur, nec diminuitur. Fit autem cum Talch præparato cum filis bombacinis, vel vibicinis, id eſt, factis de tubere vibicis arboris. Vnde nihil oportet operatorem facere, niſi oleum tantum ponere. Cum tali igitur igne perficitur operatio noſtra, aliter autem non. Iam enim docui, quod ignis exceſſiuus eſt cauſa erroris, ignis vero lentus eſt cauſa perfectionis. Ignis ergo philoſophicus de licinio eſſe debet, & eſſe de tribus filis, & fila non ſint groſſa. Et Ioan. Teb. ait,

Alba veſte conſeruatur.
tribus filis igniatur,
cum lunari radio.
Filis veſtis ſit quaternis,
rubra lux vt in lucernis
lucet à primordio.

Ex his conclude, quod ignis philoſophicus noſter, eſt ignis ſolis, balnei, fimi & lampadis. Idem enim ſunt, vt ſemper æqualis ardeat, niſi forte ardeat in vltima rubificatione, quando ſulphur eſt omnino incremabile factum, parum augetur, & quaſi inſenſibiliter. Per hunc namque modum ſpiritus aereus primo cum aqua extrahitur: deinde anima, quæ eſt ſulphur & tinctura ſoluta: quæ iterum corpori reddita, per ipſum corpus viuificatur, & paulatim ad ignis ſufferentiam diſponitur, quouſque vltimo ignem non timeat. Vnde lapis vltimo ad tantam perfectionem venit, quod igne funditur, vt oleum, in aere vero parum frigido induratur vt pix, vel cera, nunquã tamen in igne diminuitur etiamſi ſtaret mille annis in igne. Et quia eſt ignis ex igne, debet reduci ad ignẽ, quouſque ignem non timeat, vt dicit Calid in Turba. Et hoc eſt oleũ philoſophorum ex cõiunctione animę & corporis confectũ, à quo corpore anima prius fuit extracta per ipſum ſubtilem, qui eſt aqua & vapor aereus: qui ſpiritus corpori non coniungitur iterũ, niſi mediante anima. Et ideo oportet prius animã

extractam cum spiritu vniri, vt postea ambo simul cum corpore coniungãtur, & viuificent ipsum corpus & occultam naturam manifestent. Hoc autem oleo nisi calido & humido separetur, aliter haberi posset, vt ait quidam philosophus ad Thomam filium scribens, humido namque aquæ extrahitur calido anima, & aqua defendit corpus à combustione. & funditur: anima vero tingit & colore firmo & permanente.

Lapis determinato tempore perficitur.

CAP. XXII.

DEinceps vero de tempore videndum est, scilicet quanto tempore lapis perficitur. Circa quod philosophi varia scripserunt. Quidam enim breue tempus assignant, & quidã longum, vt patet in Lilio. Ex qua re perpendi potest ꝙ vno tempore citius perfici potest, quam in alio: similiter etiam ab vno operatore citius quã ab alio. Similiter etiã in vno loco citius quam in alio. Sunt enim duo quæ opus accelerant vel retardant: sicut sunt duo eadẽ quæ perficiunt vel destruũt, scilic. industria operantis, & virtus cæli influentis. Vnus enim magister altero ingeniosior est, & intellectu perspicacior, & exercitio diligentior & cautior. Qui ergo meliorem radicem eligit, aptiora vasa & instrumẽta parat, moderatiora regimina accõmodat, profundius causas ad effectus, & econtra comparando prospicit, nobiliora loca excipit, deuotiori mente Deo & sanctis obsequitur, citius proficit. Ideo iubetur artifex duo facere, primo Deum opt. max. votis & puro corde colere, vt in intellectu altiss. illustretur, & vniuersa impedimenta, quæ à diabolo aduersario nostro afferuntur, quæ innumera accidere possunt, ab eius opere remoueantur. Secundo vero sæpe circa vas morari, & diligenter ex visis coloribus & naturæ varijs formis conijcere, & comprehendere mirabilia opera naturæ & Dei cum suis causis & effectibus. & signis, vt ex his se dirigere in regimine sciat & pericula & incommoda præcauere. Vnde dicit Lilium: Philosophi posuerunt huius combustionis, vel assationis terminum diuersum, forte propter locorum diuersitatem humidi & roridi à sicco: quia in humido velocius, & in sicco tardius congelatur hoc opus, vt ait Astanus: Teneas cum Hermete, vt toties cõtinuetur, iteretur, & teratur opus in fimo coquendo, donec visui patefiat, ita quod operis mutatio te doceat. Quamvis etiam cælum solum hoc opus

ſine arte non efficiat, tamen multum cooperatur & adiuuat: quia in omne opus naturæ per ſe influit. Et hoc autem opus, licet ſit artis, eſt tamen etiam naturæ, quia igne perficitur. Dictum eſt autem ſupra, quod cæleſtis virtus per ignem maxime, ſicut etiam per alia media elementa locis & rebus efficiendis influit, & vno tempore plus quam in alio, & ſimiliter vni loco plus quam alteri: vt quotidiana manifeſtat experiētia: & ideo ex hac parte poteſt accidere acceleratio, vel operis lapidis tardatio: ſicut etiam non omnes gallinæ æquali tempore pullos edunt. Quicquid tamen ſit, magna differentia in tēpore eſſe non poteſt. Omnes autem communiter ponunt 9. menſes operi perficiendo: aliqui verò plus: aliqui minus. Vnde inquit Plato, quod pauciores dies præparationis eſt circuitus, & reſolutio luminaris maioris. Et Raſis in lib. trium verborū: Spiritus iste vertitur in corpus, & corpus in ſpiritū, & iterum ſpiritus in corpus, &c. & tunc facta eſt amicitia inter frigidum & humidum, inter calidum & ſiccum. Et hoc fit virtute Dei, ac temperamento ignis, ac moderantia terminorum illius. Et huius longitudinis terminus eſt duorum & ſeptem, &c. Propter quod oportet artificem ſolicitū eſſe in regimine ignis. Item in libro Saturni dicitur: Pone vas ad ſolem noſtrum in Arietis ſigno, & dum fuerit in Leone, morare prope vas, vſque dum venerit in Sagittariū & reſpice quomodo nigreſcit, albeſcit, vel rubeſcit, &c. Et Rhodianus dicit: In hoc opere eſt ſaltus Lunæ, & circulus Solis: & ſunt in eo tres gradus, primus debilis, ſecūdus firmus, tertius perfectus. Et ſunt tres termini: primus quando Sol eſt in Ariete & in ſua exaltatione: ſecundus quando eſt in Leone, tertius quando eſt in Sagittario. Item aqua tribus menſibus fœtum cōſeruat: aer totidem fouet: ignis totidem cuſtodit & colorat. Et Miretis dicit: triplex eſt regimen lapidis: primū frigidū & humidum, ſecundū calidum & humidū temperatū, tertium calidum & ſiccum. Item quidam alius philoſophus ait: Secundum philoſophos, Lapis noſter parum diſtat à generatione hominis, & ideo in quadraginta diebus præparatur per eius ſolutionem & putrefactionem. Deinde vero vſque ad quintum menſem perficitur in medicinam albam: quæ eſt Aurum album. Efficitur enim tunc tanquam oleum album vt nix, & tunc conuertit Mercurium in Aurum album (licet in parua quantitate, niſi poſtea compoſitum illud denuo lacte ſuo tanquam infans

blan-

blande nutriatur, & bibat quantum bibere poterit: & hoc multoties reiteretur, semper expectando colores, & albedinem tandem, siue rubedinem, quousque fiat Draco sitiens, & tinctura firmissima virtutis supremæ. Deinceps vero vsque ad nonum mensem conuertitur in lapidem rubeum & fixum. Vnde lapis tantum teneri debet in ignem quousque de vna natura in aliam, & de vno colore in alium amplius mutari non possit, sed fiat sicut sanguis rubicundissimus, fluens in igne sicut cera: ita tamen fixu, quod numquam diminuatur. Et hoc est oleum philosophorum conuertens Mercurium, & metalla imperfecta in solem meliorem minerali. Vnde medicina post quartum mensem incipit rubere, & continue augmentatur in virtute, colore & fixione. Et sic non immerito hominis generationi assimilatur, vt dicit Morien. in Castrensi: Primo enim est coitus, id est solutio seminis quando scilicet Mercurius calore destillat. Secundo conceptio, quando corpus per aquam dissoluitur. Tertio imprægnatio, quando vniuersaliter commiscent sperma: & hæc fiunt per quadragina dies. Quarto generatio siue ortus, quando videlicet anima infunditur, & ad perfectam albedinem ducitur: quod fit secundum quosdam in septuaginta diebus, vel circa. Quinto nutritio quando ad rubedinem & fixionem roboratur & firmatur. In albedine ergo lapis oritur, sed in rubedine cibatur, & in fortitudinem virilem nutritur perfecte, &c.

Quod in vno regimine est vnum solum opus, & plura opera simul.

Cap. XXIII.

Quamvis autē lapis noster fiat ex vna re, & solo vno regimine ignis, sicut supra dictum est: tamen à principio: quia est etiam res imperfecta, & etiam non fit elixir perfectū, nisi per artem perficiatur. Non perficitur ergo nisi per varias digestiones, antequā ad perfectā digestionē perueniatur. Diuersæ quoque digestiones generant diuersos colores ad inuicem tamen ordinatos, vt videmus ad sensum. Diuersi autē colores in eadē re sibi succedentes, ostendunt naturarū & formarū mutationē: Ideo Lapis noster, anteq̄ per artē perficiatur,

transit de natura ad naturam, & de colore in colorem, & fit sæpe corruptio, ac fit sæpe generatio, & habet in se diuersos contrariosq; effectus, & recipit nomina varia, & fiunt in vna re diuersa opera, quæ tamen, quia ad vnum terminum tendunt: vnum quoque opus dicuntur. Ex fine ergo intentio & vnitas operis ex diuersitate effectuum, est distinctio operum. Vnum ergo opus est sublimatio: multa opera sunt solutio, putrefactio, calcinatio, fixio, & his similia. Primo ergo vnum opus est sublimatio. Dicit enim Alphidius & similiter Saturnus, totius operis intentio nostra, non est aliud, nisi vt sumatur lapis nobis notus, qui dicitur Arabice Adrop, Latine vero plumbum: & est lapis philosophorum habens excellentissimas virtutes super omnes lapides, & ponatur in vase philosophico ad sublimandum: & tamdiu sublimetur: donec in vltimam puritatem sublimationis deueniat. Et hæc est prima & vera operatio. Geber quoque ponit totam artem in sola sublimatione. Et verum dicit: quia hæc sublimatio, scilicet philosophica, non est sublimatio vulgi: sed comprehendit vtique omnes has septem operationes. Prima est purificatio: vt purissimam substantiam accipias. Secunda est solutio, vt totam materiam in aquas soluas. Tertia est purificatio, ex eo, quia nihil nascitur nisi prius putrescat. Et ideo putrefiunt, vt magis digesta melius separentur. Quarta est ablutio: quia res sordida oportet vt abluatur à corrumpente impuritate. Idem autem est ablutio, inceratio & mundatio, commixtio & complexio in hac arte. Quinta est coagulatio: quia oportet, quod aqua suauiter desiccetur in sole cum terra, & coaguletur & reuertatur in puluerem. Sexta est calcinatio: quia res calcinata est magis apta ad sublimationem, & est propinquior fixioni. Et hoc à multis philosophis vocatur fusio, & inuariabilis. Et omnes istæ operationes sunt & fiunt in sola sublimatione. Et ideo qui perfecte nouerit sublimare, totum opus perficere potest. Est ergo sublimatio partium subtilissimarum à grossis, vel non fixarum à fixis separatio. Nam partes non fixæ eleuantur per fimum, seu per fumum. Et oportet prouidere vt non fugiant, sed cum fixis figantur. Et ideo remanent, vt velociorem fusionem præstent partibus magis grossis, & eas à vitrificatione defendant. Per has ergo septem dispositiones, quæ sunt in sublimatione, quilibet intelligens potest venire ad perfectionem operis. Et hoc totum fit ex vno vase. Ideo

non sis negligens in mundatione, quæ completur per sublimationem: quia qualis erit mundatio, talis sequetur per eã perfectio. Ex his ergo elicitur, quod sublimatio dicitur lapidis affinatio, vt scilicet fiat sublimis in substantia, virtute & colore. Vnde ait Hermes in Turb. Qui sciuerit aereum ab aquoso, & aquosum à terreo sicco sequestrare, & puriores partes.i. aereas, spirituales ac subtilissimas adiuuare, & ex ipsis medicinam formare, erit indagator perfectissimæ perfectionis. Et sicut dicit Geber: Imperfectum in nostro magisterio perficimus per se, sine alicuius rei extraneæ commixtione. Lapis enim noster à principio imperfectus est, sed vtrumque perficimus quod in eo est, scilicet corpus & spiritum cum subtilissimo ingenio, separãdo purum ab impuro, subtile à grosso, spirituale à corporeo & separata optime mundando, ac subtiliando per digestionem & decoctionem, & subtiliata vniendo, & maximis virtutibus & coloribus perficiendo per fixionem, quousque producamus medicinam purissimam, & subtilissimam, penetrantem & tingentem corpora imperfecta in nobilissimum aurum, vt vult Hamis in Tur. vbi supra. Et hæc est ꝓprietas sublimationis, quæ nõ simul, sed per gradus, ad hanc lapidis perfectionem transit & tendit. Debet enim lapis iste per artem sublimationis, ad summum gradum complementi paulatim peruenire. Quod & ijs signis certissime cognoscitur: vt ponit Ioan. Scotus in sua quæstione, scil. si fiat aere subtilior & lacte nitidor: si sit vino rutilentior, & sanguine rubicundior: si sit electro liquidior: si sit gracili spuma ampullosior: si sit furioso vento spiritualior: si sit aqua viua limpidior: si sit ignis pugna fixior & fortior: si sit in omni frigore, quantuncunque magno, & in omni calore quantuncunque paruo incoagulabilis omnino. Et hæc omnia per diffinitionem Alchemiæ notificantur: quam ponit Lilium dicens: Alchemia est substantia corporea ex vno & per vnum composita, id est, per vnam operationem preciosiora ad inuicem, per cognitionem & effectum: & eadem naturali commixtione in genus melius naturaliter conuertens. Hæc ergo medicina est Mercurius non vulgi, sed philosophorum per sublimationem mundatus, subtiliatus, tinctus & fixatus, & non tingit nisi tinctus &c. Quia qualis erit eius dispositio & mundatio talis erit & eius perfectio. Perfectio enim magis ꝑficit. Ex qua re perpenditur, Quod virtus lapidis est multipli-

cabilis in infinitum: Quia si per congruam sublimationem potest perfici ad tantum gradum virtutis & nobilitatis, poterit vtiq; ad maiorem gradum, per maiorem perfici sublimationem, nec erit status in aliquo vno gradu, saltem nobis noto. Quamuis non sit vna in toto regimine operatio, quæ dicitur sublimatio: propter vnum finem in omnibus intentum: est tamen nihilominus multiplex operatio propter diuersos effectus & colores ac naturas, quæ in vno opere, seu regimine per varia tempora euidenter fiunt visui. Sunt quippe duæ operationes, sunt tres, sunt quatuor: & sic deinceps vsq; ad decem: imo vsq; ad plures. Quæ tamen omnes velut partes perfectæ sublimationis sunt, in sublimatione vna communi, omnes particulares operationes connectuntur, sicut particulares seu sublimationes singulares. Omnes enim habent particularem finem & communem. Communis est perfecta sublimatio & coloratio, seu purificatio. Particularis vero talis. Inter cætera vero opera sunt duo principalia tanquam immediata, sub fine vltimo, scilicet opus album & opus rubeum. Vna enim & eadem medicina ad album & ad rubeum: nisi quod differunt per maiorem & minorem digestionis & perfectionis modum seu præparationis. Vnde ait quidam philosophus, Nihil potest fieri Aurum, nisi prius fuerit Argentum. De quibus infra dicetur. De his dicit Morien in translatione noua: Istud magisterium, binis indiget creationibus, atq; binis confectionibus, quæ ita ad inuicem sunt connexæ, quod quando vna earum perficitur, totum magisterium similiter perficitur. Et tamen vna via constat eius natura, atq; vna confectio talis est, qualis altera, &c. De his in Turba dicitur, est ex duobus, & aqua similiter ex duabus naturis, & opus albi & rubei est vnum opus: opus albi est medietas operis & principium; opus vero rubei est secunda medietas. Ideo totum opus vnum & primum opus, quod non præcedit. Aliud opus est extractio tincturarum: & secundum hoc etiam potest poni duplex regimen. Vnde dicit Mirer. Noscas autem quod philosophorum regimen duplex est: vnum tamen difficilius, quod oportet humiditatem regi & assatione. Altera autem figura siccitate regitur & humiditate. Eodem modo possent distingui tres operationes, & earum similiter tria regimina, sic etiam quatuor: & sic de singulis vel cæteris, sed nunc non est necesse sermonem prolongare, quare summatim principales operationes perstringendæ sunt, vt breuiter

uiter ordo naturarum habeatur, & ex his plura alia intelligãtur ab ingenioso artifice: non enim omnia scribenda sunt, sed nec etiam scribi possunt. At inutiliter huic arti se applicat, qui non ex seipso plura operi necessaria & opportuna nouerit excogitare. Dicitur ergo in lib. Saturni: Accommoda bene ignẽ in furno, & fac quod tota materia soluatur in aquam: deinde rege lento igne, donec maior pars vertatur in puluerem nigrum. Quia quando lapis noster est in vase nostro, & materia nostra sentit solem nostrum, statim soluetur in aquam. Ista autem aqua salit in caput vasis per fumum, id est, per ventum, seu per aerem. Et postea iterum descendit ad fundum vasis, & soluit materiam & reliqua paulatim in aquam. Et sic simul est sublimatio & dissolutio Lapidis, & vtrunq; sc. ascensus & descensus dicitur dissolutio. Postea incipit ingrossari & conuerti in terram: & paulatim terra stans super aquam, descendit ad fundum vasis, & efficitur nigra & fœtulenta. Et tũc dicitur putrefactio. Post vero longum tempus terra nigra calore solis & aquæ ablutionis remittit colorem & odorem fœtidum. Et tunc vocatur Ablutio seu Mundatio. Deinde vero aqua diminuitur, & terra per temperatum solem desiccatur, & tunc vocatur Ceratio: quia tunc tota materia conuertitur in terram si bene scias operari. Et in hoc tota vis regiminis cõsistit, vt scilicet conuertatur in terram. Conuersa vero tota materia in terram strictam stantem, nec se fundentem, vocatur tunc congelatio: & vsq; ad hoc tempus agendum est cũ maxima cautela: quia in hoc consistit quasi totum magisteriũ. Vnde Herm. Vis eius integra est, si versa fuerit in terram. Totum enim magisterium non est aliud, nisi facere solutionẽ rectam & congelationem perfectam. Materia vero congelata, & per maiorem Solis decoctionem perfecte desiccata, incipit dealbari, & fundi vt oleum album: & tunc dicitur Calcinatio, & quando venerit vsque ad perfectam albedinem: ita quod illa albedo sit super omnes albedines, tunc vocatur Dealbatio: & tunc Lapis est perfectus ad album. Quo facto continuandus est ignis, quousq; Lapis non varietur amplius de colore in colorem, sed teneat firmum & inuariabilem colorem & rubicundissimum. Et tunc vocatur Fixio. Et sic Lapis noster physicus perfectus & absolutus est ad rubeum.

Quod cognitio colorum necessaria est ad dirigendum regimen nostrum.

Cap. XXIV.

Diuersitas colorum, ostendit diuersitatem digestionum. In omni autem re naturali & artificiali sunt diuersi colores secundum diuersitatem digestionis, quamdiu res ipsa est in motu & in via generationis. Vnicuiq; tamen rei est proprius calor & naturalis, quando est in cōplemento vltimę digestionis, sicut patet in floribus & in fructib. & in lignis & animalibus. Cum ergo lapis philosophorum longa arte perducatur, & per multas digestiones transeat, innumeris quoque colorib. variatur. Sed quia res artis est & naturæ, vnū solū colorem sibi proprium determinare. Et quia fit non vt sit, sed fit ad aliud, ex fine ad quem fit oportet eius colorem determinari. Fit autem ad Aurum. Aurum autē citrinum est, quare necessario citrinum participabit. Et quia non fit vt aurum fiat, sed vt ex alijs metallis aurum faciat. Alia vero metalla in suis coloribus ab aureo distant multum & vna res colorata, alteri mixta colorem vtriusq; variat, & minori maiorem impedit, nec color intentus acquiritur, nisi alterum colorem & proprium multum excedat. Et ex hoc necessario cōcluditur, quod ante omnia oportet artificem præcognoscere colorem proprium & naturalem, quem Elixir debet habere, vt prius sit in cognitione, quod esse debet vltimū in executione. Non sufficit autem vt sit citrinus citrinitate Auri, quia sic non tingeret metalla imperfecta in colorē auri: Nec sufficit vt sit rubeus quacunq; rubedine: quia sic non multā quantitatem tingeret inuariabiliter, seu immutabiliter: quia non omne rubeum tingit citrinum, sed rubeum valde excellens. Quare oportet, quod artifex per congruā digestionē veniat ad colorem Elixir ab arte inuentum. Et illud rubeum erit excellentissimum & immutabile secundum speciem, & etiā secundū minus: nō autē secundū maius: quia semper debet habere posse augeri: sed ante hunc colorem rubeum excellētissimum, infiniti sunt alij colores, qui sunt impfecti: quos natura nec ars principaliter considerat: sed tamen sunt via & p̄sagia, seu signa & indicia coloris perfecti. Et ideo ars illos nō multum considerat, nisi in quantum sunt indicia perueniendi ad perfectum ac desideratum colorem. Et aliqui ex his colori-

loribus sunt magis propinqua & manifesta indicia bonæ dispositionis ad finem intentum. De his ergo principaliter intẽdit ars, vt vera de eis habeatur cognitio, & de alijs non curat. Sic ergo hæc ars tres principales considerat colores: ex quib. coniecturare potest, si operando bene proceditur, & si sit spes effectum consequendi. Sunt autẽ hi tres, niger, albus & rubeus: niger in principio: albus in medio, rubeus vero in fine operis. Niger corruptionem indicat rei, & bonam permixtionem vel commixtionem humidi cum terreo, & est generationis initium. Nihil enim generatur, nisi ex altero corrupto. Albedo vero est signũ terminatæ humiditatis superfluæ. Vnde calor agens in humidum generat nigredinem, & agens in siccum, desiccando humiditatẽ, generat albedinẽ. Rubedo vero causatur, si cõtinuetur calor in siccum albũ. Vnde omnes philosophi iusserunt istos tres colores in regimine lapidis diligẽter cõsiderare, & eo ordine quo dicti sunt. Rosar. dixit: Obserua diligenter, ne opus tuũ rubeat ante nigredinẽ, & pereat per cõbustionẽ tinctura. Decoque omnia simul in aqua alba, donec versa fuerit in nigredinẽ. Si enim in principio mixtionis feceris multũ ignem, comburuntur omnia, & sequitur corruptio in tincturis. Vnde Pandul. in Tur. ait: Caueatis ne incendatis ignem intensiorem ante terminum: quoniam sic æs nostrum rubeũ fit, quod nihil vobis prodest, eo quod in initio regendi vultis albedinẽ: tunc rubeũ facitis, &c. Et Socrates ait: Coquite ipsum donec fiat pinguedo spissa: Postea accendite ignem sub eo, donec fiat lapis albus. Postea iterũ coquite donec priuetur humore, & fiat puluis siccus. Item Eximenus in Tur. Coquẽdo ipsum liquefacite, quousq; fiat aqua, vel vt argent. viuum: deinde aqua nitri imbuite, donec fiat vt minius liquefactus: deinde coquite, donec coaguletur & fiat stanno simile. Tunc maximum est arcanum sc. lapis, qui ex duobus compositus est. Regite ipsum iterato coquendo, donec fiat vt crocus excellentissimi coloris & perfectionis. &c.

Quod primum in regimine opus, (lapide posito) est dissolutio.

Cap. XXV.

Istorum duorum corporũ, sc. Solis & Lunæ cum Mercurio coniunctio in hac arte est necessaria ad album Elixir & rubeum, qa cum ipsis Mercuri⁹ miscetur, & figitur cũ maximo inge-

ingenio. Sed hoc minime peruenit ad artificem duræ ceruicis. Et hoc non intelligitur (vt dicit Rosar.) de sole & luna & Mercurio, in sua natura metallica consideratis: sed bene de nostro lapide, qui omnium trium in se continet proprietates. Est enim compositus ex corpore sc. albo & rubeo: & ex spiritu mercuriali volatili. Nō autem ex his fit Elixir, nisi corporum eorūdem reductio, ad suam primam materiam, quæ est aqua viscosa. Hæc autem reductio per nihil aliud ita conuenienter fit, sicut per Argentum viuum, qui ex ipso lapide est: quia ipsū haber posse solem & lunam ad suā primam materiā reducere: Ideo indiges, quod in dissolutione lapidis multum labores, sc. subtiliores partes à grossioribus, & puriores ab impuris disgregando. Quare verum operis principium est lapidis dissolutio. Ex qua re cognoscitur, quod lapis non est aliquid minerale: quia in illis præcedit vel calcinatio vel sublimatio: sed per hoc sc principium corpora ad naturam primam rediguntur: quia sic corpora miscentur cū spiritu, & fiunt vnum cū ea, & nunquam separantur, sicut nec aqua mixta aquæ, & vtrūq; in alterum agit, sicut in rem suæ naturæ propinquam. Et hæc solutio corporis fit cum coagulatione spiritus, & coagulatio spiritus, fit cum solutione corporis. Et ideo patienter sustine & coque & reitera: quia quanto magis teris, tanto magis mollificas, & grossum subtilias: sic enim spiritus cum corpore impastatur: quæ autem impastantur ex toto resoluuntur, & hæc impastatio fit cum assatione. Ex hac radice sequitur: quod corpus cum spiritu ascendit, & sublimatur, ac spiritus cum corpore fixatur: & vtrunque vnam & eandem naturam; eandem virtutem, eundem colorem recipiunt. Et quamuis hoc fiat post tempus longum, huius tamen initium est ipsa solutio: & ideo maxime ad artem est necessaria: & hoc volunt philosophi vnanimes. Dicit namque Haly in Turba: Nisi quodlibet corpus in aquam vertatis, ad opus non peruenietis. Et Pandulph. Scito quod omne corpus dissoluitur, & cum spiritu cui commixtum est, fit proculdubio cito spirituale. Similiter Bonellus ait: Nisi corpora spissa cum natura corpore carente diu diruatur, quousque corpora fiant incorporea, & velut spiritus tenuis conuertatur, non poteris illam tenuissimam animam tingentem extrahere, quæ in naturali ventre occulta est. Item Theophilus dicit: Accipite magnesiam albam, id est aquam viuam, mixtam masculo,

& te-

& terite coquendo non cum manibus, quousq; tenuis fiat aqua. Et Ioan. Theban.

Hæc res primo confricetur
& confricata humectetur
aqua infusibili.
Et pars nulla remittetur
partis grossa, quin aquetur
Limpham insolubilem.

Et Gallinarius auctor ait: Scito quod magisterium non perficitur, nisi tota terra soluatur. Hæc sunt dicta in genere de dissolutione lapidis, oportet autem specialibus de ipsa differere. Primo considerandus est finis propter quem fit. Fit autem ꝓpter duo: primo quidem vt corpora ad summam simplicitatē reducantur, id est, vt simpliciora redigantur quā fieri possunt, vt dicit Ioan. Scotus. Ideo primo soluuntur, vt posterius paulatim sublimando ad maximam subtilitatē ea reducere possimus. Opus autem solutionis (vt dicit Rosarius) fuit inuentū non propter aliud, nisi ad subtiliandum. Primo ergo corpora dissoluuntur cum spiritibus, vt fiant sicut spiritus: & vt post hoc magis magisque subtilientur, quousque totaliter ad naturam spirituum reducantur. Quanto ergo pluries soluitur, medicina subtiliatur & coagulatur, tanto magis subtilior efficitur & virtuosior. Vnde omnia quæ sublimantur, duobus modis sublimantur, quædam per se, & quædam cum alijs. Mercurius ergo cum sit spiritus, per se sublimatur: terra autē nostra cum sit calx corporis non sublimatur, nisi incorporata optime cum Mercurio. Contere ergo calcem & imbibe cum Mercurio nostro, & coque donec fiat vnum corpus: & non te tædeat hoc ipsum multoties reiterare: quia corpus non ascendet sursum, nisi incorporetur cum Mercurio. Et ideo necesse est, vt quantum potes magis corpus subtilies, & animā suam subtrahas, & cum Mercurio fortiter pistes quousq; fiant vnū. Hæc ergo solutio dicitur prima sublimatio lapidis: & hanc sublimationē facim⁹, vt reducamus corpora ad subtilē naturā, vt fiant sicut spirit⁹, & reducamus ea ad suā primam materiā, & vt assumant vnū colorē, & nisi hæc solutio ꝑcedat, aliæ sublimationes, sunt sublimationes incōueniētes, & nō cōuenienter subsequūtur. Hæc quoq; solutio dicitur cōtritio q̄ non fit manib. sed igne, vt supra dictū est. Hæc etiam solutio in aquam non intelligitur fieri, sicut fit solutio vul-

garis in aquam nubis, sed est solutio quę fit in aquam vnctuosam seu pinguem, vt inquit Scotus & alii, donec totum resoluatur in aquam, & fiat res vna tandem. Hęc tamen solutio nō est propria solutio, licet sic appelletur, sed potius liquefactio ad modum cerę. Ab hac ergo dissolutione prima incipit, & sic per multos gradus lapis philosophicus conteritur, quousque vltimo loco perfectissime subtiliatus remaneat, habens virtutem omnino spiritualem, ad penetrandum omnia solida & dura, vt dicit Hermes. Et isto modo educitur de potentia ad actum perfectum. Supra enim dictum est, quod à principio lapis imperfectus est, & compositus etiam de corpore & spiritu, habens in se pro parte naturam volatilem, id est, aeream, & pro parte fixam, id est terream. Est enim de natura Mercurii, est adhuc de natura solis & lunæ. Vnde virtus mercurialis euolat, & virtus corporis fixa est. Quare tamen vnum in alterum agat, & vtrumq; imperfectum, alterum perficit mediate regimine congruo: ideo ambo volant vt spiritus: & ambo figantur, vt corpus: quia inseparabiliter vniuntur. Et nihilominus naturalis subtilitas & spiritualitas per frequentem iterationem solutionis & sublimationis augetur, & completur, vt vult Rosar. Secundo fit dissolutio, vt ex corporibus anima extrahi possit. In ipsis enim corporibus naturam fixi habentib. est anima cū tinctura alba vel rubea. Et hæc anima est verum philosophorū sulphur & oleum ipsorū, & quinta essentia corporū, quia sulphuris proprietatē habet, & virtutē coagulandi Mercurium ac tingendi. Et ideo dicitur à Maria prophetissa, Coagulū coagulans, & ab Hermete dicitur Fermentum. Hæc autem anima non potest habere perfectā virtutem & completam coagulandi Mercurium, & tingendi metalla, nisi extrahatur ex suis sulphureitatib. & cū corpore suo coniungantur: In suis enim sulphurib. complete tingit: Mercurio autē vnita spiritualior efficitur: & Mercurius est mediū coniungēdi tincturas. Nec hæc anima potest extrahi à corporib. nisi perfecte dissolutis: quia per oēs partes diffusa est. Corpora quoq; non dissoluuntur nisi per Mercuriū: sed nec subito dissoluūtur, sed paulatim. Quare oportet lapidē summo cum labore ac industria dissoluere. Et cū tempore, vt anima possit extrahi & cum Mercurio vniri, & cū spiritu subtili subtiliari, donec facta fuerit spiritualis omnino, & nō possit facere corpus suū spirituale. Et hoc volunt oēs philosophi. Dicit enim Mireris: Calor solis

ſolis, ſpiritus aeris, & humiditas roris animam extrahit & vegetat. Ignea enim natura igne fluminis & igni fimi equorum ſequeſtratur, ac fit tandem viridis coloris. Et ideo vocatur Auis & ſulphur, & ſimile eſt margaritis ſinceris ac nitidis, & butyro albo recenti. Fex vero reſidua nigra eſt corpus: ſed anima tenuis eſt, quæ eſt aer, &c. Vnde Pandulphus in Turba dicit: Oportet primo æs noſtrũ leui igne cõburi, ſicut ouum calore gallinæ nutritur, ne comburatur Et fit vas vndiq; clauſum, vt eius calor augeatur, eiusq; corpus diruatur ac deinde ſpiritus eius tingens extrahatur. Scito autem quod omne corpus diſſoluitur cum ſpiritu cui mixtum eſt, & fit procul dubio cito ſpirituale. Omnis autem ſpiritus à corporibus alteratur: & fit color eius tingens & contra ignem ſtans. Et ſi patiens fueris in coquendi prolixitate, omnis ſpiritus tinget.

Secundo conſiderare oportet, per quid fiat hęc diſſolutio. Et certe ſcias quod nõ fit niſi per aquã Mercurij. Lapis noſter enim mollis eſt, & tenerrimus, & partim frigidus & humidus, vt ſuperius iam dictum eſt, & ad modicum ignem ſudat fortiter, & guttas grãdes veluti limpidiſſimæ aquæ generat in vaſe noſtro, quæ deſcendentes corpus mollificant, & mirabiliter perforant: & iterum ſępius aſcendunt & deſcendunt, quousq; totum corpus attenuent & diſſoluant. Quando autem corpus magneſiæ eſt vt aqua liquefactum, tunc omnia vapor facta ſunt, vt dicitur in Lilio: Calor ergo eſt primum mouens: quia aqua exhalare facit, quæ iter ad fugiendum non inueniens, quamuis fuga ſit ei eſſentialis. Si iterum in corpus incidit, cum eo congelatur, & color eius variatur, &c. Vt dicitur ibidem in tractatu Miſerula. Primum autem in opere eſt aqua: quia hoc non procedit aliunde, & per ipſam extrahitur tinctura pro rubeo & albo opere. Iam in via vniuerſali dicitur: Vaſe in furno apto appoſito, continuetur ignis. Tunc vapor materiæ aſcendit in Alembicum ſurſum ſubtiliſſime: & conuertetur ibidem in aquam ſerenam limpidam, & claram, habentem lacrymæ formam & naturam omnium ſpecierum, à quibus generatur: & deſcendit rurſum per roſtrum cornicis, id eſt per collum vaſis alembici. Et hæc aqua quia ſubtilis eſt, ingreditur corpus, & extrahit primo animam, deinde reliquum totum diſſoluit, & in aquam conuertit. Dicitur namque in libro Septem Sigillorum: Spiritus Mercurij ipſum corpus ſubtiliter ingrediens, & ad ſimplicem naturam diſpo-

nens, extrahit ab eo animam, & secum in aerem portat. Sicque vapor ex duobus elementis principaliter compositus, qui prius fuit frigidus & humidus. Et Haly dicit: Vase autem firmiter clauso, coquite æs nostrum, donec corpus leue fiat & impalpabile, & iterate donec cum aqua sit diligenter cōtritum. Vase enim firmiter clauso, conuertitur humiditas super corpus, & soluit ipsum in mense philosophorum. Mensis vero illorum secundum quosdam sunt tres dies & tres noctes. Et quidam per decem dies dicunt: & alij per 40. dies in circa: & alij etiam quinq; illis addunt. Hæc autem aqua multis nominibus nominatur. Vocatur enim aqua maris: quia maior est eius copia quam terræ, & etiam quia est amara ex ignea natura quam acquirit. Vnde dicitur in Turba: Accipite æs nostrū, & leui igne coquite cum aqua maris, donec tabulæ confringantur, i. dissoluantur, & fiat aqua, vel donec fiat saginatum brodium. Vocatur præterea Aqua nubis, propter abundantiam guttarum, & propter earum guttarum claritatem, de cælo ascendentium. Vnde Lilium ad hoc inquit: Incipientes, audientes aquam, putant eum esse aquam nubis: sed si libros nostros legissent, scirent eam vtique aquam permanentē esse. Quæ tamen absq; suo corpore, cum quo dissoluta est, & facta sunt vnum, permanens esse non potest. Vocatur proprie Aqua permanens. Vnde ex istis ait: Accipite lapidem Auri, & humori suo commiscete, qui est aqua permanens, ac suo imponite vasi supra leuem ignem, quousq; liquefiat. Vocatur etiam Acetum acerrimum: quia est acuta & penetratiua ac dissolutiua. Vnde Eximerus: Æs nostrum commiscete cum aceto acerrimo, & coquite ac regite, donec fiat aqua. Item alius ait: Est autem acetum acerrimum, ꝙ facit Aurum esse merum spiritū: & cum miscetur corpori, vertit ipsum in spiritum. Vocatur etiam Argentum viuum, quia habet colorem, splendorem, virtutem & proprietatem argenti viui mineralis, etiam quia frigida & humida est. Vnde Lilium: Nam primus eius humor est frigidus. Et iste mas dicitur spiritus, seu Argentum viuum, quod argentum viuū non habetur nisi ex corporib. liquefactis: vt aiunt Morien. & alij quā plures, &c. Vocatur etiam Fumus albus, quia per modū fumi ascendit, & ad albedinem lactis tendit. Vnde idem Morienus dicit: Harum specierum tres ad totum magisterium sufficiunt, scilicet, Fumus albus, Leo viridis, & aqua fœtida. Vocatur etiam Cauda Draconis: quia scil.

scil. Draco, id est corpus, vel terra eandē deuorat. Vnde Gallinarius ait, Hæc aqua exiens a corporibus suis, dicitur Cauda Draconis, quæ ab ipso Dracone paulatim tota deuoratur. Itē Hermes in Turba: Ex isto lapide exit Draco, qui comedit caudam suam. Ex ipso enim nubes ascendunt, & descendunt nubes ac pluuiæ. Dicitur enim auis volans, quia ad modum auis in altum, id est in cælum euolat: & tamen iterum in terrā propter nutrimentum descendit. Vnde nutrix omnium est terra. Et Hermes pater ait: Masculus retinet volantem, & volans est femina, quæ habet alas integras, & volans vult volare cum alis: sed alia quæ non habet alas, retinet volantem & prohibet eam à volatu, & ipsam facit secum sedere, & tunc colligatæ retentæ sunt, & in carcerem, &c. nisi denuo per artem soluantur. Vocatur etiam spiritus, propter subtilitatem suæ naturæ. Ascendit enim per medium vaporis subtilis, quāuis postea frigido aere percussus inspissetur in aquam. Tandem virtus aerea in ipsa manet, penetrans corpora & subtilians: Vnde in Turba legitur. Nota quod spiritus est aqua, quæ extrahit animam a corpore, & anima illa est tinctura soluta, &c. Dicunt enim philosophi periti: Tria sunt componentia nostrum æs, scilicet corpus, spiritus & anima. Multis etiam alijs nominibus nominatur, & nō immerito: quoniam vt dicit Lilium: Aqua illa est natura illa cælestis, quę elementata in corporibus existentia suo regimine separat, & iterum ea cōponens in vnum reducit. Vltimo vero considerandum est, quod aqua dissoluens corpus, suam naturā mutat & colorem. Quia enim corpus in ea & cum ea dissoluitur, efficitur spissa vt mel, vel brodium saginatum (vt dictum est) & albo colore coloratur. Citrinū enim cū albo mixtum, croceū, vel ꝑpe viridem causat colorem: propter quod corpus totum liquefactum, vocatur Auis viridis, secundū dictum Mireris superius allegatum. Et hæc per signa vtiq; cognoscitur prima dissolutio completa, quando scilicet corpus & aqua vbique & in omnib. partib: æquali, vel parum differenti profunditur croceo colore inter citrinum & album ipsarum partiū cōponentiū medio, vel q. medio. Quod ideo iungitur, quia album superat in quantitate citrinū: & parua seu modica facta est digestio. Et ꝑpter hoc color plus de albedine, quā de citrinitate participat. Et ꝑpterea post lapidis liquefactionē, materia pl⁹ butyro liquefacto, quam alteri vnctuoso aut pingui assimilatur.

latur. Et hoc eſt quod dicitur in Soliloquio philoſophico. Diſſolutio ergo partium corporis perfecti, coagulat tenuem ſubſtantiam lactis in maſſam denſam, quæ erit q. butyrum ductile coagulatum, & eſt fermentũ paſtæ. Vnde in Turba dicitur: Æs noſtrum oportet comburi cum altera parte aquæ. Iſtud enim æs incidens in aquã, dicitur fermentum auri, ſi bene rigatis: Ipſa enim ſimul coquuntur, & liquefiunt vt aqua. Ex his ergo conclude cum Roſario, ſicut etiam prius dictum eſt, quod hic non intelligitur ſolutio, reductio in aquam, ſed quod ſiccum conuertas in humidum, groſſum in ſubtile, corporeum in ſpirituale, compoſitũ in ſimplum. Et hoc eſt quod ſubtiles ipſum quantum potes. Nam prout erit diligens præparatio, ita etiam erit in medicina perfecta.

Quod ſecundum in regimine, opus eſt putrefactio.

CAP. XXVI.

CORpora quę non ſoluuntur, non ſubtiliãtur: ideo oportet, vt in ſolutione lapidis patiẽter labores, partes craſſiores ſubtiliores ſubtiliando, & ſubtiliores à craſſioribus ſegregando, donec totum corpus ſubtile fiat, & ſpirituale atq; volatile. Hoc autem, vt dictum eſt, fit per argentum viuum, quod eſt aereum, & corporis diſſolutiuum, & ipſius animam paulatim extrahendo, ſecum in cælum portat, & per hoc eius virtus continue augetur, calore ignis cooperante. Quapropter vltimate totum corp⁹ diruit atq; vincit, atq; ſecũ in aerẽ portat. Sed antequã ad hãc pfectionem reducat ipſum corpus neceſſe eſt, quod corpus primum in aquã ſoluat, & ſoluẽdo putrefaciat. Et ideo primus modus ſolutionis eſt, materiã putrefacere. Incipit.n. putrefactio à principio ſimul cum ſolutione, ſed nondũ cõpleta eſt putrefactio, quando materia tota in aquã eſt ſoluta, ſed poſtea cõpletur: & in hac putrefactione lapis iterũ melius ſoluitur, quã prius fuerat ſolutus: qa quanto plus augetur, & operationes cõtinuantur, in tãto plus lapis ſubtiliatur. Totũ ergo magiſterium cõſiſtit in putrefactione: quia ſi putridũ nõ fuerit, ad nihilum deueniet, vt idem ait. Putrefactionẽ ſequitur nigredo, & hoc in humido. Cauſa autem mouẽs ad putrefactionem eſt calor temperatus. Vnde dicit Auicẽna: Calor agẽs in humido generat nigredinem &c.

Hæc

Hæc ergo tria consequuntur se mutuo, sc. humiditas, putredo & nigredo. Vnde Artephus dicit: Stet autem domus vitrea subtiliter situata, quousq; materia inclusa, humida, paulatim eueniat putrida & nigra.

Primo ergo notãdum est, quod putrefactio est necessaria, primum in lapidem: quia non fit generatio nisi post corruptioné, nec melioratur res nisi prius eius forma penitus destruatur: lapidẽ aũt ad perfectã formã Elixiris pducere q̃rimus: ergo prius corrumpendus erit. Vnde dicitur in Turba: Et lapis vnus quatuor habens colores, secundum quatuor elementa qui si mortuus non fuerit, ipse solus manet, si autem mortuus fuerit, multum fructum affert. Et in libro Septem sigillorum dicitur: Nisi putridum fuerit ad arcanum peruenire non poteris. Et vt dicit Raymundus de Terminis: Hæc putrefactio fit in Ariete cõuenientius. Vnde in Ariete tota materia debet esse conuersa in substantiam homogeneam. Et in hoc nullus debet errare: quia totum secretum iacet in principio operis, scilicet in perfectione.

Secundo. Nota quod hæc putrefactio est duorum corporũ perfecta & vniuersalis commixtio. Vnde dicitur in lib. Misérula: Oportet quod sol qui est vnius generis cum luna, bibat & inebrietur, & abundanter potet de aqua Lunæ, & amicabiliter concumbat, ac per minima cõiungatur: quia natura cõgaudet naturę, ppter conformitaté naturarũ. Tũc.n. sperma, i. pinguedo solaris, subintrat in corpus lunare, & per minimas partes commiscetur, & vniuersali commixtione sibi connectuntur, & per hoc luna fit pręgnans, quod fit in quadraginta diebus. Vnde nisi talis commixtio fieret, non sequeretur partus, vt refert Morienus. Et nisi fiat impręgnatio, non erit ortus.

Tertio nota, ꝙ tria sunt signa putrefactionis, sc. color niger, odor fœtidus, & subtilitas pulueris, vt sit sine tactu. Ignis enim cũ humido denigrat lapidé in præparatione. Et ista denigratio est signum perfectæ commixtionis, & susceptionis vnius ad alteram, vt dicitur in Turba. Sicut autem dissolutio per argẽtum viuum, ita etiam putrefactio & denigratio, quia est humidum: & humiditas cum altera mixta, putrefacit & impinguat & nigredinem inducit. Vnde vt dicit Rosarius, Quamuis argentum viuum primo albissimum ascendat per sublimationem, tamẽ descendendo, & se cum corpore commiscen-

miſcendo, per diſſolutionē transit in ſpeciem Mercurij, quem ſi poſtea decoxeris in balneo mariæ, quouſq; videas totum in oleum nigrum conuerſum, tunc eſt veræ diſſolutionis ſignum. Et ideo poſt diſſolutionem primam in aquam debet poni ad putrefaciendum, complete decoquēdo leui igne, donec introducatur in eo alia forma in colore nigra, in odore fœtida, in tactu ſubtilis & diſcontinua. Vnde in Lilio dicitur: quod quanquam die illa nigredo eius durat, femina dominatur, h.e. vſq; ad albedinem: & humiditas argenti viui eſt corrumpens &c. Et Morien. in translatione noua ait: Totum noſtrum magiſterium nihil aliud eſt niſi extractio aquæ ex terra & iterum huius ſuper terram dimiſſio, donec putreſcat. Hæc enim aqua putreſcit cum aqua, &c. Et Raymun. de Term. aſſerit: Donec tota materia denigretur, &c. Et Gallinar. etiam: Donec materia in fundo nigra fuerit, &c. Et Ioannes Teb. *Corruptionis præbet ſignum,*
quod eſt omni laude dignum, color in nigredine.

Odor quoq; eſt ſignum abſolutæ putrefactionis, non qualiscunque, ſed grauiſs. & omnino intolerabilis, Solutio enim & putrefactio cū fœtido odore incipit, & continue creſcit vſque ad ſummum: & ideo toxicum & venenum mortificās dicitur in lib. Satur. ante ſc. perfectionem, & interficit corpora humana: poſt vero corpora metallica. Iſte autem eius odor magis intellectu quam ſenſu percipitur. Quia qualis ſit in opere, experimēto didicimus ante opus. In opere enim pcauendum eſt ſummopere, ne odor eius ſentiatur, quia putrefactio non completur, ſi odor adhuc ſentiatur. Hæc lapidis duplex proprietas, per ſimilitudinem mortui exprimitur. In Lilio namq; dicitur, quod lapis ab initio leuem ignem exigit, & mortuo ſimilis videtur per dies, vt homo in ſuo tumulo. & ibidem Theophilus: Illius mulieris vēter armis plenus eſt, & veneno. Vnde:

Nigreſcit demum atque olidos effundit odores.

Tertium quoq; ſignum putrefactionis completæ, eſt puluis ſine tactu: quod tamen nō tactu ſed viſu pbandum eſt. Et hoc eſt, vt ſit totum vt oleum nigrū, vel ſanguis ſubrubeus: ita quod totum vel maior pars materiæ ſit vniformiter nigra, & non ſit diſcontinua, ſed vna pars ab alia. Et hoc dicit Theoph. Effodiatur ergo ſepulcrum illi draconi, & ſepeliatur illic mulier cum eo, donec vertatur in ſanguinem.

Quarto nota, quod hæc nigredo præcedit albedinem. Dici-

Dicitur enim in Lilio: Vbi loquitur de albedine & rubedine: nam vtraq; non fit absque nigredine: quia nigredo prima facie in opere occurrit. Et hoc primam clauē operis esse significamus. Et Mireris dicit: Oportet autem terra prius sepeliri in petia panni Ægyptij, postea oportet candidari compositum, vt fiat sulphur tingens & permanens. Deinde rubeum fieri, &c. Et alius quidam ait.

—— Tum vera operis primordia nosces
Coprore dum fusco magnesia nigra videtur.

Propter quod ait Mundus: Ista duo vasi sapienter imponite, & semper ac humiliter Deum orate, vt hunc nostrum lapidem videatis in opere commixtum, tunc coquite paulatim extrahentes animam, ac inspicite si factus sit lapis niger. Quia si ita est, optime rexistis: sin autem, regite ipsum albo liquore, quod est maximum arcanum, donec fiat nigredine coopertus. Ex his ergo patet, quod nigredo est principale signum completæ putrefactionis, solutionis, commixtionis, imprægnationis, &c.

Quod tertium opus in regimine lapidis est dealbatio.

CAPVT. XXVII.

Dicitur autem corpus sic denigratum esse mortuum. Vnde Gallinarius dixit: Hāc autem nigri solutionem corporis quoq; mortui solutionem vocamus, & communiter fit in quadraginta diebus: quare necesse est ipsum abluere vt mundum fiat, & viuificare postea, vt vitam & virtutē recuperet. Quia dicit Rosarius: Conuerte lapidem de bono in melius & non in peius. In melius conuertitur, quando fit Elixir compositum. In peius aūt, quando corrūpitur: quia tunc damnum est & non lucrum. Corrūpitur ergo lapis nō vt mortuus maneat, sed vt ad meliorem naturā, & maiorē virtutē p digestionem perueniat. Et ideo dicitur in tractatu Miserula. In primo opere apparet nigredo, sed corpora ambo abluuntur per aquam superius ascendentē per sublimationē, & iterū descendentem per destillationem clarificantur & viuificātur, postea erunt albissima ad modū marmoris relucentis & salis albissimi. Et tūc de omnibus corporib. facit lunā: hoc est aūt, quando nupserit, id est, quando in vase suo commixti fuerint per minima, & in vnam naturam coiuerint per ignis exsiccationē: tunc enim generabunt filiū, qui totam parentelam

ſuam præualebit. Quia ſol & luna per ſe nõ tingunt, filius aũt hic plenus eſt tinctuns. Et in hoc eſt cõplementum primi operis. Quod opus eſt mulierum opus & ludus puerorum, ſc. poſt præparationem: quia Thelon & Azoth tibi ſufficiunt: Ex his itaq; apparet totus ꝓceſſus albedinis: ſed tamen vt clarius ordo & cauſæ cum effectibus in hac operatione diſtinctius auctori pateſiant, diffuſius eſt hic ſcribendum.

Primo igitur ſcias, quod oportet abluere corpus mortuum cũ igne & aqua. Et de hac aqua Morienus teſtatur: Hæc terra cum aqua ſua putreſcit, & cum aqua mundificatur. Sciunt omnes, quod aqua eorum ſordes abluit. De igne autem inquit Auicenna; Calor agens in ſiccum cauſat albedinem: quia ſic humiditatem corrumpentem conſumit, Ideo vt dicitur in libro Saturni: Ignis calces lapidum albificat. Et de vtroq; dicit Morie. Azoch & ignis Latonem abluunt & mundificãt, & eius obſcuritatem ab eo penitus eripiunt. Et ob hanc cauſam aqua calida fortius abluit, quam frigida. Vnde cera rore & calore albificatur, linum vero humore & ſole candidatur, Et hæc eſt cauſa, quare poſt putrefactionem lapidis, oportet ignem continuare, quouſq; albus fiat. Per ignis enim continuationem, terra calcinatur & trituratur continue plus, & paulatim diſſecatur, & ideo vltimo dealbatur, Ad quam dealbationem, cooperatur aqua quæ cum ipſa terra continue imbibitur, & calore exhalat: imo potius cum terra incorporatur & diſſecatur. Ideo dixit Ignotus: Sæpe tere eam cum aqua ſua, & iterato calcina, quouſq; aquæ ac ignis lotione, obſcuritas penitus recedat. Secundus modus talis eſt: Materia putrefacta, inferius manet in vaſe, quamuis propter calorem reſoluentem, ſemper aliqui ſpiritus ſubtiles & aerei, cum vapore aquoſo in vaſis aſcendunt Eſt materia ad modum aquæ, vel olei nigri, adhuc groſſa & grauis, ac impura, & poſita ſeu commixta ex corpore, ſpiritu & anima, Ars autem ex ea deſiderans Elixir componere quærit eandem ſubtiliare, ac tingere perfecto colore, & fixare. Hoc autem fieri nequit niſi ſubtile à groſſo ſeparet, & iterum per ſubtile groſſum ſubtiliet, & ambo iterum coniungat, ac ſimul fixet. Quare ſubtili ingenio, ſublimationem inuenit, quæ fit per colorem digerentem, ſeparantem, eleuantem, purificantem, fortificantem, coniungentem, diſſecantem & fixantem. Poſtquam ergo materia fuerit putrefacta, oportet dicere de extractione

aquæ à terra: quia impossibile est fieri vnionẽ spiritus & corporis, nisi in aerem per sublimationem, post scil. putrefactionem. Igitur continuando lentum ignem, separatur aqua à terra per destillationem, & simul cum aqua & per aquã, extrahitur animal à corpore, vt dicit Rosar. & illa aqua est à principio quidem grossior & obscurior: quia à corrupto corpore ascendit, in longum tamen efficitur subtilis, clara & alba. Anima vero cum aqua & per aquam extrahitur. Aqua namque primo ascendit, & ascendendo subtiliatur, ac iterum descendit, & corpus penetrat, & dissoluit cum auxilio caloris, & subtilem eius substantiam, quasi quintam essentiam, à partibus terrestribus segregat, & iterum ascendens secum in cælum portat. Propter hoc enim fit putrefactio lapidis, vt anima extrahi possit, & si non putrefieret extrahi non posset. Hæc ergo sublimatio tamdiu continuetur, quousque tota anima extrahatur. Ex qua re nota, quod lapis in duas partes principales diuiditur: Prima est quæ sursum ascẽdit, & hæc est aqua quæ est humida & limpida. Et quamvis ascendat per modum vaporis, tamen frigidiori aere repercussus, iterum veluti aqua condensatur, & descendit ad humectandum terram. Et hæc etiam est anima, quæ totum lapidem viuificat, & se habet respectu olei: & à quibusdam dicitur Fumus albus: à quibusdam vero acetum acerrimum: qui in colore niueo ascendit, & est valde acuta. Et aqua hæc habet secum animam, id est tincturam solutam, & in spiritu depuratam, ex corporibus extractam. Altera vero pars remanet inferius fixa: & hæc vocatur terra nutrix, fæx, magnesia, & melius alijs nominibus nominatur. Dicitur etiam corpus mortui, in quo nihil est vitæ, quia ablata est anima sua. Hæc autem terra non est abijcienda: quia in fæcibus est quod quæris. Et ex hac terra prima pars est nutrienda: propter quod multi decepti sunt, qui diu laborant, & nihil faciunt: quia extraneas terras addunt in sublimatione. Et illud quod superius ascendit, sæpius sublimant, ac fæces subtus remanentes proijciunt, ignorantes tandem quid sit proprie lapis noster. Nos autem non volumus per partes, quæ eleuantur in sublimatione, remaneant separatæ ab his quæ inferius sunt: sed volumus eas iterum in vnum conuenire, &c. Quia post primam purificationem quæ per solutionem completur, non inuenitur quicquam superfluum, nec diminutum in nostro lapide. Ex his igitur patet, quod

quod in extractione animæ a terra anima contrave plus purificatur, subtiliatur, fortificatur, & crescit in qualitate, virtute & colore. Efficitur enim vltimo albissima vt nix: terra vero inferius descendit, & continue immoratur in quantitate, ac debilitat in virtute. Vnde manet deformis & mortua, nec viuificatur nisi sibi reddatur anima sua. Quod quando fit, anima fluit in spiritum, suum corpus, & aufert omnem eius nigredinem, ac immunditiam. Et quando miscetur cum prædicto suo corpore, fit vnum cum eo, & vertit ipsum in spiritum, & inuariabili colore colorat. Et ex hoc habet proprietatem olei, sicut prius aquæ. Aqua enim abluit & mundat, oleum vero tingit & colorat. Sicut enim aqua non subito, sed paulatim à terra ascendit, & secum animam extrahit: ita etiam non subito, sed paulatim super terram reducitur: quia non simul tota cum terra sua coagulatur & desiccatur, sed per partes: ita quod aquæ qualitas magis magisque per tempora diminuitur, quousque tota desiccetur, vt in puluerem conuertatur. Et hoc fit eodem ordine cum igne lento, sicut de extractione dictum est. Et totum magisterium in hoc consistit Morien. vt extrahatur aqua à terra, & iterum super terrã dimittatur. Quia per hoc, vt Hermes inquit: Lapis accipit vim superiorẽ & inferiorem, & fit spiritualis & corporalis: sed caue ne oberres, cum audis diuisionem lapidis in terram & aquam: Quia lapis semper est vnus, & est in eo spiritus, corpus & anima. Et sicut ex vno vtero simul processerunt, & vicissim quandoque agunt. & quandoque patiuntur: Ita etiam sunt indiuiduæ societatis. Etenim nunquam vnum ab altero separatur vere, sed quo ad visum separari videntur: imo nec vnum sine alio esse vllo modo potest, vt dicit Lilium. Nam sui spiritus separati sunt per viam perfectæ naturæ. Ita quod ab inuicem non separantur, vt dicit Geber in libro Radicum. Ex hoc accipe, quod hanc differentiam partium lapidis potius intellectus artificis percipit, quam oculus videat: quandoque sensui appareat diuersitas. Semper enim post solutionem lapidis, aliquid superius volat, & aliquid inferius manet, quamdiu lapis non est fixus. Et semper quod ascendit, aliquid corporis secum rapit in aerem, & quod inferius manet, semper aquam ascendentem imbibit. Tantum enim descendit, quantum ascendit: quia in rota suæ sphæræ omnia volutantur seu circulantur calore ab inferiori expellente, & eleuãte vaporabile, & frigore à

re à superiori constringente ac deprimente. Quod autem descendit, statim corpus subintrat, & ad volatum disponit: quia spiritus est subtilis & ex ignea virtute acutus. Ex hoc contingit, quod quamvis à principio extractionis, aliquid terræ nigræ in fundo vasis videatur residere. Et post tempus tamen ad vltimum mollificatione aquæ, & ignis trituratione, totum dissipatur & subtiliatur, & tandem totum ascendit in aerem, cum spiritu rapitur non simul, sed paulatim: fiuntque omnino vnum corpus & spiritus. Et ex isto consequitur totum, vnum habens colorem, virtutem & proprietatem. Deinceps vero iterum per præcipitationem continuam, totum sublimatum inferius figitur, paulatim tamen, quousque nihil amplius ascendat. Et tunc spiritus conuersus est in corpus, & tamen corpus virtutem spiritus non amittit. Quia enim spiritus subtilissimi facti fuerunt: corpus quoque subtilissimum manet: quia est res existens de natura quintæ essentiæ. Fuerunt quoque spiritus clarissimi, fulgentissimi: ergo & corpus. Fuerunt purissimi, ergo & corpus purissimum. Fuerunt albissimi, ergo & corpus albissimum. Et sic de alijs. Non est tamen æstimandũ, quod statim quando corpus inferius quiescit, sit satis fixũ, aut sufficienter ad albũ tinctum, nisi forte subito totum sublimatũ simul inferius fixum quiescat, fundens se vt oleum splendidissimũ. Sed quocumque modo aut tempore hoc fiat, certum est, quod spiritus, anima & corpus sunt perfectissime vniti, & plene facta est amicitia inter calidum & humidum, frigidum & siccum. De hoc modo regiminis loquitur Morienus, dicens: Et si perfecte corpus non mundaueris, & ipsum non desiccaueris, neque bene dealbatum reddideris, & in eum animam non miscueris, & omnem eius fœtorem non abstuleris, donec post suam mundificationem, tinctura in eum decidat, nihil penitus huius magisterij direxisti. Et scito quod anima cito corpus suum ingreditur, quæ cum corpore alieno nequaquam coniungitur. Et Rosarius: Duo sunt elementa, lapidea, sicca scilicet, terra & ignis: & duo aquatica, scilicet aer & aqua: corpus vero calcinatũ, est aqueo priuatum humore. Cum ergo aridum sitiat libenter, aqueum bibet. Reduc igitur aquam super terram paulatim coquendo, donec terra fiat alba, &c. Item in libro de septem Sigillis dicitur: Spiritus Mercurij ipsum corpus subtiliter ingrediens, & ad simplicem materiam disponens, extrahit ab eo animam

animam & ſiccum in aerem portat. Poſtea vero ipſo corpore diſpoſito, & ad naturam quintæ eſſentiæ redacto, quæ eſt ſimplex, iterum animam infundit. Corpus vero eam amplectens, gaudet. Spiritus quoque cum anima corpus intrans, ipſum perficit, & mortuum facit viuũ: & dum reſurgit, in perpetuum viuit. Et iſta anima eſt mediatrix inter corpus & ſpiritum, & ipſa eos coniungit & ligat coniunctione inſeparabili: Spiritus enim non poteſt vniri cum corpore, niſi per animam quæ eſt Solis & philoſophorum tinctura. Videns igitur anima ſuum corpus mortuum, & ſiccum, compatiens deſcendit, & viuificat illud. Et quia ex cæleſti habitatione ſublimis, & puriſſima atque virtuoſiſſima effecta eſt, ipſum quoq; corpus ſuum perenni vita & immortali donat, &c. Et Mireris philoſophus ait: Spiritus qui extrahitur eſt anima. Fæx autem nigra remanens & reſidua eſt corpus, in quo nihil eſt vitæ. Anima tenuis eſt, quæ eſt aer: corpus vero ſpiſſum, quod eſt terra. Oportet autem vnumquodque eorum regimen ordinem habere, quouſque ſpiſſum attenuetur, & tenue incorporetur. In fæce enim eſt quod quæris. Non autem cineres vilipendas inferiori teſtæ loco exiſtentes: ſed igne carbonum coque per plures dies, quouſque carbo fiat. Deinde ſpiritu ab eo ſequeſtrato, tere ac humorem ei redde, quo prius ipſum liquefeciſti, &c. Oportet autem poſt hoc liquefactum fieri, vt à ſua natura alteretur, quouſq; poſt diſſolutionem fiat ſpirituale ac tenue. Reddita igitur ei anima ſua, quæ eius fuit eſſentia, & vita, fit tenuis, vt ipſa anima autem corpore reddita viuificat mortuũ.

Tertio ſcias, quod oportet artificem, lapidem non ſolũ dealbare, ſed perfectam albedinẽ etiam ſibi dare: & ideo neceſſe eſt, hanc ipſam prius præcognoſcere, vt ad ipſam ſciat per quoſdam gradus peruenire: quia non omnis albedo ſatis tingit ad Lunam: nec ſtatim quando lapis albus eſt, ſatis etiam eſt fixus. Oportet igitur lapidem ſublimare, & ſublimando dealbare, donec ſit albiſſimus, & fixus aduerſus ignis pugnam. A nigredine ergo ad veram albedinem per longum tempus attendimus, & per multos colores, antequam in vltimam digeſtionem color proprius intentus ab arte generetur. Et vt dicit magiſter Bon. in cap. vj. Colores omnes præcedentes vltimum quocumque numero ſint, ex incompleta digeſtione ſunt. Et ideo artifex in ipſis non ſiſtit ibi, ſed tẽdit ad vltimum tanquam in mente ſua præfixum. Videamus ergo, quanta

eſſe

esse debeat albedo lapidis. Dicit namq; Ham. in Tur. scitote quod cum Mercurius dealbatur: fit sulphur album philosophorum incombustibile, continens in se venenũ. Quod splendori marmori est simile, quod inuidi Ethelia vocant, & auripigmentum, & tincturã: quia solum sulphur æs dealbat. Non potest autẽ dealbare æs, nisi in priori operatione fuerit dealbatum, hoc tamẽ est fugitiuum nisi à sulphure rubro retineatur, &c. Et tractatus Miserula dicit: Erunt albissima ad modũ marmoris relucentis & salis albissimi. Et tũc de omnibus corporibus facit Lunã. Et Ignotus ait, Fortifica ignẽ in calcinatione, quousq; terra egrediatur alba ex ignis fortitudine. Et ideo sæpius tere terrã cum aqua sua: & iterato calcina: quousq; aquæ, & ignis lotione, obscuritas penitus recedat: post purificationẽ autem rubescit, postea citrinescit. Imo vt ait Gallinar. sæpius albescit, & sæpius citrinescit, ac sæpius nigrescit. Et secundum aliũ philosophum, sæpius rubescit, & sæpius citrinescit: ac sæpius liquefit & sæpius coagulabatur ante verã albedinẽ, imo omnes colores mundi prius apparent: & vltimo sequitur vera albedo. At ignotus subiunxit, q̃ tunc vera est, quãdo veluti oculi piscium in eo elucescunt: & tunc est in rectitudine lapis congelatus. Cum videris albedinem omnibus supra eminentem (idem Gallinar. inquit) omnes colores mundi ante apparentes, omnes tamen terminantur in vnum colorem, scil. albedinem perfectam, quæ est ad similitudinem marmoris coruscantis. Hæc autem continuatur in vno vase & vno igne in fimo equino calido & humido, donec soluatur sæpius, & iterum congeletur ac inspissetur in massam clarissimã & albi coloris, quæ in frigido induratur ad modũ picis, vel gũmæ duræ. Et hæc prima decoctio continuanda est tamdiu, quousque Draco viuificetur, & fiat lapis cristallinus, fundens, tingẽs & congelans Mercurium, lac mutans quæcumq; metalla in verã lunam. Et alius philosophus ait: Lapis albus dicitur aurũ album, & est tanquã oleum albũ vt nix, &c. Quando ergo sic est perfectus, adeo vt fluat veluti cera absq; fumo & stridore: tũc proprie lac virginis dicitur, secundũ Gallinar. Et in lib. Satur. legitur: Erit Sicut lac incerans, liquescens, penetrans ad modum aquæ fixæ super ignis pugnam: & cadit numerus eius super mille. Dicitur etiã aqua vitæ, quia illuminat omne sordidũ, vt apparet ibidem. Dicitur etiam aqua perennis, ac multis alijs nominibus nominatur. Hæc autẽ secundum quosdam perfici-

perficitur in putrefactione in 36. diebus secundum alios in 70. & secundum alios in 80. in circa.

Quod regimen nostri lapidis in coniunctione spiritus & corporis est diuinum.

Cap. XXVIII.

Dicitur autem hæc ars diuina ratione partis regiminis super naturam existentis & intellectum, vt volunt omnes philosophi. Illud autẽ regimen diuinũ fit tempore dealbationis, quando scil. coniunctio fit animarum, spirituum & corporum dealbatorum: quia hæc coniunctio dependet à tutela diuina. Fit enim subito hoc scil. ꝙ medicina coagulat argent. viuum, non vulgi, sed lapidis, nisi in ortu suo subito coaguletur, cum illa medicina, de qua loquitur Geb. Volat ac fugit cum tota illa medicina. Loquitur enim ibi non de argento viu. vulgi; quamvis verba videantur sic sonare, sed de argent. viuo quod coagulatũ est, & fixum in elixir. Vnde oportet ꝙ ab exordio sit vna sola materia, in qua sit virtus corporis & spiritus, & animæ, similis medicinæ minerali, quæ non indigeat aliquo extraneo adminiculante, sed in se habeat omne illud quo indiget ad suam operationem in regiminis administratione, siue ad sublimationem, siue ad fixationem, siue liquefactionẽ, siue ad congelationem, siue quicquid talium est: Dicit enim Lil. Vna sola res est, habens in se corpus, animã & spiritum tingentia simul: In cuius operatione non est necessarium aliud coadiuuans, &c. Est etiam vnumquodq; prædictorum corporum & spirituum, si præparatione perfecta fuerit præparatum album, vel rubeum elixir per se solũ. Est enim vnum fermentum ad album & ad rubeũ. Vnde Ras. de argento viu. philosophorum loquens ait: Nolo mireris ꝙ argentum viuum, in hac ratione inter corpora, & in præcedenti in spiritus numerauerim, suæ namq; naturæ conuertibilitas hoc exigit. Vnde nunc corporibus & nunc spiritib. societur. Spiritibus namq; sociatur rationabiliter propter fugacitatem ab igne, quem habet antequam corrigatur. Et quia exaltat corpora cum est correctũ, corporibus quoq; associatur de iure: quia in ipsum omnia corpora conuerti possunt: & ipsum ex omnibus corporibus potest educi: Itẽ illa pulcra disputatio, quã ponit Rasis inter Mercurium & aurũ, ostendit quod volunt lapidem esse totum Mercurialem, & in suo occulto habere aurum, seu sulphur. Ex quibus elicitur quod lapis philosophorum est so-

lius Mercurius: quia totus est ſpiritus fugiens. Et ideo quamvis argent. viuum ſe habeat per modum feminæ in compoſitione elixiris, cum tota prima operatio eius eſt, vt maſculi. Et hoc eſt quod tam diu eſt volatilis, quamdiu non continetur à corpore, quod eſt ſulphur coagulans ipſum. Hoc autem corpus non aliunde ſibi additur, ſed habet illud in ſua natura in potẽtia, reducitur autem in actũ, quando per congruam digeſtionem accipit proprietatem & naturam corporis. Et tunc ex ſolo ſeipſo dicitur corpus. Vnde etiã in omnib. operationib. metallorum & mineralium fere omnium compoſitio fit ex ſolis ſpiritibus vel ex vaporibus proprijs, ſiue ſimplicibus ſiue commixtis: qui quidem dicuntur ſpiritus, propter fugacitatem à calido, qui tamen in fine digeſtionis figuntur à frigido, & figuntur per ſe cum ſuis corporibus occultis exiſtentibus in eis potentia abſque permixtione alterius corporis extrinſeci: & hoc eſt à natura ſpirituum terreſtri: quia grauia elementa ſunt fixionis cauſa, maxime autem terra, quæ impreſſionem difficilem recipit, ſed poſtea fortiter tenet: facilius tamen recipit, ſi aqua ei cõmiſceatur. Vnde manifeſtum eſt, quod etiam ſpiritus minerales ex quatuor elementis ſunt compoſiti: & grauia ſicut & leuia ſunt vaporali à calore digerente. Leuia enim elementa hoc modo grauiora ſibi commixta ſecum ſublimant: grauiora tamen ex hoc non perdunt naturam ſuam omnino, nec proprietatem naturæ ſuæ: quia ſic non poſſent redire à corporeitate ad ſpiritualem: quod tamen penitus falſum eſt: quia corpora ſunt ſpiritus in potentia: & econuerſo ſpiritus ſunt corpora in potentia. Ita etiam eſt in his ſpiritus, ex quibus elixir componitur: quia cum elementa grauia ſunt fixionis cauſa, quando ſunt vltimate digeſta & purgata, & habent vim corporis ac ſulphuris. Et tamen nunquam ſunt ſeparata à leuioribus elementis: quia leuiora ſunt in grauioribus, ſicut vna ſola res habet in ſe omnia quatuor elementa, & agens & patiens, & quicquid ſibi eſt neceſſarium ad generationem elixiris. Sic ergo Mercurius noſter purgatus per artem à ſordibus per ignem congruum, eſt ſpiritus fugiens ſimpliciter actu, & eſt corpus in potentia propinquiſſima. Ergo oportet vt reducamus ipſum vt corpus in actu: & tunc etiam eſt corpus ſolare philoſophorum & tinctura & aurũ philoſophorum, & plumbum & æs illorum. De quo dicit Miluefindus: Æs noſtrum non fit tingens antequam ſit fugiens. Et hoc aurum eſt ſulphur

phur philoſophorum,occultum in argento viuo ipſorum.De quo eſt diſputatio. Et hoc aurum eſt fermentum vtriusque tincturæ, ſcilicet albæ & rubeæ. Argentum autem viuum eſt fermentum. Et de hoc dicunt philoſophi:Fermentum auri aurum eſt,ſicut fermentum paſtæ,paſta eſt. Nunquam autem dicunt fermentum argenti,argentum eſt:quia omnis fermentatio & omnis fixio in elixir,fit per aurum non per argentum. Ideo dixit Geber: Nullum metallorum ſubmergitur in Mercurio,niſi ſol.Et Alphidius in cap.de natura ſolis dixit : Spiritus commiſcentur & figuntur cum ſale , maximo ingenio, quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis. Et Hermes dixit:Contemplare quod verum fermentum auri,non eſt niſi ex ſua natura:ſua autem natura,non eſt niſi ex argento viuo perfecte à ſolutione digeſto.De quo argento viuo inquit Morienus : Quod fumus albus eſt tinctura corporum mortuorum. Quod ſi fumus albus non eſſet, nullatenus aurum Alchemiæ fieri poſſet. De hoc argento viuo & ſulphure occulto in ipſo,dicit Raſis in libro Verborum : Siccitas Alchemiæ tingit aliud. Tunc enim humidum à ſuo ſicco coagulatur,quemadmodum aurum,vel cera liquefacta coagulatur à ſuo ſicco intrinſeco. Et per hunc modum fit , vt ſit tinctura ſimul,& commixtio corporis & ſpiritus. Et hoc eſt ſulphur tingens, nec comburens : & ignis tingens terram ſuam. Et hoc eſt quod Hermes vult. Vis eius integra eſt, ſi verſa fuerit in terram,id eſt ad fixionem per coagulationem. Et hoc modo ſimul mundantur corpora , & ſpiritus, ac animæ à ſuperfluitatibus & à combuſtionibus, & reſurgunt ſuper fæces ſuas. Et in hac coniunctione ſpiritus, animæ & corporis, ſola diuina potentia operatur in mente, & regimine artificis. Et de hac coniunctione dixit Morien. In hora coniunctionis maxima mirabilia apparebunt. Et hæc coniunctio reſeruatur ſolum in diuina potentia : DEVS eſt conditor naturarum & in omnibus naturis operatur: & ideo vocatur quaſi miraculoſa , quia eſt ſuper intellectum humanum. Homo enim nec tempus coniunctionis huiusmodi cognoſcere poteſt, nec etiam plene modum comprehendere:quia in fine digeſtionis, & prope omnia elementa ſimiliter corpora, ſpiritus & animæ & ſulphura & tincturæ omnes ſimul ſunt in vno ſubiecto commixta,& in fine digeſtionis primæ mundificationis ab omnibus inquinamentis:quia tunc anima ſolum oritur & non

antea

antea. Et hoc opus fit subito: quia anima cito suum corpus ingreditur (vt dicit Morienus.) Iam enim conuersa sunt in spiritus, & simul ascendunt. Et iterum: Oportet conuertere spiritus in corpora, id est simul coagulare. Et non fit hoc nisi completa elementorum mundificatione: quam quidem oportet artificem optime præcognoscere: & per consequens tempus determinatum compositionis elementorum: tunc enim subito sulphur philosophorum, argentum viuum coagulat suum; & fixat ac perficit ipsum in tincturam & Elixir. Et in hoc est radix ac fortitudo totius magisterij. Vnde omnes velle videntur, quod hæc compositio fiat subito in cõplemento. Quamuis ergo illud corpus quod est aurum, siue philosophorum sulphur sit in se fixum, tamen argentum viuum, quod de sui natura est volatile, trahere secum ad volatum conatur ipsum. Et ideo simul cum eo euolaret, nisi subito ipsum teneret. Et sic est magna pugna inter ea: quia vnum est auis sine alis, alterum vero cum alis. Et in hoc puncto consistit vera perfectio totius Alchemiæ, vel annihilatio. Et iste sol qui est in argento viuo philosophorum, primo promit albedinem propter naturam argenti viui, quod est totius operis exordium, & radix & firmamentum. Ideo vocatur aurum album. Est tamen in eo radix rubedinis occulta, quemadmodum minium in cerussa. Et hoc modo fixũ cum non fixo simul ascendunt: & oritur simul sol cum luna in ventre Mercurij. Mercurius ergo fugiens & secum rapiens, idem subito capitur ab eo & fugitur in igne. Vnde si sol cum Mercurio non ascendisset, non potuisset simul volare, nec permisceri cum eo, nec Mercurius posset figi per solem. Cũ autem simul ascendant, & permisceantur, ac simul sublimentur, vnum denique non poterit ab altero separari. Aut enim totum recedit, aut totum manebit, & vnum non poterit recipere dominium super alterum, & è conuerso. Si ergo spiritus vincit, volabit corpus cum eo: si autem corpus vincit, figitur spiritus cum eo: Fixum autem superans volatile, perficit opus. Volatile autem superans fixum, annihilat opus. Hoc ergo est tempus perfectionis & annihilationis. Et eius radix & firmamentum est Mercurius sublimatus, purgatus, candidus. Et hic spiritus cum anima in ortu suo est cũ mirabili candore albissimus, sicut nix in actu: suum tamen corpus est rubicundissimum, sicut sanguis in potentia pro-

pinqua, Ex his ergo elicitur, quod merito hoc opus dicitur diuinum, quia non perficitur nisi à summa virtute Dei. Non est enim in potestate artificis, sed cui vult ipse Deus clementissimus largitur. Et in hoc puncto totum est periculum. Transacto autem hoc puncto, nullum amplius est periculum. Quia in hoc tantum simul exaltatur spiritus, & liquefiunt corpora. Vnde Geber inquit: Error qui accidit in arte, & eius emendatio est in puncto: & hæc est cum cęlestia terrestribus coniunguntur. Est igitur triplex periculum in regimine huius lapidis. Primum ne lapis comburatur, seu vitrificetur, aut in tincturis corrumpatur. Secundum ne spiritus fugiant, & corpus in fundo mortuum maneat. Et vtrumque certe stat in artificis industria & temperamento ignis. Tertium vero ne corpus simul cum spiritu & anima euolet. & hoc est maximum periculum. Et quamuis requirat moderantiam regiminis ex parte artificis, tamen non sufficit sine diuina virtute. Et ideo quantum ad hoc dicitur, regimen eius maius est quam ratione percipiatur, nisi ex inspiratione numinis suprema. Quapropter superius iussum est, quod artifex sit Deo opt. maximo deuotus, humilis, pius, ac bona mente, & diligens ac patientissimus in operatione. Nunc vero hoc addendum est, quod etiam assiduus & longanimis, ne festinet, sed sine vlla cordis rabie, ira, motu, quiete ac pacifice, post tempus debitum optatos fructus expectet: sicut etiam optimi agricolæ seminantes faciunt, vt dicit Lilium. Habet insuper diligens artifex duplicem ex his vtilitatem, & vtramque maximam. Primo maximi thesauri acquisitionem: secundo mirabiliũ operum naturalium cognitionem & experientiam: quæ omnia corpori vtilissima sunt & animæ. Et ideo dicitur opus mulierum, & ludus puerorum: quia philosophus iste nihil aliud facere habet, quam suauiter coquere, & mirabilia opera, quæ quidem euenient, solerti cura notare, & maxima cum delectatione considerare intellectu, & oculis intueri, sicut pueri in ludis delectãtur, & nunquam satiantur. Debet tamen Deum in suis operibus semper laudare, illique debitas gratias referre, ne cum pueris tandem laborans, vanus fiat & vacuus. Et quia, vt supra dictum est, hoc dicitur Ouum, ratione partium, quas in se continet lapis noster, vnde illi assimilatur, & ratione etiam caloris gallinæ cubantis, ita est opus mulierum,

illud portere & custodire vsque ad ortum pulli. Et est ludus puerorum deinde, oua faciliter rubificare coquendo.

Quod sicut fixio est lapidis complementum, ita fixionis radicem & ordinem cognoscere est necessarium.

CAPVT XXVIII.

OPortet tamen artificem non casualiter sed prudentissime & ex ratione semper operari singula, maxime ad medicinę suæ fixionem: quia fixio est, quæ omnia perficit, & in perpetuo permanētia facit, vt patet ex superiorib⁹ in tertio capitulo, medicinam permanentem facere in igne, ita vt non comburatur neq; destruatur, aut diminuatur, neq; in substantia; neq; in virtute, neq; in colore seu tinctura, sed potius augeatur. Vnde dicit quidam peritissimus philosoph⁹: Lapis noster tamdiu in regimine ignis debet teneri, quousq; de vna natura in aliam amplius mutari non possit. Oportet namq; facere toties fixum volatile, & volatile fixum, quousque totum figatur & fluat, & alteret in verum solificum & lunificum: Sic enim irritatur bellum, id est, destruitur in sulphur coagulans, & argentum viuum volans, & etiam cōponitur amicitia inter elementa. De qua dicit Rasis: Spiritus iste conuertitur in corpus, & corpus in spiritum: & iterū spiritus in corpus: & tunc facta est amicitia inter frigidum & calidum, & inter calidum & siccum. Et hoc fit solum virtute Dei & ignis temperamento, ac moderantia terminorum illius, vt sæpe prædiximus.

Sed videamus quæso nunc fixionis radicem & fundamentum. Radix autem proxima fixioni sulphur est: quia hoc solum est, quod argentum viuum coagulat. Idem autem est coagulans & fixans. Oportet insuper medicinam esse fixam, ergo & sulphur medicinam perficiens, necessario erit fixum. Tale autem sulphur non est sulphur vulgi, quia illud est adurens. Oportet igitur illud extrahere ex corporibus, in quibus est sulphur non adurens. Talia autem sunt solum duo, scilicet Sol & Luna. Ista ergo duo corpora subtiliter præparamus, vt ex ipsis super terram sulphur habeamus, cum quo argentum viuum tingamus: sicut subtus terram (vt vult Auicenna) hæc duo corpora non sunt mineralia: sed sicut

ſuperius dictum eſt, animalia ſunt. Oportet tamen hæc corpora cum Mercurio ſublimare, donec totum aſcendat cum Mercurio non vulgari, ſed bene cum Mercurio, qui ex ipſis corporibus eſt. Cũ cucurbita ſcilicet erit clauſa, ita vt Mercurius non poſſit exire: quia non ſublimatur niſi virtute aeris. Et ideo ſi locum inuenerit apertum euolabit in fumum & inde magiſterium perdetur. Illud autem argentum viuum coagulabitur vi ſulphuris albi non vrentis, in argentum: & hoc, ſi argentum viuum ſit purum: & illud eſt res optima, de qua Alchemiſtæ poſſunt facere argentum, id eſt Elixir, & ad album per magiſterium. Si autem fuerit ſulphur optimum, cum rubore clarum, & fuerit cum eo vis argenteitatis & ſiccitatis ſimiliter non vrentis, erit res optima ad Elixir ſolis faciendum. Et primo quidem poteſt ſulphur album, deinde rubeum: quia nihil poteſt fieri aurum, niſi prius ſit argentum. Hæc eſt ſententia Ignoti, & (vt creditur) Alphidij, & ſimiliter Roſarij. Sic ergo proxima cauſa fixionis eſt ſulphur, ſed ſecundum eundem eſt ad primam radicẽ, quæ eſt ex parte elementorum. Dicit enim Roſarius ex ſententia eiuſdem Alphidij: Aqua eſt medium coniungens tincturas olei, ſcilicet aeris & ignis cum terra. Tribus autem elementis completur Elixir album, quæ ſunt terra, aqua & aer (ignis enim non intrat ad album.) Rubeum vero in omnibus quatuor vertitur rotis. Vnde primo oportet te aquam deſtillare, & poſtea oleum commiſcere, vt ſtet ſuper aquam, id eſt diffundatur per aquam. Poſtea vero aqua cum terra figenda eſt, vt ei firmiter adhæreat: quia ſi vnum de quatuor occidiſti, omnes occidiſti. Terra ergo cum in ſe ſit fixa, retinet ſecum ac figit alia elemẽta: & primo quidem aquam. Hæc ergo quia frigida & humida, terra continuat & cõſtringit. Siccum enim rarum eſt & ideo acquirit ab humido partium continuationẽ, humidum vero à ſicco firmam impreſſionem. Humidum enim ſolum cito recipit impreſſionem, & cito dimittit: ſiccum vero ſolum grauiter recipit impreſſionem, & tarde, ſed receptam difficiliter dimittit. Ambo enim in ſimul contemperata, firmam impreſſionem adipiſcuntur, & ſimiliter fortem pugnam contra ignem. Humidum namque prohibet ſiccum a combuſtibilitate: ſiccum vero humidum a fluxibilitate. In vtrumque ergo per ſe ignis liberum habet dominium: aer autem quia calidus & humidus eſt, terram & aquam

cla-

clarificat, & rarificat, vt fiat extensibilis & fusibilis. Ignis vero totum compositum rubificat, consolidat & maturat: facit enim aerem per subtilia commisceri: aquam quoque cũ terra constringit & fixat, & per conseqens tincturam ei firmam tribuit. Ex his ergo intellige, quod grauia elementa magis ad fixionem & quietẽ mittant, & operantur in composito, quam leuia: leuia plus ad fusionem tincturarum: nihilominus omnia omnibus ad omnia cooperantur: maxime autem cooperatur ignis ad fixionem, propter suam virtutem actiuam, penetrantem, & alia secum portantem & siccantem. Quare prima fixionis causa est terra, quia fixior omnibus est elementis: deinde vero aqua, quia siccitati terræ contemperandæ est propinquior, & sua frigiditate defendit à combustione: postremo vero ignis perficit fixionem. Cuius signum est, quod in auro, in quo ignis plus dominatur quam in argento, maior est fixio, & per consequens etiam Elixir rubeum fixius est quam albũ. Et sic intellige quod dictum est, quod ignis in album Elixir non intrat, supple principaliter; quia & in illo sunt omnia quatuor elementa, non tamen est tanta vis, nec effectus eius ibi, sicut in Elixir rubeo: cui additur ignis qui est sulphur rubeum, non ab extrinseco iunctus, sed ab extrinseco extractus. Et hoc recipe tuę cognitionis fundamẽtum, quod in operatione Elixiris, terrea natura quę dicitur corp⁹, quãuis sit cum spiritu subtilissimo vniuersaliter commixta, & simul cum eo subtilissime sublimata: & si non videatur ab ipsis elementis distincta, est tamen proxima causa coagulationis & fixionis. Et ex ea simul cum aquea substantia, est origo sulphuris & fermenti. Et hęc natura fixa est in omnibus compositis ex quatuor elementis, quantumcumque subtilientur, & ad spiritualitatem ducantur: quandoque quidem in actu, quandoque autem in potentia. Et ideo omnia in seipsis habent, quo fixentur nisi euolent. Ad hanc autem fixionem maxime cooperatur ignis exterior, administratus per artẽ, vt supra dictum est. Qui si sit intemperatus, fixionem ei impedit: quia humiditatem radicalem lapidis conseruat, & non consumit. Ex humiditate autem præcipue lapis fusionem acquirit. Ex his iterum disce de quo elmento sit in quolibet regimine plus vel minus, quia ab initio lapis est frigidus & humidus, vltimo calidus & siccus. Et hoc in visu, intellectu vero calidus & hu-

& humidus est temperatissime, sicut est aurum. Cognoscat ergo quantum crescat vel decrescat quælibet elementorum qualitas.

Quod in regimine lapidis vltimum complementum est rubedo sanguinea.

CAP. XXX.

Dicto ante de albedine lapidis: nunc vltimo loco dicendum est de rubedine eius, quæ scilicet est regiminis eiusdem complementum. Pro quo scias primo, quod eadem res est fermentum albi & rubei Elixiris, sc. ouum nostrum: quod tamen esse non posset, nisi eius sulphur vtrãmq; naturã participaret, aut nisi in ea re esset aliquid, quod solem & lunã ad cõmunem naturam & colorem argenti viui reduceret. Quamuis igitur in nostro lapide sol & luna sint distincti loco, proprietate & colore (sicut ex supra dictis patet) tamen quia sunt propinquę naturæ, vnum ad alterum facile conuertitur, & ad mutuam actionem & passionẽ duo spermata vnitissime sibi commiscentur, quod maxime fit in putrefactione: ideo in vnam naturam, virtutem & colorẽ trãseunt: quare etiam ex ambabus vnum Elixir ad album & rubeum per artem generari potest, non tamen vno tempore, sed vnum post alterum per diuersos modos digestionum. Quia tamen sol dignior est luna & fixior eius natura, atque fixiori metallo similis. Ideo principatus fermenti sibi attribuitur, vt scil. dicitur sol esse fermentum albi & rubri Elixiris, & quod non melioratur nisi cum eo, nec completur cum alio. Ideo dixit Hermes, numquam fit tinctura rubea vera absque lapide rubeo. Album namque solum absque rubeo lapide, non tingeret in rubeum perfectum. In rubeo enim maior est vis sulphuris non vrentis: Quia masculina calidior, purior & pinguior, magisq; digesta, quam in albo, in quo est femina frigidior, impurior, magisque fugitiua. Sed quia Luna primum habet dominium, & ad se solem conuertit suum, dando ei naturam, colorem & proprietatem: ideo quamuis magis argenti viui naturam sapiat, quam sulphuris, quia volatilis, non immerito fermentum albi Elixiris nominatur. Vtrumque tamen fermentum ex vtroq; est corpore, principalius est ex sole. Nam ambo corpora propinquitatem naturarum, ex vno patre & vna matre ortarum, in vnam pri-

mam argenti viui naturam, alterando transmutatur: vt deinceps ex illa, id est ex occulto eius duo sulphurea fermenta extrahi possint, album primo, deinde rubeum. Neque enim fermentum proprie dicitur, nisi quando Mercurius cum ipso coagulatur, & in speciem argēti vel auri tingitur. A principio autem neutrum fermentum dicitur, nisi quia materia est vnde fermētum extrahitur. Sic ergo sol principaliter perfectionem lapidis dat, & vltimum complementum, & ex ipso anima est, & sulphur tingens, & spiritus Mercurij, qui est ex luna acuens & impregnans, & vltimo ad suam naturam & colorem trahens. Et hoc est quod dicitur in Turba: Azoch nequit substantialiter Latoni suum auferre colorem, neq; eū immutare, nisi quantum ad tempus: sed Laton ab Azoch suā aufert albedinem substantialiter: quoniam inest ei mirabilis fortitudo, quæ super omnes colores apparet. Nā ex quo color eius abluitur, & sua nigredo atq; immūdities ei aufertur, ita quod album appareat: Laton quidem super Azoch dominatur, & eum reddit rubicundum. Et Morienus ait: Nihil est quod à Latone suam obscuritatē, vel suum possit auferre colorem. Sed Azoch est quasi suum regimentum, vedelicet ꝙ decoquitur: nam & eum colorat, & album reddit. At iterum Laton dominatur Azoch, id est, viuum animal rubeum reddit. Et iterum in Turba dicitur: Quamuis sulphur sit masculus, in hoc tamen loco scilicet, quando anima quæ est spiritus sulphuris, & aurum philosophorum nuncupatur, extrahitur masculus natura volente, formam mulieris suscipit & & patietur. Et in Lilio dicit Zinon: Hoc ouum, quoniam habet vitam, animam & generationem ex se extrahit, nō autem ex alio, & ex eius vētre flores extrahūtur, & seipsum germinare facit, & quod intus est, foras mittit, & quod est foras, mittit intus. Ita quod extrinsecum emendat intrinsecum, & è conuerso, donec rubeum, scil. naturaliter rubeum & in corpore occultum, vertatur in album, in prima scilicet operis parte. Vnde concludit Alphidius: Illorum duorum corporum coniunctio cum Mercurio, necessaria est in hac parte ad Elixir rubeum & album. Quia quamuis aurum inter omnia corpora sit magis compactum & fixum, tamen cum dissoluitur, & in partes minutissimas separatur, fit spirituale & euolans sicut Mercurius, & secum portat tincturam rubeam: argentum vero similiter albam, nec fuit cor-

pus aliquod dignius Sole purius, aut eius vmbra, fine qua nullum argentum viuum generatur tingens.

Secundo fcias quod albedo neceffario præcedit rubedinem. Sicut enim non poteft fieri perfectum album in lapide, nifi præcedat nigrum, ita non poteft fieri perfectum rubeum, nifi præcedat albedo. Nigredo. enim eft caput corui, & principium operis, vt dicit Ignotus: & primo in opere apparet, vt inquit Lilium: ideo nõ poteft fieri aliquod perfectum citrinum de nigro, nifi prius fuerit album (vt refert Alphidius) Et dicit perfectum citrinum, quia ante fæpius etiam citrinefcit & fæpius rubefcit, & fæpe albefcit, vt fuperius dictum eft: fed perfecta citrinitas non generatur in lapide, nifi poft excellentem albedinem. Cuius caufam affignat Rofarius: Quia nihil poteft fieri aurum, nifi prius fuerit argentum: vnde qui fcit aurum conuertere in argentum, fcit etiam argentum conuertere in aurum. Aurum autem non poteft fieri argentum nifi prius fuerit corruptum: quando autem corrumpitur fit nigrum. De nigro autem non eft tranfitus ad perfectum citrinum nifi per album: ficut nec de citrino fit tranfitus ad album, nifi prius fuerit nigrum. Citrinatio enim nihil aliud eft quam nigredinis ablutio. Calor namque agens in humido, caufat primo nigredinem; agens vero in ficcum, & fi continuet calor citrinitatem caufat. Et ideo dicit Lilium: Nifi corpora diffecentur, non apparent colores animæ. Et inferius dicit: Spiritus, & anima non vniuntur cum corpore vero modo, nifi in albo colore: quia tũc omnes colores, qui hodie in mundo excogitari poffunt, apparent, & tunc firmantur in vnum colorem, id eft albedinem conueniunt. Dealbatio enim eft totius operis initium, & firmamentum: nec inde variatur in diuerfos colores (fc. veros) præterquam in rubeum, in quo eft finis vltimus. Citrinatio enim quæ fit inter rubedinem, & albedinẽ, nõ elicitur color. In decoctione vero poft albedinem, ad citrinitatem peruenitur, ignis in regimine augmentato: & poft albedinem errare non potes. Vnde Mireris philofophus ait: Oportet terram prius fepeliri in petia panni Ægyptij: poftea candidari oportet compofitum, vt fiat denique fulphur tingens & permanens, deinde rubeum fieri. Bis enim denigratur, bis citrinatur, & bis rubet. Secundus autem rubor eft tingens, qui non fit, nifi poft primam dealbationem, fi philofophice o-

pere-

pereris, id est caute dealbas beatus eris. At si subito hoc videris terror magnus tibi eueniet. Et ideo Raymund. de Terminis: Post putrefactionem oportet recreare sulphur : cuius dies critici sunt nonaginta ad plus: postea nullus potest errare. Vnde scito tertio: quod post completam albedinem, debes procedere ad rubedinem intensam: oportet enim rubedinem medicinę esse intensam, vt dicit Geber, quod sic fit vt postquam sulphur duorum prædictorum corporum non adurens factum est album, per maiorem ignis decoctionem fiat rubeum. Sic enim ex argento fit aurum. Et sic sulphur album & rubeum (vt inquit Ros.) habent ex vna materia metallorum ad plenum depurata, diuersimode tamen digesta. Et Plato dicit: In omni argento inest sulphur rubeum, & tale sulphur inest Soli & Lunæ. Rosarius ait; Ipsa namque corpora lucentia, quibus insunt radij tingentes, tinguntque cętera corpora albedine & rubedine vera, secundum quod ipsa fuerint præparata. Quoniam sulphur album non vrens, ad argentum per maiorem ignis digestionem, potest fieri sulphur rubeum ad aurum. Vnde in Turba dicitur: Cum videritis ipsum nigrũ totum, scitote quod in illius nigredinis vẽtre albedo occulta est: & tunc oportet albedinem illam extrahi a sua nigredine. In secunda vero decoctione, ponenda est albedo in vase suo cum suis instrumentis, & lento igne sunt coquenda, donec omnia alba fiant. Cum autem albedinem illam supereminentẽ videbitis in vase, tunc rati estote, quod rubor est in albedine illa absconditus. Et tunc non oportet ipsum extrahere: sed tamdiu decoque donec totum rubeum fiat. In hac autem rubificatione duo sunt diligenter & caute obseruanda: primo vt vas non extrahatur nec tangatur: secundo vt calor blandus & æqualis vsque ad finem continuetur, sicut superius etiam demonstratum fuit. Vnde Morien. de vtroque loquens sic ait: Quod corpus immundũ direxeris, mitte in eo postea de fermento quartã sui partem, & depone eum in sole & decoquas, sitque eius ignis blandus: & quod vas suæ fornaci inuiolabiliter adhæreat, donec totum tempus fermentationis Echeb, id est Solis compleatur. Et Alphidius ait: Tũc est in rectitudine congelatus: cum videris albedinem omnibus supereminentem: tunc certus esto quod in albedine latet rubedo: & ideo non oportet te ipsum extrahere, sed bene coquere: donec totum rubeum

fiat, fit tamen prius cineritius & citrinus, igne augmentato, Omnes autem philoſophi aſſerunt, ignem leuem fieri oportere donec ſulphur fiat incremabile. Ex hoc etiã patet, quod adhuc in tertia decoctione oportet ignem leuem eſſe: quia quãuis ſulphur album ſit incremabile, aliquo modo adhuc cremabile eſt, quod oſtendit variatio colorum, antequam in rubedine firmetur: ſicut patet ex ſuperioribus, ſicut etiam argentum. Quarto & vltimo ſcies cognoſcere quando lapis eſt omnino perfectus: primo quidem quando eius rubedo amplius nõ variatur nec minuitur. Et hoc eſt quãdo eſt rubicundiſſimus, ſicut ſanguis in actu, vt dixit magiſter Bonus. Secundo quando funditur in igne ſubito ſicut cera, nec deſtruitur, nec diminuitur. Vnde refert Calid in Turb. Spiritus eſt aqua, quę extrahit animam à corpore: & illa anima eſt fermentum corporis, & eſt ſicut fumus ſubtilis, inſenſibilis, & non niſi effectu eſt præſens, ſed eſt eius actus manifeſtatio oculorum, & eſt ignis ex igne: & ideo debet reduci ad ignem, vt inde non timeat ignem. Et Rudianus dicit: Hęc eſt prima omnium probationum ipſius olei, vt non faciat fumum, nec ſtrepitum vllum, ſed currat per omnia, & contingat laminam ferream, æream, plumbeam, vel argenteam, & figat ſe cum illis, & nõ timeat ignem, nec minuatur, nec à metallis ſeparetur eius tinctura. Vnde Gallinarius concludit: Eodem modo rubificatur & dealbatur Lapis, & in eodem loco & vaſe ac regimine: continua decoctionem, donec totum compoſitum fiat vnus lapis rubeus, tingens & transformãs omnia in verum ſolem & ad omne iudicium & examen.

Quod virtus lapidis noſtri precioſa eſt, immenſa, multiplex & admirabilis.

CAP. XXXI.

FActo autem rubeo lapide, omne tunc corpus tingit ad perfectionem, vt inquit Alphidius: Quia, vt dixit magiſter Bon. in fine V. capituli, nõ ſolum alterat, ſed etiam in inſtanti transmutat, & abſque violentia permiſcetur rei alterabili, cum ſpoliatione omnium ſuperfluorum & aduſtibilium. Et eſt ſicut forma auri habens virtualiter & actiue omnes differentias & paſſiones, quas habet aurum minerale. Et ideo facit metalla omnia ſubito fixa, citrina, fulgi-

diſſi-

dissima, ponderosa, vltima grauitate, muta in sonoritate, & omnino eadem virtute medicinalia, sicut verum & purissimum ac preciosissimum aurum. Et hęc forma inter omnes formas mundi, nō solum est qualitas, sed etiā quantitas, quia corpulenta est. Propter hoc dicitur Theriaca, Toxicum & venenum philosophorum: eo quia subito coagulat & fixat, suum argentum viuum quasi interimendo, ac perficit ipsum in tinctura, & Elixir aliorum metallorum. Et hoc intelligitur de sulphure Auri, quod non additur ab extrinseco, sed extrahitur ingeniose, & quasi miraculose per regimen debitum artis, de argento viuo, cum quo simul per sublimationem mundatur: quia secundum Geberum, sulphur tingens est solum notum naturæ: & tamen dicitur additamentum tingentis. De hoc veneno dicit Mundus in Turba: Cū hoc venenum corpus penetrat, inuariabili colore ipsum colorat, & nunquam dimittit corpus animam: quia non possunt vltra separari. Collige autem quod hic lapis philosophorum habet excellētissimas virtutes super omnes alios lapides, vt inquit Alphi. Est autem in speciali triplex eius virtus immensa. Prima quidem, quia Mercurium crudum in igne positum, & quęlibet alia metalla subito in verissimū solem meliorem omni naturali conuertit: vt dicit Rosarius & Morienus in translatione noua. Istud quoque est huius magisterij secretum, quod huius rei vna pars, mille partes in purissimum Echeb conuertit. Secunda quod homines in suauitate & iuuentute conseruat, repellendo ab eis cunctos languores. Tandem quod lepram depellit, caducum morbum, & alias multas fere incurabiles infirmitates mulcet, ac etiam remouet. Et hæc omnia operatur plus quam omnes medicorum medicinę, vel potiones, vel confectiones quęcunque. Pręseruat etiā & protegit hęc medicina in confectis apposita, ne quis morbus eidem aduenire in futurum possit, vt dicit Lilium. Sicque fit antidotum & medicina omnium corporum curādorum & purgandorum, tam metallicorum quam humanorum. Rosarius quoque multa specificat, dicens: Conseruat sanitatem, & roborat virtutem, reparat iuuentutem, purgat spiritualia, purgat pulmonem, venena cūcta expellit, morbos tollit, leprosos in vino bibita, paulatim curat.

Tertia, quia multa mirabilia cum ea fiunt in alijs rebus.

Lilium

Lilium affert insuper: Vitrum malleabile facit,& ex crystallo fuso,cum ea carbunculum trahimus, & ex mille perlis vnam prægrandem & naturali similem componimus. Arnaldus in libro sui testamenti dicit: quod Mercurius non potest retineri cũ quocunque corpore absque physico lapide: & ideo omnes operationes aliæ sunt sophisticæ & inutiles, quæ tamen omnes deducerentur ad bonum finem, & effectum sortirentur, si cum huius lapidis medio perficerentur. Ex quibus conclude cum Lilio: quod hæc medicina, cum summa diligentia est perquirenda super omnes mundi diuitias, ac inferiores thesauros, & plusquam aurum potabile (quod ignari ac imprudentes empirici vocant, ac de auro vulgari faciunt, & intelligunt) quo in eorum confectionibus positi Reges, principes & magnates sanitatem sibi quærunt conseruare:quia hęc nostra vere diuina est,spiritualior,subtilior physica solutione, & longe cæteris efficacior omnibus, precio, virtute, ac immortali laude quacumquę.

Quod medicina est multiplicabilis in infinitum, & de perfectione illius.

CAP. XXXII.

Medicina quoq; si sit perfecta, multiplicabilis esse iudicatur quodamodo in infinitũ.Est autẽ triplex modus multiplicandi eam. Primus quidem soluendo eã per se sæpius, & congelando. Hæc autem solutio & congelatio non fit nisi igne: quia postquam medicinam didicit pugnam contra ignem sustinere, quanto diutius in igne steterit, tanto eius bonitas augmentatur. Solutio ergo illa est liquefactio eius ad modum olei: per seipsam autem congelatur in aere. Hoc satis manifestatur ex superioribus. Quia etiam liquefiendo & congelando, ad suam perfectionem peruenit. Ergo ex eadem ratione & causa iterum soluatur, & iterum congeletur, & perfectior erit. Et hoc est quod Rosar. dicit: Quanto pluries soluitur,sublimatur & coagulatur medicina, tãto meli⁹ & abundãtius operatur. Hic autẽ solutio intelligitur non in aquam roris, vt fatui putant: sed quod siccum conuertas in humidum, & grossum in simplũ, & subtilies ipsum quantum potes. Opus enim solutionis fuit inuentum non nisi ad subtiliandum. Et hoc est de intentione Geber. qui fixum lapidem cũ modis sublimationis

do-

docet sæpius volatilẽ facere, & sæpius fixare quousque fluat, & alteret in complemento solifico, certo. Ex reiteratione enim resultat bonitas & multiplicitas, vt quædam medicina centuplum, & quædam in infinitum quodammodo corpus vere & perfecte possit transmutare. Secundus modus est projiciendo medicinam super corpus perfectum, vnam partem supra centum partes corporis perfecti fusi: qui proiectione facta, cooperi vas, & pone in furno per aliquot dies, & fac primo lentum ignem, postea fortiorem: & semper augmenta ignem, paulatim tamen, & per suos gradus condecenter, & totum erit medicina. Eodem modo potes multiplicare proijciendo medicinam, scilicet partem vnam super centum partes Mercurij, crudi, calefacti: quia toties erit puluis subtilissimus, & rubicundissimus. Et hæc est intentio Alphidij: Et hæc proiectio pluries potest reiterari super corpus perfectum, vel supra Mercurium crudum: & tandem super corpus imperfectum: & tunc procul dubio conuertitur in illud metallum super quod primo medicina fuerit proiecta. Propter quod si medicina proijciatur primo super plumbum, Iouem vel Venerem: & post illam secundam proieceris super Solem Lunam, proculdubio in corpus imperfectum conuertetur: in illud videlicet, super quod primam medicinam proiecisti. Et hoc videtur Raymundus approbare in eius epistola. Huius autem multiplicationis possibilitas ex his arguitur, quod omnes philosophi dicũt medicinam trãsformare perfecte mille partes Mercurij crudi vel corporis imperfecti, in naturam, substantiam & proprietatem veri Solis, vt Rosarius asserit. Corpus autem perfectum melius medicinæ impressionem recipit: quia purius & fixius ex sua natura est: ergo erit possibile ex eo per medicinam perfectissimam alterius corporis efficere. Et iterum ex hoc apparet: quia dicit Hamis in Turb. Si proijciatur vna pars medicinæ super decem partes corporis imperfecti, totum efficitur medicina. Et si iterum illius vna pars proijciatur supra decem alias partes corporis imperfecti, iterum totum efficitur medicina, ita quod illius vna pars, iterum proiecta supra decem alias partes corporis, transmutabit ipsum in corpus perfectum: scilicet in verum solem vel lunam, secundum medicinæ qualitatem. Et hoc rationabiliter dicitur: quia semel proijcere vnam partem supra mille, & ter proij-

cere

cere vnam partem ſuper decem partes, in idem redit. Sed ſemel proijcere vnam partem ſuper mille, conuertet corpus imperfectum in corpus perfectum. Ergo ter proijcere etiam conuertet. Ex quo alterum neceſſario ſequitur: quod proijcere medicinam ſuper corpus perfectum, reddit ſecundam medicinam perfectiorem, quam ſi proijceretur ſuper corpus imperfectum: ergo efficacia eius oſtendetur ſe ad maiorem qualitatem conuertendam. Huius autem fundamētum hoc eſt, quia medicina tantę virtutis eſt & efficacię propter ſuam ſpiritualitatem ac ſubtilitatem. quod ſubito corpora per minima penetrat, & partes puras aquoſas, aereas, ſpirituales & ſubtiles ſeparat & ſibi coadunat: partes vero groſſas, corruptibiles, & combuſtibiles vel cōſumit, vel ſeparat. Sed hoc in corpore perfecto non eſt, maxime autem in auro, quia partes impuras & combuſtibiles non habet. Ergo medicina totum ſibi coadunabit: & per conſequens illa ſecunda medicina erit longe maior in quantitate, quam eſſet ſecunda medicina facta ex corpore imperfecto, etiam ſi non ſit maior in potentia & virtute. Hoc tamen ſcito, quod ſecunda medicina non poteſt venire ad gradum perfectionis primæ, nec tertia ad gradum ſecundæ, & ſic de alijs. Quia vt idem Hamis dicit: Quamuis medicina ſibi coadunet partes aereas, ſpirituales & ſubtiles, non poteſt eas ad tantam ſpiritualitatem reducere, quanta ipſa medicina habet: quia eius virtus eſt ponderoſa, menſurata ac determinata, ſicut & aliarum rerum: & impenditur per corporis partes, in quibus eſt diuerſa. Propter quod proiectio toties poſſet iterari, quod amplius non haberet vim medicinæ ſeu conuertendi. Similiter etiam ſi proijceretur medicina ſuper quantitatem nimis magnam, non conuerteret in corpus perfectum. Semper enim medicina facit quantum poteſt: & ideo quanto plus proijcitur, vel ſuper maius, tanto virtus eius minuitur. Et ſic ex vna parte medicinæ primi gradus perficiuntur mille partes corporis imperfecti in corpus perfectum: & ex vna parte tertij gradus, ſolum decem. Quia ſicut medicina per multas alterationes deducitur de corporeitate ſeu groſſitie & imperfectione ad ſpiritualitatem & ſubtiliſſimam naturam. ita etiam è conuerſo per multas proiectiones deducitur de ſpiritualitate ad corporis groſſi naturam, propter partes groſſas, quibus inſeparabiliter incorporatur. Eſt

ta-

tamen animaduertendum, quod facilius proiectio perficitur, quam lapidis procreatio. Difficilis est enim medicinæ procreatio, quia subtile aquosum est in materia lapidis valde fortiter vnitum cum terreo sicco, & vix, vel nunquam separari potest, nisi cum maximo & subtilissimo ingenio artificis, & non nisi longo tempore. Et tamen talis separatio exigitur ad medicinæ procreationem: sed post creationem medicinę huiusmodi separatio est facilis in corporib⁹: quia medicina sua spiritualitate ac subtilitate penetrat subito corpora & suo calore alterat, digerit, & materiam disponit, & purum ab impuro, subtile à grosso perfecte disgregat & sequestrat, & subtile purum sibi assimilat, & in sua substantia transformat. Quia quamuis medicina sit minor quantitate, corpore alterando, est tamen multo maior virtute: ideo vincit ipsum, non tamen plene assimilare potest: quare grossiores ac terreas partes fortiter aereis commixtis separare non potest: & ideo virtus medicinæ diminuitur in ꝓiectione. Et tamen vnum hoc maximum est secretum, quod medicinæ virtus etiam in proiectione potest augeri, non solum in quãtitate extẽsa, sed etiam in virtute perfectionis & bonitatis: si videlicet medicina proijciatur super corpus debita proportione, & totum ponatur in ignem, & augeatur per suos gradus, & sępius soluatur, & sæpius cõgeletur, quousq; fluat plusquam cera. Sic enim virtute medicinę digerẽte, & calore mouente, paulatim totum sublimatur: & ad spiritualem naturam omnino transformatur. Quapropter si in proiectione in tantum medicina esset debilitata, quod ingressum amplius non haberet, ingressus sibi datur, si primæ pars medicinæ sibi iungatur & coquatur, soluendo & congelando quousque fluat. Quanto tamen medicinæ virtus est minor, tanto temperatiorem ignem à principio & per gradus temporis necessarij conuenit administrare. Si autem de medicina prima & perfectissima nihil remansisset quod addatur, aliter inde agere oportebit: quod tamẽ summopere præcauendum est ab ingenioso artifice, ne hoc sibi eueniat. eo quod sufficit tãtum semel lapidem composuisse, nec oportet vltra opus reiterare. Quia omnino medicina absoluta philosophice in infinitum est multiplicabilis.

Tertius præterea modus est, vt vult Rosarius, ꝙ medicinæ pars aliquanta siue albę, siue rubeæ, coniungatur lapidi

seu

seu Mercurio nouo, qui nunquam in opere fuerit, & ponatur in digestione sicut prius, & coquatur putrefaciendo, sublimando & fixando, donec totum sit oleum tinctum: tūc iterū habes lapidē perfectum, & hoc fit in paucis diebus, & minori dispēdio, labore & periculo. Semper cautè serua aliquid pro fermento, tam de albo quàm de rubeo. Et excusabit te hæc prudēs consideratio à superioribus laboribus. Nam hoc idem velle videtur Raymundus in tertia distinctione, vbi loquitur de fermentatione in principio libri; & in Practica ei⁹ arboris physicalis in capite secundo; & alibi etiam apud intelligentes philosophos.

Recapitulatio totius operis, cum conclusione sigillationis illius.

CAP. XXXIII. & vltimum.

Totius operis summa, seu intentio nostra vel finalis scopus alius non est, nisi vt sumatur lapis iam in capitulis notus; & cum operis instantia assiduetur super ipsum industriam maximam sublimationis primi gradus, vt penitus à corrumpente mutetur impuritate. Deinde secūdo cum ipso soluto sublimetur eius additamentum; id est fermentum sulphuris albi & rubei, donec in vltimum modum sublimationis, id est subtiliationis & puritatis perueniat, & vltimo volatile, id est spirituale fiat. Ab hinc ergo tertio cum fixionis modo figatur, donec in ignis asperitate quiescat. Sed nōdum completum est opus in albo, vt quidam Poeta dicit:

Non tamen hic finis, non est ea meta laborum.

Quamuis in hoc vno meta præparationis cōsistat (vt inquit Geber) ideo vltimo & quarto fixum volatile fiat, & iterū volatile fixum per modum sublimationis & solutionis toties reiterando solutionem & congelationem quousque fluat plus quam cera, & alteret in complemento lunifico & solifico certo. Et hoc est vltimum præparationis seu perfectionis complementum. & hic quidem lapis noster philosophicus, siue naturale & artificiale compositum, operatur in hoc mundo inferiori secreta naturæ preciosissima super omne precium ac Regum opes, incomparabilia: quæ quidem probis & fidelibus tantum sunt reuelata, non autem impiis, pusillanimis, ociosisq; hominib. vel tyrannis, qui contra creatoris

toris nostri voluntatem vitia colũt, Christianam charitatem negligunt, virtutem supprimunt, ac studiosos homines perdunt. His ergo quatuor gradib. sublimationis, vobis superius enarratis, totum magisterium nostrum cum Dei adiutorio perficitur. Qui sit benedictus & gloriosus in secula seculorum.

CONCLVSIO.

MVlti de hoc lapide Benedicto libros ediderunt, & falsa veris, & sophistica sinceris interseruerunt: & dum tam nobilissimam artem à prauis occultare studuerunt, quod omnibus dummodo non sibi noceant alijsque damna inferant, bonos quoque simul cum malis in errores deuios, ac dispendia innumera personarum rerumque & temporis adduxerunt: quod nulli tamen licet. Hic autem clarissime & patenter lapidis magisterium expressum est: nullus error positus, nulla falsitas iuncta. Hic quippe omnes errores & falsitates elucidantur & eliduntur. Verum scire oportet, quod hoc opus Deo omnium creatori, & Christo omnium redemtori solummodo dicatum est. Ideo qui id habere, qui habitum intelligere, qui intellectum complere voluerit, studeat primum suæ saluti, deinde communi & sacrosanctæ Ecclesiæ Dei vtilitati. Quod si non fecerit, sciat certissima à sancta trinitate, & Christi cunctorum viuorum, & mortuorum vero & iusto iudice, se grauissime puniendum & damnandum hic & in futuro seculo. Stude ergo & diligenter optimis auctoribus incumbe, cum dies diei eructet verbum, liber librum aperiat, & nox nocti indicet scientiam: tenta, experire sine tœdio, pete, pulsa, & magnum feruorem patientię & caritatis paulatim accinge, si ad summam magisterij inuestigationem, & ad optatam perfectionem cupis peruenire, & denique in virtute talis esto qualem proprie lapidem esse concupiscis. Imperfectus es, ad debitam perfectionem anhela. Fœtidus es & immundus, purga te lacrymis. Sublima te moribus ac virtutibus: orna te & colora gratijs sacramentalibus. Fac animam sublimem, & cælestium contemplatione subtilem ac angelicis spiritibus conformem, vt corpus putridum, & vilem cinerẽ possit viuificare, dealbare, atq; incorruptibile & immortale, impassibileq; omnino, per Iesu Christi domini nostri resurrectionẽ, efficere, atq; vt ex diuina visione tandem illuminata, & ineffabili luce perfusa, Corpus itidẽ propium, sed resuscitatũ, æter-

næ gloriæ splendore, ac rubeo fulgore, illustrare valeat. Quoniam hæc immortalis gloria ex occulto animæ in corpus redundabit. Horum perfecte omnium formam & figuram hic noster celebratiss. lapis gerit, ac ordinem, Allegoriam præsens insinuat. Et hoc sit libri verũ sigillũ omni clausura fortius, & omni terreno signo terribilius, vtile magis, ac honestissimum.

ÆNIGMA DELLA PIETRA PHISICA DI Lorenzo Ventura Venetiano D.

NEll India parte piu calda del mondo,
Nasce pietra talhor ch' en se rinchiude
Virtu infinite, che vengon dal cielo:
Dett' è Pantheora, bench' en vista vile
Tenuta sia da molti vana & sciocca.
Soglion li Eletti, & que che de natura,
Sanno l' alti secreti, extrarne d'sangue
Per artificio à null' altro secondo.
Et per che in essa v' è Mercurio & solffo,
Oro & Argento, non gia quei del volgo.
Ma humor celeste caldo, vntuoso,
Col suo terreo sottile, fredd' & secco,
Legati insieme con mirabil modo.
Anima spirito & corpo, quattro & vno:
Qui con il don di Dio bontà & pacienza
Fatica industria fuoco & tempo lungo,
Fal sustanza sin' alza dalgio preso
Immondo corpo, & fa chiara & lucente,
L' arte di nou' oscura & rasserena
Quelli piu fiate, fin che ben' vniti
Leggier & graue stianò l raro & dense
Al gran martirio esposti di Vulcano:
Quest' Elyxir si chiama, & medicina
Ch' ogni leproso sana, & imperfecto
Metallo, & corpo humano à marauiglia
Questa fa ricco l' huom, lo fa felice
Contento & lieto 'n s' stesso, e tranquillo,
Di virtu colmo e accesa charitade,
Fin all' vltimo di degl' anni suoi.
Onde dobbiam per sempre al gran Monarca,
Prima casa & Motor della natura.

De

De suoi doni diuini, & di quest' amico
Con vero affetto, & purità di core,
Render gratie immortal, gloria & honore.

IOANNES AVRELIVS AVGVRELLVS.

Quare agite exemtam tenebris hanc cernite Lucem
Mortales, caecisq; vijs auertite gressum,
Ac prohibete nefas tantum, & depellite virus
Infestum, quo vulgus ineri se posse per artem
Diuinam miscere manus putat, abdita rerum
Quae valet, & causas adeo spectare latenteis.
Hanc non impuris manibus fraudator auarus
Attingat, decoctor item: quisquisve fabrili
Arte valet, mollisve etiam, cui perdita cordi
Ocia, mercatorve vagus, & deditus vrbi
Ciuis: & incumbens telluri, aruisq; colendis,
Et qui multa animo praesertim & magna minatur,
Vel si quis similes haec vulgo quaerere sueti
Fraude mala tantum, vel habendi prorsus amore.
At sapiens, superos inprimis qui colat, & qui
Noscendis penitus causis modo gaudeat, huc se
Conferat, hanc totis sectetur viribus artem.
Huic comes haerebit grauis exploratio rerum
Intima naturae passim vestigia seruans:
Tum mora sollicitos cursus remorata sequetur,
Et visura olim stabilis patientia finem:
Mox labor, ingenuosq; mouens industria gressus
Haud aberit, vitreumq; feret vas, scilicet vnum
Vnum opus. atq; vnam secum rem deniq; ducet.
Ille igitur tanto comitatu septus inibit
Longum iter, & lento peruadens omnia passu
Continue miris oculos mentemq; repertis
Pascet, & assiduum fallent spectata laborem;
Donec in arcana tectos tellure recludet
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri,

Alchemia de se ipsa loquens.

EGo sum angelicæ sapientiæ fulgor cælestis, militis virtus, mundialis machinæ finis, regalis gloriæ opus excellentissimum, super omnes scientias huius mundi, arcanum Dei, spiraculum, soror philosophiæ, Regum gratia, vis dominorum, Prophetarum sudor, philosophorum inuidia, thesaurus incomparabilis, speculum lætitiæ, fuga tristitiæ, mater virtutum, humanæ naturæ vestigium. Ergo repellendi repellantur & iusti iustificentur in melius: mea vox lætitia salutaris, solum in tabernaculis iustorum audiatur. Eijciendi ergo sunt mali peccatores, lasciui, auari & prodigi, ne per ista secretorum secreta, delitijs affluentes, ad peiora flagitia perpetranda excedant.

Regnans regnabo, & regnum meum non habebit finem omnibus venientibus ad me, & percipientibus salubriter, ingeniose & constanter.

Certum est procul hinc arcere profanum.

Hoc donum Dei præclarum nullus habere potest, nisi mentem eius purificet erga Deum ipsum maximum, mente scilicet & corde puro ac simplicissimo.



IOAN.

IOAN. FR. MIRANDVLÆ DOM. CONCORDIÆQ. COMITIS, OPVS AVREVM DE AVRO TVM ÆSTIMANDO, TVM CONFICIENDO, TVM VTENDO, ad coniugem.

Liber primus.

CAPVT I.

AVRVM NON SEMPER A PRIMORDIIS SEculorum ipsiusque inuentionis initio sic æstimatum consensu nationum, vt res cæteras metiretur.



VRVM, quod olim tanti factum est, tantiq; nunc passim fieri cernimus, quamnam ob causam tam eximiam æstimationẽ sui mentibus humanis inseruerit, insertamque tenacius infixerit, mihi sæpe, coniunx, venit in mentem, vt exactius disputando cognoscerem: hinc enim id videbam tanta cura, & tam superuacanea quæri solere, vt merito priscis ab auctoribus latinæ linguæ nomen traxisse diceretur ab auertendis mentibus hominum, tantoq; studio quæsitum custodiri, vt iure dederit ansam Græcis plane suspicandi deductum nomen ἀπὸ τοῦ ὠρεῖν. quod scilicet præ cæteris custoditetur, indeq; thesauri vocabulũ efficeretur. Parte alia cum vtile fortassis aurum videri posset, nullo vero modo necessarium suapte natura, sed sola mortalium conspiratione progrediebatur animus vltra percupidus, videlicet habẽdæ veritatis. Atque imprimis recordabatur semper non fuisse præfectum aurum cæteris, non metallis modo, sed alijs externis omnibus consensu nationum: nam vel expressa, vel tacita seculorum omnium conspiratio, vt alijs rebus, quæ dicuntur externa præponendum ipsum arbitrarer, mihi omnino non persuadebatur, nulla enim inter primordia conditi hominis auti mentio, quin & literarum monumentis antiquissimis relatum est, sine auro permulta secula vitam homines agitasse: nec defuere, qui scripserint paulo ante Troiana tempora inuentum aurum ab Eaco: & argentum

ab Indo Scythiæ Rege, & qui retulerint acceptum Thoanti Eaclique, & Erichthonio, & qui Soli, & qui Vulcano, & qui etiam Chryso, cuius opinionis fuit Hippocrares ratus ab inuentore τὸν χρυσὸν, hoc est aurum cognominatum. Sciebam quoq; proditum memoriæ, aurum in vsum non habitum in Europa, multoque minus conflaturam eius ante Phœnicis Cadmi tempora. Quid? q; auctis etiam Græcorum florentibusq; rebus tantū auri non potuisse tota Græcia corradi (retulit Atheneus) vt inaurari caput posset Apollinis Amyclei: Tantamq; raritatem eius, simul & caritatē apud Philippum regē fuisse, vt bene sibi actum duceret aurea phyala, & ea quidem paruula potiri, quam & sub ceruicali reconderet, si vera monumentis literarum mandauit Duris Samius, quem Philippi morem summæ licētiæ miror adscriptum à Plinio, cum in aureum Philippi poculum inueheretur? Abfuerat tantum Græcis, vt id metalli colerent, quod etiam legibus vti vetuerint. Illud ex historijs plane cognitū est, sine aureis argenteisque numis & stetisse, & creuisse, Lacedęmona, procubuisse, & cōstruisse, cum sub Lysandro manubias captis Athenis aureas admisisset. Accedebat Plato, qui suis in legibus prohibuit aurū ab vllo priuato possideri: atq; idem etiam de argento promulgauerat. Occurrebat illius animo fortassis rarissimum quondam in Græcia fuisse argenti atq; auri vsum, solisque in templis id videri solitum. Nec nisi in tripodibus & imagunculis, quas primū Lydiæ Reges Gyges, & Crœsus, deinde Siculi Tyranni posuissent. Mox Phocēsibus Delphos populantibus id metalli per Græciam quoquo modo vulgari cœpisse. Nec non ad auri minuendam æstimationē illud mihi succurrebat, quod apud Hebræos in eius copia metalli sit inuētum æs, auro præstantius; modo retulerit vera Iosephus in septimo & in vndecimo antiquitatum. Veniebat etiam ad memoriam mandatum esse historijs ipsa in Italia castris suis interdixisse Spartacum, ne quis aurum haberet, aut argentum. Et post innumera tot seculorum curricula perseuerasse apud nonnullas Asiæ, & Africæ gentes, vt aliæ paruo duxerint aurum, aliæ pro nihilo etiam habuerint, ac in India, quæ putatur auri feracissima, si de ea parte, quam vicit Alexander Macedo, faciamus mentionē, non fuisse aurum, ex eius rerum gestarū Græcis scriptorib. accepimus, tametsi direpta Berside tantum auri nactū regem ipsum, vt ad illud cōuehendum vix fuerint satis mulo-

mulorum triginta millia. Colligamus igitur conuenisse quidã mortales, vt aurum nimio plus æstimarent, cur autem conuenerint non constare, nec ratum semper statumq; fuisse, vt omnibus in vniuersum nationibus placuerit aurum mensuram esse rerum cæterarum.

CAP. II.

Quod non tanti vt sit ducendum sit aurum ex vtilitate de rei natura petita.

MInimi vero ducebã argumentum, quo persuadere vulgi hominibus quidã sunt adnixi, Plurimum esse vsui mortalibus aurum. Nam contra ipse ferrum obijciebã, sine quo nec Agricultura consistit, ars non minus necessaria, quã cõmunis; Atque vt ait Xenophon omnium artium mater, & nutrix, sed nec Ædificatoria satis extruitur, nec Nautica plane custoditur, vt omittam Militarem, quæ tametsi nocet quibusdam, non tamen omnibus: suffragabatur statim nobis hemistichion illud ferroq; nocentius aurum, atque dictum aliud, non absimile; auro ferrum inter bella gratius.

Proximumq; huic accedebat id elogij, præscissum esse conuitijs aurum ab optimis quibusq;, & ad perniciem vitæ repertum. Subinde quoq; recordabar & miratam olim vetustatem, & indignatã simul: ꝙ prius tenuerit aurum, cum id eludere niteretur sub Midæ fabula; cui nihil omnino solidæ opis ad vitã congesta moles auri præstitisset. Porro vsus in rebus commutandis pollens causa nõ fuerit auri tantopere æstimandi, cum antiquissimi Reges, non aurum & argentum, sed æs plane signarent, cuius rei ferũt inuentorẽ Saturnum, à quo sit etiam nuncupatum ærarium, quod Cęcilio Cypriano placuit, quamquam scribunt alij signandæ monetæ principem fuisse Ianum Saturni æqualem, & hospitem, qui nauim, qua vectus ille fuerat, numis impresserit: Apud Romanos quoq; primum æri fuit inusta nota, deinde argento, & aliquot post annos auro; quandoquidẽ primus Romanorum septem Regum Seruius inussit æri notam: primus consulum Fabius argento; mox & aurũ quoq; signatum.

CAP. III.

Quod æstimatio præcellens auri non pendeat ex medicina.

QVæ vero de medica facultate sumebantur à me, contra me ipsum Epicheremata quæpiã cõmunia, & ex lætitia, & ex ope tempamẽti corporei de lõginquo ducta, ꝓ me

me quoque ex eadẽ facultate desumebantur, contraria quandoquidem ex aggestis aureis numis illa lætitia est tantisper dum subit animum diuitis, posse alia quæ sibi placeant numorum erogatione comparari, sed imaginationis & cogitationis, & animi hoc proprium est, non temperaturæ corporeæ, quæ de crassa fæculentaque materia dissultat: huc accedit, quod multa sint quæ humanæ corporum temporationi prodesse dicunt magis, atque etiam à medicis antiquioribus laudata magis ad vitam refocillandam, & vires commodo sufficiendas, quorum facilius multo, minorique impendio compotes efficimur; *Neque enim Ѵlla metalla nutriunt, Ѵt est apud peripateticos antiquiores receptum. Nequeunt enim concoqui sic, Ѵt in carnem Ѵertantur, & sanguinem.* Quod & comprobatum est experimentis eorum, qui bellorum turbinibus, & regionum vastitate perculsi, subterraneis in specubus occulentes sese, numos aureos complicatos instar Catapotij dimiserunt in ventrem, mox eos suo pondere, suoque colore compererunt.

Et si quid forte deperijt absumtumq; fuit innato colore, id quidem parum, alioqui optimum extitisset vitæ remedium Iudæis, dum Hierosolyma obsideretur, ad Titum Cæsarem confugientibus, si aurum cõcoqueretur, sic vt nutriret deglutientes, namque non fuissent ab auarissimis Assyrijs, & Arabibus dissecti, vt aurum quod ante demiserant in ventrem eorum in visceribus; quorum tam ingens numerus, vt vna nocte duobus hominum millibus sint intestina concisa, cuius rei auctor est Iosephus, confirmator Egesippus.

Miseris igitur illis in ventriculo condebantur aurei numi, tanquam in arca, non sumebantur ad famem tolerandam, quoniam diffusi iam per totum corpus, & modificati fuissent cæterorum instar eduliorum. Quid? quod nec odore quoque mulcet aurum, nec sapore fouet eos vapores, qui de humanis tolluntur corporibus, à medicis spiritus nuncupati, quin etiam ingrato sunt sapore metalla omnia, & odore sulphureo, atq; ideo non possunt quoquo modo non obesse ijs, qui ægre decumbunt, tantum abest, vt abeuntem animã suo delinimento retineant. Extat Magni Alberti sententia generatim lata, sapores, & odores omnium metallorum esse quoquo modo fætidos, tametsi vt minimum odoris, ita minimũ insit fætoris in auro, propter coalitã sulphuris in tẽperatione

ipsius eximiam subtilitatem: sunt autem, quæ & olfactu non solũ, sed gustu magis opitulẽtur sanis atque, & ægrotis, ac minori quã aurũ precio veneant. Cũ vero sese ingereret memoriæ, Pliniũ scripsisse quondam vulneratis aurum applicari, & infantibus contra veneficia, vt minus nocerent, alijs quoque nonnullis opem ferre; Nõ excidebat etiã memoria plures ab eodem Plinio (si magno ille p̃iudicio nobis esse quiret,) vituperationes auri quã laudationes esse perscriptas; Nec nõ illũ mãdasse chartis auro virus quoddã inesse, eamq; inprimis ab eo proditam recordabar clausulam, cui enim fodiendi causa medicinæ? à qua si non excludit aurum postea aliorum certe, vt ei mos perpetuus, id factum est auctoritate.

Citat enim Varronem, cuius tamen ætatis vir, & in medica materia præcipuus, Dioscorides nullius ex auro medicinæ ꝓtulit experimenta. Dixi ætate Varronis Dioscoridem vixisse, cõmunem secutus opinionem, & Suidæ monumẽta, etsi scio esse, qui malunt ætate Plinij fuisse Dioscoridem, propter Licinij Bassi mentionẽ, sed vellem eos animaduertisse, vixisse quoq; Dioscoridẽ Arrij tempore, cui dicat volumẽ de simplici medicina, Arrij dico non eius, quem de aspiratione Catullus irridet: nec eius, qui nostræ religionis hostis acerrimus blasphemias in Christum Dominum puicacissime jecit, sed eius qui Alexandrinus pariter fuit, & Augusto Cęsari post partam victoriã de Antonio & Cleopatra magno est habitus honore, sed siue antiquior Plinio Dioscorides, siue æqualis, parum videtur referre. Varro certe triumuirali proscriptione cõsumtus est, & sub Antonio triumuiro floruit ipse Dioscorides, à quo deinceps Græcia, Latium, Barbaria, medicam materiã accepit, atq; id quidẽ priori damus opinioni: posteriori vero, quod apud Plinium Dioscoridis est mentio, siue antiquioris, siue proximi, siue mauis æqualis.

Hic sane Dioscorides cuiusvis seculi vir fuerit, multa tradidit proprijs capitibus argenti viui, æris, ferri, plumbi medicamenta, non auri: Atq; eius etiam vix meminit in hydrargyro, ea de causa, quod si haustum fuerit, nocueritq;, ei malo auri ramenta succurrant, atq; hoc inter tractandum medicam materiã; Dum vero disserit de venenis aconito dicit repugnare merum in quo candens aurum sit extinctũ, at hoc non illi proprium dicit, sed communem esse medelam argento ferro ferriq; scoriæ, quæ tantundem polleant, idq; Paulus Ægineta

recipit differens de venenis. Galenus longe iunior Dioscoride, neque de potestate simplicium medicamentorum differens, neque de compositura ipsorum, auri meminit, quātum ipse meminerim: Nec ignoro Nicandrum Colophonium cecinisse in Alexipharmacis aurum vel argentum prodesse, nam siue quod Poeta fuerit, siue quod à Dioscoride, & Galeno, tāti factus non sit, vt eius testimonium hac in causa pro legitimo citaretur, siue quod argentum æque ac aurum, ἐνοιήματι θολερῷ scribit valere, parum videtur habere momenti; Nam significat turbidum effici liquorem metallo, eundemque potari: sed ego tamen non abnuerim aurum medicam vim obtinere; sed quantula quæso portio reperietur si conferamus id innumerabilibus rebus, quibus inest potestas medendi, abigendique venena? par sit de argento iudicium. Quod si nec medicæ fert opem facultati, nec voluptati confert: Vnde quæso illa communis tot vasorum siue aureorum, siue argenteorum conquisita per tot labores aggestio? Videtur enim mensa argenteis saltem vasis instructa designari nobilitas: At Vitruuius in octauo libro, de aquis differens, ad calcem cum meminisset, ostendissetq; plumbo inesse vitium, propterea q; fistulis eius aquas infici, plane subiunxit saporem argenteum solere vitari: Cum ij qui extructas haberent argenteorum vasorum mensas, tamen propter saporis integritatem fictilibus vti cōsuessent; Quibus certe consentiunt multi nostræ tempestatis principes, qui posthabitis ad mensarū vsum argenteis, & crateribus & patinis, præoptant sibi ad ferculorum mundiciē fictilia vasa ex India, Æthiopia, Ægypto comportata, quę si defuerint, prusiaca malint ex Bythinia conuecta, tametsi nō sint figulis nati genitoribus, vt ille de Agathocle cecinit, qui propterea Samia vasa prætulerit argenteis. Iam triumuir Antonius, qui auctore Messalla in omnibus obscenis desideriis nō vtebatur nisi auro, saporem auri non concupiisse proditur, reiecisse autē videtur Propeia Neronis, quæ soleas ex auro suis quadrupedibus nobilioribus induit. Non ignoro medicos Arabas mandasse literis, aurum quamquā non nutrit, mulcere tamen oculos. Addo ego & imaginariam vim ratione explicata: tanti ne igitur faciendum, vt metiatur omnia? cordis tremori opē ferre quoquo modo credā naturali vsus ratione? neque enim consequitur, vt antea dicebamus, vt frustra videantur illa verba Nicandri.

Expo-

CAPVT. IV.

Ex potabili auro non pendere præcipuam ipsius metalli nobilitatem.

HÆc ego non decernendo, sed disputãdo perstrinxerim, quando & potabili auro dicũtur vti quidam ad omnes tollendas ægritudines & sanitatem tuendam, atq; ad vitam, quantum per vires naturæ licet, prorogandã. Ego vero vt id non abnuerim, sic asseruerim, posse id ipsum ab ijs, qui contradicendi peritia pollent, in controuersiam duci; forte dicent cõstari satis apud eos, qui propinant aurũ, id quidem proprie non potari, sed eius portionẽ subtiliorem purioremq; coniunctæ essentiæ nuncupatione signatam.

Verum super ipsa quinta essentia corporum superiorum, cũ multa sint bella pugnata inter maximos philosophiæ duces, quorum milites adhuc confligant, à quo nam steterit victoria, certe non assentiuntur Platonici, & Peripateticæ scholæ, cuius principem optasse potius illam quintam naturam quam probasse contendunt, nec sine admissis quinque suppositionibus quicquam habere virium, & si cælo inquient ea non conceditur, concedetur ne ijs, quæ sub cælo sunt de elementis coalita. Nam siue ex melle, siue ex sulphure, & hydrargyro, siue ex aqua stillati meri, siue ex terra quadam secreta, seu mauis ex nobilissimo quodam genere chalcanthi, per multos traduces attenuati, potabile collegerint aurũ, subtiliorẽ inde vim detrahi fatebũtur; Quintã essentiã detrahi nõ assentientur, quam si corrogare illi voluerint ex effectibus elementarijs, quas in ea non reperiri prædicabunt, præsto erit responsum, vt contendant illos apparitionẽ pro re suggerere, concursibus quoq; causarum diuersis, & in vnum conflatis atq; refractis tribuent effectus, quos & aliæ res promere queant: Deinde si gratis id condonent Peripateticis, quomodo alteri eorum dogmati non obnunciauerint, id est ex metallis animalia non viuere? Verum vt rixantibus inter se medicis finiendam litem relinquant, sic asserent quascumq; rationes ad hanc diem perpenderint potabilis auri faciendi, eas quidem ad aurum per se bibendum non pertingere. Liquet enim ab eis solere deduci aurum in cinerem, seu calcem dicere maluerint, quod multis fit modis, adeo vt reducere in pristinam formã, si forte libuerit, aut nullo id modo possis, aut ægre, si quidem abscessit humor, quem si funditus dempseris, aurum

aurum sustulisti. Est Aristotelis, Theophrastique decretum, metallis omnibus sic inesse liquorem, vt eo constituatur ipsorum natura, & à natura lapidum aperte dirimatur.

Igitur adiicient ipsi, non bibetur aurum, sed eius rei, quæ fuit aurum, portio liquore dissoluta extraneo, cui potestas insit inter molliendam, attenuandamque auri calcem, quidpiam excerpere, quod bibi possit, sicut etiam in gemmis pollicentur, quas bibi proprie non posse, nemo est qui nesciat, quod si dixerint defensores, aliis etiam modis aurum liquescere, non inficias quod iuerint oppugnatores, sed asseruerint id fieri vel aquis consumptricibus, accedente sale varii generis, vel succis mordacibus, ita vt vis inferatur auro, tollaturque de sua sede, quam ei fuerat largita natura, proinde contendere quicquam non acquirere illum, propterea vt constituatur humanæ fouendæ naturæ sincerius. Nam si de auri natura in sese mentionem habeas, ea non erit apta nutritioni, quemadmodũ ante deductũ est ex peripatetico, si de admixta loquaris natura, ea etiam ipsi dicent, se iudice non erit aurum: constat enim propinari liquorem, qui guttatim ex vitreis vasis fluxerit, dum ignis calore vapores in sublime delati vertuntur in aquam, & alia misceri, quæ de reliqua petuntur medicinæ facultate: id vero si vel aurum sit, vel gemmas bibere, cur non ij dicentur excrementa bibere, qui bibunt vinum eductum solo excrementorum varia congerie ad id muneris pinguefacto? Egi causam eorum, qui aurum potabile vellent dispendere, quod ego quidem colligere maluerim, & optarim egregie posse ad nostri corporis aliorumque salubritatem, præcipue cum satis constet Antonium chirurgum nostrum, superioribus annis matronam ex foro Cornelii pthisi morientem paucis diebus ab ipsa tabe liberam sanitati pristinæ restitui sse, solo potabili auro, quod ex ipsius patrui Nicolai, cuius mentio fiet libro tertio, confecerat disciplina, qua de re mihi sermo futurus amplior in eis voluminibus, quæ inscripti de venenorum remediis, & adhuc sub incude premuntur. Sed sit collectum aurum, sit etiam potui datum ad salubritatem, fortassis inde manauerit tanta nobilitas auri, tanta conquirendi eius fames & rabies? Cum libra vna eius metalli soluta in humorem, vel vni non Regi modo, sed regioni mederi queat, & inter mille mortalium Miriadas vix inuenias quindecim viros, qui aurum potabile

quæ-

quęrant, & inter illos vix duo sunt qui potionis aureæ conficiendæ scij, gnarique sint.

Capvt V.

Quod & auri puritas & diuturnitas proprie, non sit causa vt fiat ab hominibus tanti.

IAm si puritas auro præcipuam auctoritatem cõciliasse credatur, cogitemus hac in re subesse falláciã, siquidem & sordet, & tingit minus forte quam cætera metalla, sed tingit tamen, & contrectantes inquinat propter sulphur, quod non ei solum qualitate misceťur, sed ipsa substantia, vti prodidit Albertus literis, & conuincitur experientia, proindeq; fortassis Ægyptijs Hermes nomine sulphuris aurum expressit. Num quæso vitri quam auri maior est puritas? vt hinc princeps ille Romanus formidauerit ne si flecti posset, vt cœperat, & malleum sustinere perseuerasset, primas eriperet auro partes, & omnibus metallis viam præcluderet in mercimonijs.

At diuturnitas eius celebratur, sed succurrat menti diuturniores esse lapides, & maiore habitos precio, qui nec sentiũt limam, nec ignem, nec vlla omnino contrahunt recremẽta, nec sordibus maculant contrectatores, quæ nequeunt euitari si triueris diutius: At funditur aurum, non funduntur lapides, num hoc omnibus metallis commune? quæ cum propterea in vsum numismatum fuerint recepta, vt sint in commutandis rebus tanquam vadimonia, post positumque aurum hac in re fuerit olim æri, & argento; videtur id ipsius detrahere gratiæ, & detrahere vtilitati. Nouimus enim quod ante subindicamus relatum esse monumentis literarum, æs Romæ primum à Seruio Rege signatum fuisse, & Pop. Rom. ne argento quidem signato vsum, ante Pyrrhi bellum, post annos circiter sexcentos ab vrbe condita. Quandoquidem sub Fabio consule indita est ei metallo nota, mox & auro, elapsis annis plus sexaginta, populus idem victæ Carthagini, cæterisque nationibus imperauit, vt penderent argentea tributa, non aurea, vt non solum diuturnitas metalli, sed eius vsus in causa esse nequeat; cum & æs signatum, & signatum argentum diuturniora etiam sint habita penes externas nationes, sic transalpini Galli communi argenti nomine pecuniam signatam expresserunt, à principe philosophorum Platone minus æstimatam, quippe qui legem tulit ei, quam

insti-

instituebat, ciuitati, ne preciosis vteretur nummis, sed talibus vt contemneretur à cæteris gentibus, ne in congregandis aureis, & argenteis insaniret. Atque hinc fortassis a Lyrico cantatum est aurum, & inutile, & summi materia mali.

CAPVT VI.

Fulgorem non esse in causa vt aurum precio, rebus aliis antecellat siue quia allectet oculos, siue quia non deteratur & dilatetur.

SED oblectat inquient oculos auri color suauis. Plinius negauit hoc, & illi argentum antetulit fulgore, qui sit diei similior & militaribus signis, quoniam longius emicet familiarior. Neque aurum similitudine syderũ, cæteris prælatum metallis arbitratur, cum & in gẽmmis, alijsque rebus color ille non sit præcipuus, tantum abfuit, vt auroræ colorẽ, vnde quibusdam placuit aurum nuncupari cœpisse, præferret omnibus, cur autem id credidisset in causa fuisse nomenclaturã, cum rescire facile potuisset non displicuisse bonis auctoribus, à Sabinorum lingua, qui dicebant, ausum, vna permutata litera translatum vocabulum fuisse. Vtcumq; fuerit, oculos Plinij plus auro delectabat argentũ, qua in re si quod scripsit, sentiebat, improbari non potest, sed censuram plane perpessus est, cum prodidit aurum pondere superari à plumbo: reclamant enim posteritatis experimenta: dum vero minimum auri deperire vsu censuit, meminisse poterat digitorum attritu, & aureum consumi numum, & annulum, & quod minimum est, non esse nihil. Fuere & qui aurum ab igne nullum pati detrimẽtum rati sint, Aristotelis in tertio meteororum auctoritate nixi, quæ quidem auctoritas, aut non solida est, aut non rite percepta, conuincitur enim experimentis, suum minui auro pondus igne vehementi maximeque diuturno. Proditum quoque literis, & ætate nostra comprobatum est, aurum vanescere in igne positum quodam permixto puluere *quo non vrbani modo, sed rustici, atque eorum mulierculæ possunt abundare*: compertum item parua re in hominum vsu præcipue versata detrahi fuluum colorem auro, nec vnquam reddi posse, vbi semel detractum est, manente colore aureo apud eum puluerẽ, cuius iniectu rutilus ab illo

fulgor

fulgor abſceſſit. Quod vero late dilatetur, & texatur in telas aurum hoc illi eſt cum argento commune. Denique ne longius euager, quicquam non reperi, quod ſic ſolida baſi niteretur, vt inde trahere poſſent gentes deſiderij ſui validas rationes in auro tantopere æſtimando, idque tam auida ſiti perquirendo, vt quidam propterea ſemet in excauatos montes inferrent: nonnulli ſeſe in profundiſſimos ſpecus, quos appellant puteos, demitterent, alij ex fluminibus ramenta eius colligere ſatagerent, alij ad extremas Indiæ plagas, vel per exuſtam ſolibus Æthiopici litoris oram, vel per Zephyrum in auroram ad antipodas nauigarent, nec id quidem vt vel aurum obrizum, Græco nunc vtor vocabulo, pararent ſibi vel colophone quondam elaboratum, vel vti nunc ſolet Lutetiæ Pariſiorum, ſed rude corpus auri craſſamque materiam, proinde non temere inuenies quid homini auido cuiusque rei naturæ cognoſcendæ ſatisfaciat: vnde tanta ſit eius habendi cupido, cum non tanti ſit eius vſus, quanti eſt precium, quo iam hominum maxima pars humana omnia dimetit, & vtinam non diuina ſub eadem menſura clauſiſſet.

CAPVT VII.

Quod auri præcipua nobilitas non pendeat ex ſacris literis.

IAm nec æſtimationis precium de ſacris litteris pẽdebit, nec diuturnitas: nã & ſi diuinitus in eis mandatũ legimus, multa ex auro puro fieri debere ad Iudaici tẽplii cultum, ſolemnesq; cęremonias. Item quod ſic cantatum à Propheta nouimus: dabitur ei de auro Arabiæ. Meminiſſe tamen debemus eorum, quæ ſupra Ioſephi teſtimonio ſignauimus, hoc eſt aliquod æs auro melius eſſe, ex quo inter Dauidis manubias inuentó ſcripſit Salomonem in templo feciſſe vas, quod mare magnum appellaretur. Eſdram Xerxis tempeſtate cuſtodibus pecuniarum ex genere ſacerdotum reſtituiſſe vaſa ærea, quæ penderent duodecim talenta, & æſtimarentur auro meliora. Debemus etiam nouiſſe myſticis velaminibus auro ſapientiã ſacris literis ſignificari, argento eloquentiam, intelligentiæque lumen comparatum auro eo eſſe ſplendidius, quo minus terream fæculentiam admiſerit, inſtar auri, quod in Arabia ſolere naſci mandatum eſt literis, ſuapte natura purum, nullo ignis vſu, proptereaque vocatum apyron,

vt eſt

vt eſt à Diodoro proditum memoriæ. Hęc ſint ad præſens delibata, vt omittā quod ea eſt Deus bonitate quod ſeſe, teſtante Chryſoſtomo, demiſerit ad humanā infirmitatem multis in rebus, quæ ad communes gentium vſus pertinebāt? Quid? quod eiſdē ex literis auri ſepe reiectam & improbatā deprehendas æſtimationem, ſic apud Oſeam Prophetam aurum ſuum fecerunt ſibi Idola, ſic Petrus Apoſtolus aurum atq; argentum nuncupauit corruptibilia, ſic Iacobus aurum ſcripſit æruginem contraxiſſe, vt propterea iure id non mediocrem debeat admirationem parere in animis eorum, qui æqui ſint rerum æſtimatores, vnde nam tanta ſit cupiditas, cum ſuapte natura aut nulla ſit eius vtilitas, aut parua, aut certe non magna, quando & alijs rebus ea, quæ auri ſunt, inueniantur communia, & à multis, quas aurum metitur, rebus egregie ſuperetur.

CAPVT VIII.

Quod auri nobilitas non pendeat ex concilianda geſtanti gratia.

ENimuero quis tam hebes, vt credat auri conquiſitores quæſiuiſſe geſtatione illius ſibi gratiam conciliari: relatum enim eſt monumentis, ſed inanibus, ex auro quod nō eſſet ignem expertum, confici ſolere vnguentum, cuius vſus gratiam magorum ſuaſu cōparet ijs, qui heliochryſo herba coronarentur? largitione, vt mihi quidē videtur auri, non geſtatione conciliari gratia ſolet, inuidia vero cōflari ob aggeſtos numorum aureorum cumulos, tantum abeſt vt amor & beneuolentia propagetur. Præter hæc, quisnam mortalium magicis vanitatibus adſtipulatur ſic, vt ſciat vnguentum illud aureum conficere, vt ſciens eius artificij ſit: quotuscunque vel ex antiquitate, vel ex noſtra ætate, propter eam cauſam quærit aurum, tum ſi quærat, quemnam reperies heliochryſo coronatum herba, & vnguētatum apyro metallo gratiam per populos, & per aulas regias emendicare? Vndenam igitur tanta increuit cupiditas auri, vt nulla euidēti cauſa cōpulſi homines, prę ter quam quod ita inter eos tacita quadam & minus neceſſaria, & vtinam non pernicioſa conſpiratione conuenerit, aurum ipſum rebus cæteris omnibus anteponāt, nec cōtenti vel ſpecub. Dalmaticis vel Callaicis antris fluentiumq;

tiumq; gurgitũ aureis arenis, nec eis etiam nauigationibus, quibus abusq; Salomonis tempestate petebatur aurum, curarit ipsum per artem fieri: domiq; tot labores pro auro factitio sæpe non pauciores aut leuiores quam pro natiuo nauigationes & bella pleriq; susceperint: videmus enim plerosq; nõ manibus modo nauare operam, vt per res metallicas igne adsito parent aurum, verum & compositiones innumeras conquirere, vel singularia scrutari placita Philosophorum, vt auriferos pulueres, lapidesve conficiant, siue ij, vt vulgus loquitur, sint minerales, dici latine metallici deberent, siue vegetabiles, hoc est ex herbis & stirpibus, siue animales, hoc est ex animantibus educti, siue mixti ex duobus vel tribus, siue conflati ex re communi vel aerea, vel terrea: vnde & metalla, & stirpes, & animalia duxerint originem. Audiui enim inter viuos adhuc versari hominem, qui se jactauerit eius artis legisse octingenta volumina: præterea schedas innumeras excussisse, vt ad triginta septem millia compositionum numerus protenderetur, certe non vt conciliaret sibi gratiam eius gestatione, sed vt corrogatis, quæ sibi placerent, compos ..... votorum fieret, tanti est habendi auri apud mortales industria, tam vel nulla causa, vel debilis præter miserorum mortalium nudum tacitumq; consensum.

IOAN. FR. PICI MIR. D. CONCORDIÆQ. COMITIS DE AVRO AD VXOREM,

Liber Secundus.

CAPVT I.

QVID AVRVM, ET QVID ARGENTVM, itemque de artis qua fit aurum nomine.



ACTENVS disputatum sit de auro æstimando; nunc de arte, qua confici possit differendnm est, solet enim versari inter doctos, indoctosq; *fieri possit an non possit* quæstio, eaq; multis fœta disceptationibus, ad quas pro viribus tollendas;

vel vtcumque sedandas generatim, tum & in vniuersum, non per partes atque minutias vtilitas me non mediocris inuitauit: interest enim hominum R. P. ne in ambiguo sit eis in rebus pertractandis, quæ & sint communes, & ante omnium ora versentur. *Primum vero nomen, subinde originem, demum potestatem artis indicabimus*, per varias facultatis literariæ scholas, longe lateque versatam. Ars igitur auri faciẽdi *Chrysopœia* Græcis dicta, latinis eodem est etiam nuncupata vocabulo, mutãdo vero metalla in vniuersum, *Chemia* est appellata Græcis, quos plurimũ sequuti Arabes *Alchemiam* vocauerunt. Definierunt autem Græci Chemiam, vt sit ea præparatio faciendi auri, atq; argenti. Nam quanquam & alia metalla per eam fiunt, à nobilioribus tamen atq; præcipuis nomẽ obtinuit, ita vt etiam argyropœia, & Chrysopœia postea diceretur. Putarunt quidam à succis Chemiam nominãdam, quibus Hermolaus Barbarus videtur assentiri, sed verius à fundendo, id est, à postremo ipsius artis officio, & quidem H. litera græca, quæ in E. longum apud Latinos verti solet pro refusoria dare litem videtur iureconsultis: metallicam artem dici posse, satis constat, eo quod metallarij & dicuntur, & viles R. P. iudicantur apud leges ciuiles, ij, qui auro, argentoque parando solent operam dare, qua de re latius opere procedente. Communi nomine metalli, quo plura comprehendantur, iuris interpretes vti maluerunt, quibus etiam placuit æris vocabulo nummos aureos indicare, quemadmodũ scripsit Vlpianus. Sileo quod ab Alchimo nonnulli, sed nulla vt arbitror ratione deducẽdam putant nuncupationem, vt hinc Erasmum virum in literis late versatum demirer dialogum edidisse, cui titulus alcumistica; Demiror inquam illum sequi vulgus maluisse, nec agnouisse articulum al. apud Arabes passim habitum, detraxisseq; aspirationem quæ debuisset includi, si vel à fundendo, vel à succorum conficiendorum potestate vocabulum deriuaretur. Nec minus miror, imo longe magis, vtpote nullo pacto componendam Erasmo, qui scripserit ea de re, nomenq; refugerit, & insolitum quoddam vocabulum excogitarit.

Capvt II.

De artis ipsius origine atq; progressu.

PRincipium artis, Vincentius Bellouacensis repetit à primo generis humani parente, perque varios traduces ad alios non-

nonnullos apostolicum que Dominicum peruenit, à quo ipse multa se fatetur didicisse. Alij Trismegiston Hermetem maluere Chemicæ principem facultatis lapideis in tabulis quibusdam scriptæ, & ad Hebron ciuitatem repertis. Nec defuere qui scriberent in deserto Sinæ reuelatam diuinitus Hebræo cuidam viro, sed tantummodo generatim ad opus rabernaculi fœderis constituendum. Ego vero quantum à Græcis Latinisque auctoribus colligere potui, comperio artem antiquissimam quidem, sed paulo ante Troianum bellum, vtpote vetustissimis illis Græcorum temporibus eius mentionem sub inuolucris fabularum & ænigmatum nebulis indicatam, sic Eurysthei mala cupientis aurea iussum Michael Psellus interpretatur, sic Iasonis in Colchos nauigario declaratur apud Suidam, vt non auream Phryxi pellem, sed membranam arietinam, qua faciendi auri facultas describeretur, quæsitum iernit Argonautæ, quanquam non me fugit Varronem id tribuisse velleribus pecudum, Strabonem hirsutis pelliculis ouium, quibus auri colligerentur ramenta de fluuijs. Verumenimuero maluerunt membranam fuisse non vellus, non hirsuta terga pecudum vetustiores Græci, inter quos & Charax, & Apollonius, & postea Colchicæ nauigationis interpretes & Eusthathius, qua de re latius inter narrandum experimenta, sat sit ad præsens indicasse multis auctoribus existimatum sub fabulosi velleris aurei tegumento descriptionem significatam auri per artem faciendi: sic & Atrei agnum, ita enim loquuntur Græci tragœdiarum scriptores, & latini, quorum Cicero meminit, arietem vero, non agnum Seneca nuncupat, sic inquam nonnulli interpretantur Atrei nuncupandum agnum, arietemve, vt descriptam potestatem auri faciendi lectoribus insinuent. Nam Atrei & Pelopis opes ex metallis fuisse scriptum reliquit Callisthenes Olynthius, Aristotelis & discipulus, & consanguineus, quas opes alij ex viua pecude Varronis exemplo deriuatas volunt: Alij ex argentea phyala in qua consertum esset emblema; sic vt ἀρνὸν hoc est agnum in sese contineret. Cæterum ars faciendi auri Græcis auctoribus ferendane accepta sit, an à Persis, Ægyptijs, cæterisque nationibus, quæ orienti soli propinquiores habeantur, manauerit, non satis habeo compertum: Quanquam & in Persis Hostanem,

&in Ægypto Tamorum quam Hermetem Chemica scripsisse proditum sit memoriæ, perseuerasseq; τῆς χρυσοποίας in Ægypto studium, ex quo ingentes opes paratæ sint vsq; ad tempora Diocletiani, Græcis monumentis constat, quibus & Diocletiani, & Maximiani res gestæ continentur: idque etiam spectari datur bifariam in Suidæ collectaneis, pariterq; comperi Democritum apud Græcos principem chemicæ facultatis in oriente versatum ab Ægyptijs, à Persis, ab Indis, multa didicisse: eum inquam Democritum, quem Hippocrates est admiratus, quem laudauit etiam Thimo, quem Plato non est ausus incessere, quem virum iure magni nominis Celsus appellauit. Ab hoc fluxit Democrititia secta, quæ & Abderitica nuncupata est. Cuius inter Aristotelis interpretes Michael Psellus non solum meminit, sed à se reuelata scribit eius arcana. Hic enim post Rhetorica, Histotica, Physica, Mathematica, scripsit & Chemica, nec non & medica, quæ Constatino Imperatori dedicauit. Olympiodorus quoque Alexandreus & Platonicus, & Aristotelis interpres Chemica scripsit: scripsit etiam Heliodorus ad Theodosium Imperatorem, scripsit & Stephanus ad Eraclium Cæsarem, vt Africanum Cynesium, Theophilum aliosque prætercam, & ipsum etiam Zosimum, Alexandreum Philosophum, qui de arte composuerit duo de triginta volumina; Quorum omnium præcepta solent in Democritum plane referri, qui fuit naturæ solertissimus indagator, & beneficio longissimæ ætatis. Nam supra centum vixit annos, multa deprehendit, quæ literatorum vulgus latuere: scribebat autem subobscure præcepta, non quidem ea ratione vt videri nollet Chemicæ sciens; Verum vt ea præcepta consectaneis essent amicisque tantummodo nota, & ignota vulgo, proptereaq; nouabat nomina, vt ab ipsis duntaxat, qui rem alioqui tenuissent, deprehenderentur, atq; hinc non possum non mirari contra Hermolaum Barbarum, virum alioqui de literis benemeritum hoc scribēdi genus in Democrititia schola solum damnasse, & vel malignitati vel arrogantiæ retulisse acceptum. Meminisse poterat antiquitus vsq; ab Homero diuersa rebus vnis indita nomina, & alijs superos, alijs imos dictionibus vti consueuisse, & gentium antistites non eisdem quo vulgus vti solere vocabulis, nec non facile fuerat vti recordaretur, qui certe legisse illum minime dubito, laudatissimum

mum & præcipuum fuisse in omni secta, quæ inter alias apud philosophos præcellentior haberetur, vt occulerent sua dogmata, apud Pythagoricos maxime & Heraclititios, nam illi silentio & symbolis vtebantur, hi vt Plato scribit ænigmatibus, & eis qui declarationem quærerent ænigmatum, ænigmatibus alijs respondebant. Plato quoque velamentis plurimis sua dogmata connexuit, imitatus & ipse Syras Palæstinos, quorum mos auctore Hieronymo erat parabolis vti, vt innumera sileam, quibus etiam refelli Barbarus posset, ni sumatur inde ansa defensionis, quod non ediderit ille corollarium emendaturus, si quid inconsultius adnotauisset, *tanti autem faciebant sua philosophia arcana prisci illi sapientia cultores, vti prophanis, vti multitudini ne vtique fieri nota vellent*: Depopulata vero Græcia, & post inclinationem Rom. Imperij, desolata Italia Barbararum gentium crebris vastitatibus, cum receptæ colique cœptæ literæ fuissent à Mauris & Arabum populis, in eam quoque linguam multa artis chemicæ volumina translata sunt, ex quibus & ipsi quoque Mauri, ij præcipue, qui Bethicam incoluere, compilauerunt libros, & operam quoque & impensam non recusarunt. Hinc & Auicenna & Rhasis, & Geber, & Arabum denique philosophorum numerosa Turba de rebus chemicis edidere volumina, quos aliquo post tempore & Vincentius & magnus Albertus & alij plurimi secuti sunt, Sed enim desierat iam pene facultatis huiusce quantum attinet adscripta celebritas, cum Arnoldus à noua villa citerioris Hispaniæ, & postea Raymundus Balearicus tum multis voluminibus, tum nouis inuentis, tum publicis experimentis rem iam pene dilabentem erexere, & illustriorem quam aliquot ante seculis fuisset, reddidere, quo factum vti quilibet vel paulo eruditior, & in rebus meteorologicis apud Peripateticos inter disputandum versatus, vel paulo curiosior in exploranda natura rerum, vel faciendi auri paulo appetentior, occasionem sibi non deesse ratus, dederit operam transmutationi metallorum, vel discēdæ, vel docendæ: quanquam ex neotericis Aristotelis sectatoribus, qui de arte disputauerit præter Timonem paucos inuenias: At qui artem confectis experimentis firmare tentauerit numerosam, & communes fere numeros superantem multitudinem plane comperias. Tantus enim concursus *vt ad imperitissimos quosque res deuenerit*. Vnde & inanes irri-

tique conceptus passim ostentabantur: proptereaque cœptum dubitari, verane ars an impostura censenda esset, auri per artem conficiendi pollicitatio, cum ex vanis promissis patrimoniorum detrimenta conspicerentur, ex detrimentis non difficilimus esset lapsus in crimen furtiuæ monetæ: quam ob causam Venetijs aliquando interdictum Hermolaus est auctor, ne quis experiretur aurum facere, eisdem etiam causis inter eos, qui de moribus ferunt sententiā Christiano ritu, summisque de licitis illicitisque consciunt, disputationes multæ, vetandane facultas esset, an admittenda? Vt sæpe fieri solet, cum praui vel doctrinæ cuiuspiam professores vel nocenter aliquod negotium alioqui licitum exercentes numero solent excrescere. Sic olim Rhetores à Lacedæmone profugi, sic expulsi Roma non solum rhetores, sed & philosophi, & medici. Dubitatum autem non solum inter concessa computari deberet studium, & opus vt Græci dicunt χρυσοποιίας: sed fierine posset, vt ars naturæ ferret integram opem in auro conficiendo, illud censorum sacerdotum proprium, hoc naturalium philosophorum, vtilene id factitium aurum esset, si modo fieret & humanæ accommodum naturæ, subinde medici perquisierunt: creditane res tantummodo foret, an probata experimentis, quorum non auriti haberentur testes solum, sed oculati tam principes quam rude pariter & eruditum vulgus sciscitabatur, quibus de rebus & alijs plerisq; ad hæc pertinentibus articulatim sumus disputaturi.

CAPVT III.

De arte ipsa, legitimane sit, an secus? Quid principes, conditoresque legum & canonum, quid interpretes, quid theologi, & quod vulgo summisti vocandi decreuerant.

PRincipes conditoresq;, & interpretes legum ciuilium, & canonum Ecclesiæ, & ij quoq; quibus placuit ex factitijs iuribus theologorumque doctrinis summulas conficere conscientiæ quæstionibus accommodas, iterum alij diuersarum rerum scriptores diuersa cōperiuntur de auro conficiendo, & sensisse, & chartis retulisse, de principibus conditoribusq; postea, nunc de interpretibus. Apud Gulielmum Mina-

tem-

tensem episcopum & eius appendices operis nomine speculi iuris celebrati *& legitimam & verã artem faciendi auri R. P. vtilem decernitur,* hanc sententiam Io: firmauit, & Oldradus, & Nicolaus Panormitanus, & alij. Sic iureconsultis & interpretibus canonum persuasere leges illæ Valentiniani Cæsaris priores, in codice Iustiniani positæ, vbi agitur de metallarijs, quas leges nec ab interpretibus ordinarijs rite perceptas, nec à posterioribus plane castigatas, tum ostēdemus hoc ipso volumine, cum fiat mentio de experimentis, persuasit fortassis & Accursius Florentinus, qui glossemata ciuilibus apposuit legibus, si qui tamē perlegerunt, quæ mihi perspectę sunt eius ipsius cōmentationes super artis magisterio: neq; enim contentus artē ꝓbasse diligēter, etiā eius exposuit præcepta, subscripto semper nomine, nō secus ac si pandectas interpretaretur; Angelus Clauasinus in summa sua detestatur artem, quā etsi leuiter tueri, tamē potius quā impugnare visus eiusdē vir ordinis summæ auctor eius, q̄ Rossella nūcupatur, & qui mox enarrauit Angeli summulam extreme, sic non impugnatam ab eo artem interpretatur, vt inter improbos sit habendus, q̄ ea vtitur. Contra vero multis rationibus & Ioannes Ligur, & Syluester ex prædicatorum ordine, suis in libris summarũ, titulo. A. nuncupatis, Clauasinum impugnantes, argumentis eius apertissime restiterunt. Thomas Caietanus tā sua in summula, quā in theologicis commentarijs pro artis veritate sententiā tulit, eo modo quē sumus paulo post dicturi. Sed theologi celebres Albertus & Thomas suis monumentis arti fauerunt, quanquā in Thomæ sententia declaranda intereius interpretes aliqua dissensio ad concordiā ꝑ nos quoad fieri poterit, suo loco reuocāda. Magnus aūt Albertus quamquā multa scripsit de vertendis metallis, artemq; recepit, tria tamē præcipua inter plures rationes asseruit. Primũ *eos falli, qui rentur metallorũ species mutari non posse,* dedisseq; illos Aristoteli, q̄ Auicennæ dandũ erat: deinde ab eodē subindicatũ mutationem referendā esse in primam materiā metallorũ, quæ artis adiumento reduceretur in diuersam speciē. Demum colligit Albertus longo satis progressu, metallicæ peritos artis medicorum instar progredi, quorum probabilior illa semita, cuius ductu purgat sulphur & argentum viuum, riteq; illorum permixtio paratur, quorum virtutibus, vt eius vtar proprijs verbis, omnis metalli species inducitur, deduciq; demum scribit

viuum argentum ad duritiem, & deinde diuersas formas metallorum. Sanctus Thomas in summæ theologicæ secunda parte, secundi voluminis, affirmat Chemicæ veritatem, quam non asserueratin secundo in sententias theologicas commẽtario: propterea varius hac in re multis visus est, vt suo loco manifestius apparebit, cũ aperte sentẽtiam ipsius interpretabimur. Quantum ad præsens attinet, sectator Thomæ, Siluester eiusdem est sententiæ, *vt fieri aurum per artem queat*, in qua sententia Ioannes non permansit; At Caietanus Thomas sua in summula censet, *artem ipsam dummodo sine fraude fiat ex sese illicitam non habendam, nec in peccatis numerãdam venditionem rei per artem effectæ si pro eadem, quæ est, proprie fiat venditio*: in commentarijs vero super S. Thomæ summa theologica, scribit artem quidem possibilem, sed aut non humanam, aut principum esse, postquam sapientes cõsuluerint, de artis potestate nil differit, vt alijs in quæstionibus acute solet. Qua in re illud nonnulli demirantur, qui vbi artis veritatem & auctoritate, & ratione diui Thomæ cõfirmauit, illico homini decreuerit possibilem. Id & ea ipsa Thomæ ratio conuincit, quod si admittit cur non humana? si principes & ab eis consulti sapientes eam queunt exercere, cur super hominem? quasi non sint & principes, & sapientes inter homines recensendi. Quos tamen Plato modis omnibus expetiuit ad Rerũpublicarũ felicitatem, hoc est, vt aut principes operam darent Philosophiæ, aut philosophi Resp. administrarẽt. Verum ea posset ratione Caietanus à calumnia defendi, quod & rari sunt principes, qui percalleant res naturæ, & opibus principum indiget magna pars eorum, qui vacant chemicæ: propterea nequeunt, nisi principum virorum opes affuerint, experimentis vti, quæ magnas requirunt impẽsas. Hanc autem calumniã effugerat ante Io: Pici patrui mei responsum, dum enim eum consuleret Antonius frater, fierine posset aurum ex arte, respondit consulenti, fieri quidem posse, sed difficilime. Nulli autem dubium sanctum Thomam in sua theologica, quam morte preuentus non potuit absoluere, artem faciendi auri tanto magis admittendam decreuisse, quanto maiora per artem fieri queant quam aurum, vt dicturi sumus, procedente opere, eundemque decreuisse in commentarijs super Seuerini libro de trinitate editis,

legi-

legitimam esse artem, & naturali Philosophiæ vti iuniores loquūtur subalternatam. Legi præter id librum S.Thomæ de arte ipsa metallica, si non mentitur auctorem titulus, qui legitimus videtur eo comprobari, quia Alberti fit in eo mentio, vt præceptoris; quod Regimnaldo mittitur, ad quem alia etiam misisse Thomam ipsum plane constat: legi quoque in opiniones Thomæ de auro argentoque faciendo commentaria: multi vero chemicæ nominis non satis gnari, vt mihi quidem videtur, alienum quiddam expiscati sunt, aut potius ex penu sua satisne instructa nescio deprompserunt, quo nomen alchemiæ defugerunt vili plebeculæ solitum attribui, ne de ea re scripturis ingereretur contumelia, quod ante subindicauimus. Quod vero scripsit Erasmus esse capitale, si quis (eius ipsius verba repono) alcumisticam exerceat absque Principis permissu; plurimi non ferunt ei arti nimio plus addicti, multoque minus qui facti sunt compotes diuturnis experimentis: exigunt enim primum ab homine docto, quis ille sit; Nam multi Principes sub supremo, multi sub regibus, quorum plerique subesse ipsi Romano Principi minime volunt, deinde quærunt voluerit ne princeps ille quisquis fuerit priorum Cæsarum leges iam tot seculis publicatas cum de metallarijs decernitur edicto suo priuato demoliri? Demum subdidere, edictum per omnes prouincias promulgari oportuisse, & promulgatum recipi consuetudine atque confirmari, alioqui computaretur inter antiquata & irrita: exigunt quoque, factam secretionem eius chemicæ, quæ verum mentitur aurum argentumque, cuius meminit Ioan. Pontifex eius nominis secundus sup. xx. Meminit etiam Alligerius Ætruscas: illius item qua quæritur ab ineruditis illiteratisque mutatio metallorum: atque eius demum, quæ vel eximia doctrina, vel certis experimentis, argentum aurumque vel ex eorum principijs, vel ex metallis imperfectioribus plane conficit, quam iuste vetari non posse tam doctores theologiæ, quam interpretes canonum, ex iustæ legis definitione contenderunt, cum ea haberi debeat iniusta lex, qua id quod alienum est, abripitur, qua id, quod plurimis prodest, prohibetur, vetatur, abijcitur: quid enim prætendi poterit aut iustitia fretum, aut honestate, vt manus in propria simul atque aliena commoda paratas instructasque cohibeas, vt profit, vt iuuet, vt afferat commoda hominibus, in homines potestas data

est diuinæ conformata potestati, cui si non consonat eo illam penitus abuti nomine; atque omni vi plane destitui, sacrarum peritis literarum extra omnem controuersiam definitur, vt mittam mentionem non esse factam eorum, qui ius habent ipsas in leges ciuiles, nec nisi præscriptis conditionibus voluerunt esse subiecti. Hæc ab Erasmo desiderabantur, exigebanturque, nisi existimatum fuisset illum ioco id verius quam serio protulisse, finxisseque vt nomina complura ita & fabulam, qua rideret auidos auri conficiendi, nimisq; credulos impostoribus, quorum magna turba est, eoque maior, quod in ipsos & silere, & dormire leges existimantur, expectari quoque potuisset ab eo tractatam quoquomodo quæstionem vti dissolueret aliena saltem auctoritate, quandoquidem, libro eo, cui glossulas Accursius apposuit, scriptum reperitur publicæ dandum commoditati, principes vt resciant, confectores auri quinam sint, priuatæ vero renitentibus etiam ipsis vt peragant, quod nouere, modo caute negotium prosequantur; Edictum vero Ioãnis xxij. eius generis est, quod quia inter legitima septem volumina tanquam membrum iuridici corporis non est receptum, sed foris mansit extrauagari dicitur, sed nec ipsum reluctatur arti: nam qui eo temere vti pro argumento volunt, vt resipiscant, moneri poterunt in ipso limine, hoc est in edicti rubrica, præscribitur enim de crimine falsi, at nos *de Vera loquimur arte*, quæ falsitatis nomine taxari non potest, ne dum ad tribunalia trahi, vt apud Accursium, apud Gulielmum & alios, qui eos rite sequuti, decernitur, eo maxime loco vbi agitur de crimine falsi: nisi enim vel in materia vel in forma deprehendatur falsitas, pœnæ nomine nihil infligi potest; vti Baldus adnotauit in vsibus feudorum, dum habetur de regalibus mentio: manifestius vero ipso in progressu deprehendi datur aduersus mendaces impostores falsosque artifices dirigi pontificium sermonem, dum scribitur, pauperes alchemistas spondere, quas non exhibent diuitias, eosdem item dissimulare falsitatem, vt tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum vel argentum sophistica transmutatione confingant. Proindeque tantum veri auri vel argenti publicos in vsus pauperum coguntur reponere, quantum falsi, fictiue, aut vendiderint, aut dederint in solutum, qui vero monetam adulterinam ex auro ipso, non vero, sed Sophistico, quod dicitur, procurauerint, &

rint,& ipſorum etiam deferri bona,& carceri ſubinde mancipari iubentur. Hæc illius edicti ſumma de falſis, non veris artificibus promulgati, quam ipſismet etiam præſcriptis verbis ferme repoſuimus.

CAPVT IV.

Quid de auro per artem conficiendo ſentiendum ſit, ex philoſophia naturali dependere.

PEndet autem non ab edictis principum, non ab interpretibus legum & canonum, non ab ijs, qui de aliorum dictis ſuas exarauerunt paginas, & de moribus humanis decreuerunt, ſed à naturalis philoſophiæ principijs in vniuerſum fieri ne aliquid arte fiat, quod alioqui promittit natura, hoc eſt, num eandem formam, ſubſtantiam, eſſentiam, diuerſis ex primordijs oriri, fierique contingat? Manauit item quæſtio mutandæ formæ ab ipſis plurimum philoſophis ambigentibus, vert ne ſpecies, & promiſcue poſſent mutari. Nata vero particulatim conficiendi auri diſceptatio de meteorologicis voluminibus Ariſtotelis, quæ quidem varie pertractata ſunt, nec adeo ſeſe præbent ad liquidum perſpicacibus ingenijs æſtimanda, vt certa inde & inconcuſſa dogmata pertrahi queant: proinde fuere qui artem impugnauerint, quibus Auicenna reſiſtit apertiſſime, reſiſtit Geberus alijque permulti, quanquam ſpeciem ex integro mutari negat Auicenna, ſed in communem materiam confitetur formas induci: verum quod attinet ad Ariſtotelem, præterquam quod huius rei non fecit exactam mentionem, eis videlicet in voluminibus, quæ legitima illius eſſe putantur: nam eximunt quidam nonnulla, quæ arti fauent ab ordine Ariſtotelico, præter hoc inquam certum illud eſt, quod de metallis non niſi generatim, diſſeruit in meteoris, aſſerens ea ſic ex humidis plurimum oriri vaporibus, vt ex plurimum ſiccis lapides & ſulphur, & ſandaraca generantur, habita quodammodo proportione ad ea, quæ non in terræ cauernis; ſed aeris fiunt regione ſublimi, proptereaque ab illo Græca voce nuncupata meteora, ibi enim voluit ex humido halitu concreſcere nubes & pluuias, ex ſicco, igneque ventos, fulgetras, fulmina, & id genus cætera coaleſcere, quanquam nonnihil inter ea poſuit diſcriminis, præter hæc nullum ſane dedit euidens indicium eis in libris, exactam vllam diſciplinam expromendi, quandoquidem

quidem inter exordia dicit quæpiam ſe dubitaturum, ac Alexander eius interpres docet difficilia eſſe cognitu, quæ Ariſtoteles eo in opere pertractat; Olimpiodorus etiam longe obſcuriſſima, vt hinc facile queas vtrocumque volueris modo de Ariſtoteleo dogmate perſentire, & difficultatem pariter deprehendere chemicæ facultatis: cum Ariſtoteles magnus vir in literis dubitare ſeſe differit, & quadam quaſi ſuperficie tractare, quæ illi percipiendæ ſuapte natura videbantur adſtipulari. Sed à Theophraſto pertrahi poteſt, quod finiendæ liti quadrare queat. Nam quamquam ſcribit in libro de lapidibus, ſe de metallis quidem diſſeruiſſe, idque totum quodcumque fuerit temporis edacitate perijt, ex aqua tamen dixit illa conſtare, ſicut lapides ex terra, vnde illa ipſius verba, ὕδατος μὲν τὰ μεταλλευόμενα, καθάπερ ἄργυρον καὶ χρυσὸς, ſubindeque ſatis indicauit ſolere per artifices peritos aurum fieri. *Prodit enim memoriæ factam cinabarim ab Athenienſi Callia, dum aurũ facere ſe putauiſſet*: Nam niſi ſperaſſet ex arena illa coccinea duci aurum poſſe, non eſt cur inſudaſſet operi. Notum enim eſt arena, quæ dicitur Chryſamos ſic aurũ fieri ſolitũ, vt ſolitũ eſt illud ex fodinis erui, quod & apud leges ciuiles ſi rite percipiant plane conſpicuum. Qua dere ſumus in operis progreſſu minus peritos inſtructuri, quod ſi non aurum aſſequutus, ſed cinabarim Callias, initium tamen auri procul dubio eſt adeptus; Quandoquidem apud peritos artifices conſtat in cinabari, & argenti, & auri latere principia, conijcere quoque nonnihil poſſumus ex condiſcipulo Calliſthene, & ipſum, & Theophraſtum, & Ariſtotelem, præceptorem in ea fuiſſe ſententia, vti metalla poſſent inter ſeſe verti, cum vnam tantum formam illis aſſignauerit ipſe Calliſthenes, quam facile Galenus admiſit, ex accidenti tantum differre illa, nonnullis rationibus argumentatus, ſi legitimus ille Galeni, non ſuppoſititius liber habendus eſt: Ego vero vt aſſentiri hac in re duce ratione Calliſtheni poſſem, effecit etiam multiplex experientia, qua ſeorſum aurum, ſeorſum argentum diuerſis granulis effici vno eodemque pharmaco: itemque ſimul & aurum, ſimul & argentum eodem tempore, eodemque pharmaco ſæpenumero ſum intuitus, & ſi quando quod iacebat ab auro diſcluſum liquore eo acti, quem vulgus partientem aquam appellat, compereram, multum auri contineri facto id periculo plane conſtabat, ſed de experimen-

tis

tis suo loco diligentius agetur. Vincentius Burgundus ille qui maxima confecit omnis pene rei literariæ volumina, dum agit de natura, veram artem non tantum à se cognitam asserit, qua aurum segregari, verumetiam eam qua fieri censet, motus & ipse fortassis rei experientia, vt pote qui deprehenderit id cæteris in metallis latitare: Alij & plurimi quidem non solum segregari, quod negari non potest, sed gigni etiam fierique contendunt, rationibus ex philosophiæ suppellectili plane depromptis. Equidem scio inter Græcos Aristotelis interpretes fuisse Michaelem Psellum, qui multis rationibus adductis asseruerit posse aurum per artem ex non auro fieri, eiusque rei senas, si recte memini, vias ostendit. Iuniores fieri aurum posse quidem senserunt sed alia ratione, vti paulo post sumus ostensuri. Cæterum multi peripateticorum in eam tendere opinionem sunt visi, vt aurum arte fieri queat, tametsi & difficultatem, & pericula causentur, quorum in numero est Timon in vltima in tertium meteororum Aristotelis librum quæstione; Dubitationem auxit nonnullis speciei, & formæ nomen, quod vario significatu sumi solet à Philosophis, & quantum ad hanc rem attinet de specie ab arte mutanda trifariam loqui consueuerunt: sunt enim qui dicant nõ mutari speciem, sed in singulare, quod priuum quiddam sit, indiuiduum alij nuncupant, sub specie contentum, cum soleant res quædam & ab ipsis speciei principijs, & aliunde quoque proficisci, non secus ac animantia quæpiam, quorum ortus non tantum est à mare feminaque, sed aliunde, quem tamen ortum nec visu, nec vllo sensu discreueris: idcirco quæ generantur ex coitu, & rebus etiam corruptis oriuntur, speciene differant an minime, consueuit apud philosophos dubitari; quorum nonnulli vt remota non admittunt principia priora, sic proxima negare nequeunt, qualia memini legisse me apud Galenum, siue ille Pergamenus fuerit enarrator Hippocratis, siue alius eiusdem nominis, vt cum ex ouo pullus educitur non solum gallinæ incubatu, sed & mammarum muliebriũ calore, & equiclibani tepore: sunt qui intelligi quæstionem velint & sola artis operatione, & mixta etiam operatione naturæ, atque ea distinctione conciliant litem, speciem quoque ipsi subinde secernunt, vt quicquam mutari queat, quoad pertinet ad formam dumtaxat stante materia, quod sane fit artis minus adiumento quidem naturæ, sed per se quic-

quicquam, non exercentis, cui & ars dicatur famulari: id autem minime rentur absurdum, si dicatur & defendatur, sunt qui accipiant vt eis verbis intelligatur, materiam cum forma mutari, sic, vt alia penitus & ex integro fit, quod certe non admittitur a sapientibus fieri posse vel ab arte, vel a natura: quoniam id sit solius diuinæ potestatis proprium, proinde cum ex argento vel alio quopiam metallo fit aurum, aut indiuiduum fieri dicunt, aut si speciem fieri malint, materiam manere volunt, formam mutari, quandoquidem materies ea, quæ fuerat prius sub argenti forma, postea sub auri formam reperitur: pars itaque speciei tantummodo permutari dicitur, si speciem ex materia formaque constare cum schola Peripateticorum recipimus, & maxime cum sancto Thoma, & ijs qui nobiliores inter neotericos habiti sunt, quanquam non defuerunt ex philosophis qui speciem cum dicunt formã solam velint intelligi: Dici quoque potest non absolute mutari quicquam, quoniam pars abijt, pars coniungitur, interuertendum, tum cum occupata eius ipsius materia forma discedit; id autẽ frequentissime sentimus, cum absumptis edulijs dispe-rit eorum forma, & materia vertitur per concoctionem. Cæterum apud iureconsultos aliquando legi speciem desumi aliter, cum scribitur nõ mutari speciem, si ex stanno & plumbo verbi causa fiat aurum: genus enim videtur pro specie capere, ni forte ibi vna tantummodo species sit habita metallorum, vt æs, plumbum, stannum, argentum, sub vna auri collocetur specie perfecta, ad cuius præcipuum gradum cætera metalla queant ascendere? Quod qui defendere vellet, nec per Græcam metalli etymologiam, nec per validam rationem reprehendi posset, tantum abest, vt à scholis philosophorum eliminaretur: fertur enim opinio isthæc accepta Callistheni, de quo supra disserebamus, quam si recipimus, reijciamus illos oportet, qui varijs ascribunt planetis varias metallorum formas, inter quos Ioannes Versor & ij quos est secutus in exponendo Aristotelem, quo in loco vanitatem illam expromsit, quam mille oculi sunt auersati, bis mille manus explosérunt, hoc est ferrum non liquefieri, sed enim ipsa reiectos iam experientia fuisse planetarios constat, cum vno eodem tempore, vno eodemque pharmaco, vt ante narrabamus simul aurum, simul argentum, quandoque vno grano, quandoque diuersis oriri, fierique contigerit, vt nil somniare queant

Astrologi, quod huic rei patrocinentur per Solis Iouisq; coniunctionem: fit enim quotidie diuersissimis eorum planetarum schematismis. Sed quoniam astrologorum vanitas & à Ioanne Pico patruo meo semel & à me sæpe confutata est, in eam amplius inuehi nolo. Qui vero Callisthenis opinionem tueri vellet, non difficulter posset Alberto respondere, contrariam opinionem præponenti, multoque magis, cum apud Iosephum traditum sit memoriæ *Verti Vitrum in metalla*, vitreamque id genus arenam plurimam in Ptolemaide fuisse dicat. Nec Galenus abnuat in opere simplicium medicamentorum potestate vitream arenam, & auream, simul inueniri, quæ autem eodem in loco vel in proximo generantur metallica, vel eiusdem esse naturæ, vel facilime in aliam verti, plane compertum est. Verum cum isthæc quæstio tota pendeat à specie, formaque, dignoscenda, proinde de discerniculis formarum, specierumque prius disquirendum, decernendumque esset. Quod esse opus arduum, & altissimæ proprium philosophiæ, nemo plusquã mediocriter doctus ignorat. Meminique me longioris operæ subsellij, hanc ipsam pertractasse materiam, vt omnium longe difficillimam, idque cum in examine vanitatis doctrinæ gentium & veritatis Christianæ disciplinæ, tum in theorematibus quæ scripsi de humana perfectione, quæ si huc vellem congerere, prorsus egrederer semitam: & quasi labyrinthũ ingrederer naturæ; Neque enim decantatus poetis Meander tot flexus habet, quot millia litium subinde nascerentur, nunquam sub humanis iudicibus finem habituræ. Proinde seponenda hæc sunt, & ad communiorem sensum redigenda, sat sit ostendisse fierine queat aurum per artem, an minime, qui scire cupiat eum habere oportere in consilio scholas Philosophorum, ego vero tum mihi suppetierint ingenij facultates, primum ad plana reducere conabor ea, quæ multi confragosa putant & aspera: deinde experimenta quibus edoctus ad hæc scribenda me conuerti quãtum licebit sua perlineamenta, & vmbras, non per colores, & lucem subsignabo, & propositionibus quo ad potero breuissimis negotium conficiam. Hactenus enim sic narratum, quid de artis potestate, & de speciei mutatione, alijsque nonnullis, varij varia decreuerint.

CAP.

Cap. V.

Quod fieri per artem queat aurum.

NVlli hominum rerum naturam rite contemplanti dubium esse debet, cum ab homine mutentur elementa, quæ sub lunari globo in syncera coeunt: nouentur etiã stirpes & quandoq; animantia varia illorũ mixtione peracta: non posse ab eodẽ homine multo facilius metalla mutari. Videmus passim ex aere, & ignem, & aquam fieri, & ex ijs etiam terram, artis beneficio. *Videmus plantas artificio gigni non antea visas, misceriq; ipsarũ naturas, & variari.* Videmus & sola loci mutatione hoc est ambientis aquæ, & ambientis aeris *mollẽ herbam lapidem fieri, cui corallo nomen.* Viderunt multi literisq; prodiderunt ex aquæ montanæ decursu, ex aspergine lacustris aquæ pelles animantium & carnes in lapidem mutari. *Vidi ego & filices*, & vlmi frondes conuersas in rophum. Legimus apes fieri & crabrones si bouinæ & equinæ carni hominis accesserit industria. Legimus etiam in sacris literis pelles gignendarum ouium, diuersis coloribus insignes, eisdemque literis plane cognitum, post annorum multa curricula fuisse à Magis Ægyptijs *confecta animantia.*

Præterea, quæso, quid prohibet eandẽ rei formam, quam substantialẽ communi vocabulo Philosophi nuncupant, diuersis ex principijs, etiam genere differentibus, indi *posse in materiam.* Num fidem huius rei amplissimam quotidie facit ignis forma? Calorem non dico, vt improbata explosaq; Alexandri Aphrodisiensis opinio non pariat ambiguitatem, sed veram formam, quæ de substantia, deq; specie ipsa eam sortitã est: hanc certe formam ignis alius, & alius, item ignis eiusdem speciei promit in materiam. Et sol etiam nõ specie solũ, sed genere diuersas pariter promit, quandoquidem repercussu radiorum solarium, qui non elementarij sed celestes & sunt, & habentur; sublunaria, multa vero igne flammescunt, ardẽt, conuertuntur. Si hoc fit in terræ superficie, cur fieri nõ potuerit vtrobiq;? hoc est in subterraneis specubus, & in ære puriore? Dices fortassis perfectiorem esse formam auri, forma ignis, repugnabo si mihi placuerit, nec sine ratione: propterea quod simplex non est elementum ignis eiusmodi, vt ob id possis anteponere illi aurum, quod mixtum est ex elementis.

Nullum enim putum elementum potest tangi, vt in scholis Aristo-

Aristotelis receptum est: ignis autem si perseueret, ex sese autem perseuerarет, ni sibi deessent alimenta, cur non auro perfectior? Num vsui mortalium, supra quem disputare in aduersum quisq; possit, accõmodatior? Quis enim paulo peritior nesciat, omnes gentes indigere igne? qui quidem quamquam naturalis res est, & necessaria, multis tamen fit modis, puta per naturam ex fulgure in aere & radiorum quoque solarium repercussu, per artem ex attritu solidorum corporum, fomentisque varijs, cuius ignis inter omnes sublunares formas habentur & miræ & plurimæ proprietates, vti narrat in libro de igne Theophrastus; quem librum intra meæ iuuentutis metas à Græco in Latinum conuerti, sed non edidi, quoniam mancum erat exemplar, & semilacerum. Cæterum ipso igne certum est omnes nationes agere.

Multas vero & fuisse gentes vt ante diximus & esse ad præsens aperte constat, quæ non vtantur auro, sicut nec vlla moneta vel aurea vel argentea. Quemadmodum Spartani quõdam, neque enim ijs vllo id modo licebat per leges Lycurgi, qui muris etiam ciues interdixit, obijciens, vt ille cecinit nudam Lacędemona bellis, quæ tamen aliquando & fuit, & habita est Græciæ princeps. Quod si contendas præferre aurum igni, tum auro formas afferam perfectiores erutas per artem è gremio naturæ, quales sacris in literis legimus inditas in materia mysterio magorum, quibus videlicet sit famulata natura: sensilis enim anima est omni præstantior auro. Proinde recipit Augustinus formas quæ omni præstant corpori posse rerum naturalium instrumentis promi, cuius auctoritate assensus Thomas, & eadem pariter vsus ratione secũdo volumine secundæ partis Theologicæ summæ, non negauit *verum aurum fieri per artem posse*, & si verum sit, vendi licere.

Capvt. XI.

Sententia Thomæ Aquinatis de conficiendo auro declaratur.

Sed occurrit obiter vt opinionem, Sancti Thomæ, quam ipsius interpretes distraxerunt declaremus, is enim secũdo in patrum sententias commentario, visus est artem abnuere, probare vero in Theologica summa. Idcirco contrarius sibi ipsi quibus ęstimatur, cõciliare sensa diuersa quidam

dam sunt adnixi, sed plerisq; non fecerunt satis. Vtrum ipse satis fecero, lectores iudicent; Ego certe non assentior in primis Ioanni Lyguri qui auri formam excluserit ab arte nobilitatis gratia: proptereaque conficiendi auri artem eluserit. Nam perfectiorem vti diximus formam Thomas admittit, hoc est animam sensilem. Quorum sese Magi effectores rerũ naturalium suis instrumentis præstiterunt.

Nec eo itẽ moueor, quod nesciant inuenire artifices, quæ proprie agant, quæ proprie patiantur. Quoniam nec ignorant calore opus esse, & humore, multisque vaporibus, quibus ad metalla transmutanda vti soleat natura; Adde quod *quæ iuuenis negare visus est, Thomas constanter affirmauit lõgo post tempore, hoc est dum summam conficeret theologicã, tanquam vltimum suarum opinionum testamentum.* Nec illo etiam mouebor, quo motus est Lygur Siluester opinatus cum Petro Gomate, S. Thomã in cõmentario secundo de imperfectis artificibus, in summa theologica de perfectis loquutũ, ijs cõcessisse, illis abnuisse potestatẽ. Nam de arte conficiendi, non de artificibus erat mentio, quæ quidem ars quoniam naturæ ministerio & instrumentis vtitur, ab omnibus potest ad perfectionem duci, à quibus potest exerceri, siue incorporei spiritus, siue homines illi fuerint, aut naturaliter, aut supra naturam edocti.

Varietas .n. ministrorũ, artẽ non tollit, aut minuit per sese naturæ viribus nitentẽ quidẽ, sed quandoq; & iuuantẽ illam & superantẽ: nam etsi naturæ peccatũ accusarunt sæpe philosophi ob materię fluxilis contumaciam, quã tamen naturã regi ab intelligẽte, separataq; mente voluerint, multo tñ crebrius artis errata cõfessi fuere, cũ nõ modo materiæ repugnantis occasio sese ingesserit, sed posthabitæ fuerint regulæ rerũ efficiendarũ à recta ratione præscriptæ, qua ratione si vsus homo fuerit, non abusus, tantũ abest vt erret, vt ipsius etiã naturę, si quę interciderint errata, corrigat. Ergo cum & arti res ipsas natura subministret, ipsaq; ars incũbat naturæ, seseq; illę iuuẽt, sibiq; quodã modo subseruiãt inuicẽ, potest aliquãdo per artis peritiam adiuuãte natura fieri, ꝙ fit per ipsammet naturã, & etiã aliquando constantius in vertenda sublunari materia, exẽplo vtamur eiusmet auri, de quo disputamus. Quid prohibet homines illius formã alijs in metallis indere, & solis, & ignis beneficio? quam formã sole tã-

tum-

tummodo vſa natura latebroſis in terræ ſedibus, commolita eſt: nã ſiue ex ſulphure & viuo argẽto fiat aurũ, vt placuit & Democrito & plurimis, vt etiam mihi oſtẽſum eſt, experientia multiplici, ſiue id alijs etiam ex vaporibus effici queat, qui puriores & ſint, & habeantur, ſublatis nihilominus eis ex rebus, & in vnã conflatis naturã, ſiue ex quadã aqua non cognita, quam Theophraſtus citauit, ſed nõ expreſſit, ſiue mauis ex aqua illa, quæ fertur accepta Democrito, lixiuia nũcupata, cui ſit mixta calx, non eam dico calcẽ, quam impugnauit Albertus: diuerſa eſt enim quæ citata eſt a Democrito, ſiquidẽ & Lixa ſolebat antiquitus pro aqua deſumi, vnde lixa apud exercitũ & elixa caro etiam apud vulgus. Aut enim ea voce viuum argentum per ænigma ſignificauit Democritus: aut metallũ in aquã reſolutum quę prima materia metallorũ dici poteſt, aſſentientib⁹ etiam Peripateticis, quorum princeps illa etiam prodidit ὕδατος γάρ ἐστι: ſiue inquam eiſdem ex rebus ſiue alijs ex rerum generibus: quę penitiſſimis in receſſibus terræ occuluerit natura, fiat aurũ, non eiſdem rebus vſi homines, idem efficient? an imitari calorem ſolis poterunt quoad natura permiſerit? quanquam hoc minime neceſſarium exiſtimauerim.

Neque enim audiendi tanquam philoſophi, qui rẽtur qui dictitant aurũ à ſolis calore tantũmndo gigni, quaſi non ſit calor ſolis vniuerſalis cauſa rerũ quæ in ſublunari machina generantur, & corrũpuntur, qui quidẽ calor tam in ſpeluncis, ſubterraneiſque ſpecubus, quam in terræ planitie dotes ſuas effundit, quaſi latebroſis in terræ meatibus nõ ſit ignis, quo ſulphuris vapor excitetur, habitus parẽs & alumnus auri, quem ignem non ſolũ Silicis Æthna, vicinæq; inſulæ patefaciunt, ſed pleriſque in montibus Europæ atq; in Appenino eſt ipſe conſpicuus. Cæterum qui artẽ ingenue tenent in communi materia, metallorũ proprias indũt formas, exploſis prioribus formis, idque conficiunt non vi tantummodo conſumptricium aquarum, vel poteſtate diuerſorũ ſalis generum, vel olei diuerſarum conditionum facultate, ſed auro ipſo quandoque ad propagationem ſui generis per ſubtilitatem artis inſtituto, cui mixta etiam ſint interdum ipſius auri nota primordia, atq; in hunc modum mutare ſatagunt metalla, & lapides, pulueresque conflare conantur, quibus multum conficiant auri, parua ex re, cui nomen Elixir, à philoſo-

losophis Arabum factum est, latini vocauerunt medicinam, Græcos sequuti, quibus .... dici constat quo nomine sæpe vtitur Psellus.

Cap. VII.

Quod aurum factum arte natiuo auro possit esse perfectius.

IIs itaque modis experiuntur formam eruere de sinu ipsius naturæ, quam certe formam perquirere sciscitarique potuerunt ex asturibus Callaicis, cęterisq; fossoribus auri, & argenti, quoad illis obiter, & aliud agentibus, quasiq; de longinquo facere coniecturam licuit de metallorum generatione, dum illa colligerent, vt præteream eos, qui dicti sunt Hermi, Tagi, Pactoli, aliorumque alueos fluuiorum scrutari, & metiri maris Athlantici littora, vt inter lapillos versicolores auri grana colligerent, non solum vero data opera, sed aliud etiam agentes, atque insperato ac vt plerique dicerent casu.

Vti vero sapientiores assererent diuina prouidentia sæpe quidem occulta, sed semper iusta facere ***metallorum transmutatione*** plurimos mortalium. Accepi enim factum argẽtum dum equi medicina quæreretur, in qua viuum argẽtum rebus alijs plerisque miscebatur. *Vidi ego & argentum fieri & aurum, dum neutrum speraretur.* Legi etiam spiritum supernorum reuelatione traditam antiquitus artem auri faciundi, & mea ætate idem vsu euenisse non legi, sed audiui, quod cum agetur de experimentis apertius indicabo: malorum item dęmonũ comercijs quãdoq; fieri potuisse, vt suspicer, moueor quod literis proditum est, olim remedia medica per somnum reuelasse dęmones diuersis in templis, quemadmodum latiꝰ me disseruisse memini, dum superstitiosas pręsensiones confutarem, præcipueq; in libris quos inscripsi de rerum prænotione, & in meis quoq; meorum Hymnorum commentarijs, sed & multa quibus nunc vtuntur medici ꝑcepta simili superstitione suscepit antiquitas, dummodo vera literarum monumentis ea mandauerit posteritati.

Siquidẽ Cremato Æsculapij templo retulisse chartis Hippocratem præceptiones medicinæ per quietem haustas memoriæ traditum est: possunt enim & vera dęmones prodere, quanquã enim vt fiat minime licet curare: effectu vero, post

quam

quam eum veritate niti compertũ, possunt homines vti, non eatenus vt sit reuelatio dęmonica suscipienda, sed quatenus effectus ipse sit vtilis res, & vera ex sese suapte natura, atq; in Deum vt in primarium omnis veri, omnisq; boni auctorem plane referenda, siquidem ex malignis hominũ, dęmonũque facinoribus elicere nouit Deus bona, tãta ipse est tamque ineffabili benignitate, cui tandem, quod sumus, quod mouemur, quod viuimus acceptum ferri debere, & Pauli Apostoli auctoritate & ratione didicisse operæ præcium est.

Verum enimuero vt parte alia non putem reuelatã quandoq; per malignos dęmones auri faciendi potestatem, ea mihi satis ratio persuadet, quod non nisi malignis eam reuelaret hominibus, aut ijs quos imbui malignitate persuasum haberet: eos autem homines diuina iustitia non permittit vt animi virus cũ potestate coniunctum effundãt in pernitiem generis humani. Quæ quidem ratio videtur verisimilibus experimentis communiri, quando nec paucos etiam aureos suis sectatoribus impertit in obscænis ludis, de quibus egimus in dialogo triplici, cui nomen strix. Bonis itaque spiritibus feramus acceptum, si quid est reuelatum de artis veritate singulari, aliquo priuilegio, sed doctrinæ & experientię id facilius tribuendum.

Diuersa enim cum diuersis varijs colligerent experimentis, potuerunt artis periti multa cognoscere: neque enim aut vno in loco, aut vno modo tantum promit aurum natura. Vidit Albertus de se scribens purum inter arenas fluuiatiles aurum, impurum audiuit cõmixtis lapidibus ortum, instar venarum, subditq; nõ multo post aurum natũ inter arenas melius esse, cuius rei duas affert causas. Alterã sulphuris puritatem maiorem inter calidas & siccas arenas versati, frequentiusq; loti & eius quoq; terrei, q̃ inest viuo argento, quod quidem & lauit & subtilius reddidit ac purius fluminis lotura frequens. Alteram causam voluit esse meatuum obturationem, cum occlusus calor in fundo ripisq; conuoluitur in semet, & cõcoquitur ad auri substantiam nobiliorem depromendam, atque isthæc ille, dum haberet mentionem locorum in quibus metalla generentur.

Ego vero ex fluminis decursu collectum aurum dici apud me seruari nitidissimum quidem & modicis admodũ ramẽ-

tis diſſeparatum. Quod cum propterea puriſſimum aurum putauiſſem facto periculo multũ habere admixtum argenti compertũ eſt. Albertus idem mox cũ de auri natura diſſerit, & granum ait inuentum, quod multarũ librarum põdus excederet. Centum marcharum vocabulo vſus eſt ille, id autem Barbarum nomen octo deſignat vncias, vt octies centũ vncijs fuiſſe granum, qui perpenderunt, deprehenderint. In Germania quoq; montanũ aurum ſua tempeſtate narrat inuentum, quod dum excoquebatur minus cæteris conſumebatur, vilioris tamen fuiſſe pretij propter nouitatem prodit: quam certe cauſam, vtpote ſubtiliorẽ Plinius omiſerat, qui plures nihilominus auri collectiones plane citauerat ex fluminũ ramẽtis, vt in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ, nec vllum eſſe abſolutius aurum prodiderat, vt curſu ipſo tritum atque politum.

Non tacuit etiam, puteorum ſcrobes, montiumq; ruinas: Nec omiſit Canalitium, Canalienſeve, & ꝙ glareæ marmoris inhęret aurum, & tanquã per venas diuagaretur. Itaq; & ab his qui montium in cauernis, fluuiorum in ripis, & in pelagi littoribus quæritant aurum ab ijs: item quibus ſeſe illud obtulit aliud agentibus, erudiri potuerunt artifices, ipſiusq; indagare naturam, mox genitalem calorẽ imitari, nunc igne ſomitopitio, nunc lento, nunc acri, atq; eo modo vires experiri artis cũ natura coniunctæ, & multis tandem experimentis veluti ex genitali inuolucro, veri auri fœtum educere, & tanquã obſtetricari, idq; ſæpe factitando artem nanciſci, q̃ non ſolũ naturã dicitur imitari, ſed plane perficere, vt non abſonũ hinc videri queat ꝙ multis aſſeritur iã factum, & me vidiſſe non abnuo, id eſt fieri per artẽ poſſe naturæ adiumento aurũ, auro natiuo perfectius, certe coloratius, & Alberti perſuaſit auctoritas, & oſtẽdit experientia apud multos etiã a philoſopho Pſello prodita literis, qui docuit arte fieri perfectius aurũ micis, ramẽtis, fruſtulisve Pactoli, atq;, vt eius verbis vtar χρυσοειδέστερον ἰῶντι τοῦ πακτώλου ψηγμάτων: ceterum ſi inter id aurum quod ab imis terræ latebris eruitur diſctimẽ inuenitur, vt aliud alio precioſius exiſtimetur, quod niſi & Plinius narrauiſſet, & Albertus & Diodorus etiam vt inter initia dicebamus: ſacræ tamen literæ prius aſſeruerunt, quarum teſtimonio nouimus Indicum aurum præſtabilius cæteris haberi, ſi diſcrimen inquam inuenitur in ope-

opere naturæ, cur id erit abnuendum in operibus artis? quæ non solum superat imperfectiorem artem, verum etiam & ope ministerioque naturæ, naturã quandoque ipsam æmulando superat, vt ante diximus, & habemus compertum in coloribus, saporibus, alijsq; permultis. Sane scriptum est in sacra Genesi in terra Chauilah; sed apud LXX. & vulgatã editionem iacet Euilat, quam esse in India veteres produnt, nasci aurum & terræ illius aurũ esse optimum, si latinæ stamus translationi καλὸν LXX. interpretes verterũt ex Hebræo contextu, ꝙ & si bonum mauis interpretari vel pulchrũ, certe cõparationem non effugies, nisi malueris confiteri non esse bonũ pulchrumue aurũ, quod alijs in prouincijs gigneretur. Quid .n. est causę vt aurũ per excellentiã ibi esse diceretur, & bonũ aurũ? nisi alicubi nõ esset bonũ aurũ, aut ea nõ esset ꝑditũ bonitate, qua polleret aurũ Euilat? cõparatione vero dici optimum dubitari nequit, & bonũ pariter cõparatione dici non abnues, dum in sui generis substãtia referatur ad id, ꝙ eadem non sit præditum bonitatę; ergo *discrimen auri colligere nos in natura opus est*, discrimen inquam vel specie, vel gradu, quod sane discrimen nec in arte ipsa, si ars arti conferatur, nec in arte, quæ cum natura contendit, est abnegandum. Adest & Plinij testimonium vocantis aurum excellens, id quod ex auripigmento Caius Cæsar confecisset, de qua re suo loco, latius eodem auctore mandatum est memoriæ, omni auro inesse argentum vario põdere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte, alibi quinta, quæ portio constituit electrum repugnans veneno: Quibus ex rebus multa produntur auri discrimina.

Adde ꝙ alijs metallis aurum inest alibi purius, impurius alibi. Quid? quod & rebus non metallicis inest aurũ sic, vt magni Alberti testimonio *in suturis humani Cranei. capillisq; circũiacentibus sit inuentũ. Inuentũ quoq; aurũ est in perdicũ vẽtriculis* tẽpestate mea, siue id illę dũ in terræ superficie cõspiceretur instar granorũ deglutierunt, siue generatũ sit ex eduliorũ occulta potestate, quibus è terra sint auri exordia cõmunicata, ꝓcipue in Masorũ montibus herbarũ potestate nobilitatis, quandoquidẽ non lõge à Fucino lacu parte quadam Albani campi perdices illas diuersari, dum eis in locis adhuc pene puer militarem non sine demiratione percepi: causam tunc ignorabam; nec satis perquirebam ad hanc

Auri dif.

diem, fortaſſis indeprehenſam, quamquam eam de principijs auri pendere cõijcio, tum quod nihil prohibet id, quod in terræ cauernis occulitur, etiam in ſuperficie reperiri quãdoque poſſe, tum quod herbis ipſis atque radicibus vim ineſſe poſſe, vt ſic loquar, aurificam negari, niſi proterue non poteſt, tum quod ſimilia ſunt viſa etiam in quadrupedibus animantibus: referunt enim digni fide viri ſe Cretæis in montibus ibices vidiſſe, quorum dentes aurigineo colore ſuffuſi eſſent, præcipue qua parte prodeunt è gingiuis, atque herbas tangunt, quarum eſt in Ida Cretæ decantata celebritas.

Mitto eius naturam auri, quod obrizon vocauit Græcia, tametſi placuit Iſidoro & ſectatoribus Latinum eſſe vocabulum, quod obradiet ſplendore. Nec abeſt à veri ſimilitudine de Plinio tractum id eſſe, qui ſcripſit aurum, quod ignis ſimili colore rubet, atque ipſum obrizum vocant, ſed qui Græcas percalluere literas, inter quos Hermolaus vir noſtræ ætatis, malunt Græce vocabulum effictũ quaſi ἁβρόν, hoc eſt, tenerum, molle, delicatumue, ſiue vt mihi venit in mentem fortaſſis εὔριζον quod ex optimo prodeat germine, quaſique legitima radice ſuboleſcat, ſiue id malueris eſſe natura comparatum, ſiue arte ſuperante naturam.

Hæbrei habent pro obrizo, quod ſeptuaginta repoſuerunt interpretes, aliquando loci nomen, aliquando verbũ, quod puriſſimum queas in Latinum cõuertere, & quandoque etiam ab eo nomine quod proprie puriſſimo reſpõdeat non abhorruerunt, atque fortaſſis id ipſum eſt, quod apyron appellauit antiquitas, auctore Diodoro. effoſſum è cuniculis Arabiæ, nullo igne liquefactum, colore ita lucido, vt ipſi incluſos auro precioſos lapides reddat ſplendidiores, vt obiter inde ſubnotem monſtratum antea locum Pſalmi, & dabitur ei de auro Arabię.

Nam præter alias ſignificationes ad metalli eius præcellentiam pertinere poteſt vt ex ea conſcenditur animo ad ſupremum apicẽ ſapientiæ, quam ſub auri vocabulo myſtico nomine conſtat indicatam. Itaque promit natura varijs modis aurum, ars item interdum naturæ miniſtra, interdum æmula, eiusque ipſius auxilio victrix, varie quoque promere ſolet, falluntur enim plurimi æſtimantes artis poteſtatem non ſicuti par eſt, quippe qui rentur ita ſubeſſe illam naturali

rali

rali facultati, vt non censeant naturæ dignam nomine, quo tamen in primis pollet, est enim natura quadam cognitione prædita, cum sit habitus animi ratione vigentis, & intelligentis, quo munere naturam mutam & ratione intranea destitutam regit, atque disponit, & inter regendum & moderandum, cum imitatur eam, tum æmulatur, tum superat.

Adde quod inter naturæ laudes illa etiam quandoque numerata sit, quod artem simulet: sic in figuris suapte natura delineatis in marmore: sic in gemma Polycratis, alijsque permultis plane compertum est, sic etiam ingeniosus Poeta retulit, naturam duxisse natiuum arcum artis imitatione, per illa carmina, cuius in extremo est, Antrumne morale recessu arte laboratum, nulla simulauerat artem ingenio natura suo. Nam pumice viuo, & leuibus tophis natiuum duxerat arcum. Sed de artis potestate paulo post: tantum id hoc loco deductum sit, vt compescantur tanto magis qui pergunt inficiari artem, ad faciendum aurum aspirare, nisi frustra, quanto magis nulla id ratione contendunt, & contra fiat, tantumque absit vt id nequeat, quod etiam valeat naturæ adiumento & accessione diligentię mutam superare naturam.

CAP. VIII.

Quinque modis generatim aurum posse fieri per artem, quæ hac etiam in re vt in alijs plurimis naturam artis industria destitutam superet.

SVperat ars in Chrysopœia paranda, superat adiumento naturæ naturam ipsam, artis beneficio destitutam. Non in splendore solum vti diximus, sed & in celeritate conficiendi, quod fiet inter narrandum experimenta manifestū. Superat etiam sic vt methodis pluribus id consequatur: nam quinque modis generatim aurum per artem fieri potest.

Primum dum metallum extrahitur à metallo, vt cum ex ære argentum excernitur, quod me vidisse memini. Delitescunt enim in alterutris metalla sæpe numero, pręcipueque argentum in auro. Contraque fit, vt & aurum in argento reperiatur occultū, obnubitur etiam plumbo & æri nōnihil metalli perfectioris.

Deinde compositione rerum metallicarum paratur au-

rum, quibus rebus mineralia nomẽ factum est à vulgo, Barbaram appellationem secuto: sunt enim eis in rebus metallicis auri principia, præcipueque viuo in argento & in sulphure, quod non sensit ignem, quod etiam me vidisse non abnuo.

Tertio fit aurum ex auri semine, semen appello vim prolificam: est enim indita cuicunque rei naturali virtus quædam, vt se propaget,

Quarto ex re, quæ perfectior auro sit, aurum paratur, non tamen sine auri semine conflatur ea res, nec sine principijs alijs, quæ sint apta generationi. Summum fuit hac in re philosophorum ingenium, præcellens industria, demirandum artificium, quandoquidem partes rei quas deligunt ad conficiendum aurum, argentumve, disseparant multas in naturas, q̃ proportione quadã respondent & elementis, & cælo, siue illud velut quintam essentiam constituant more Peripatetico, siue tanquam plurimum ignem ritu Platonicorum: iunguntque & auri & hydragyrij semina, vt quẽadmodum sublunaria iuncta cælo, & elementis tanquam vniuersalibus causis, & particularibus etiam rerum seminibus propagantur, sic ipsi vtuntur suis illis naturis, metallorumque & rerum metallicarum seminibus, ad auri atque argenti numerosissimam fœcunditatem. *Hic autem modus & generalis est, & magnarum rerum effector, tres, quos ante narrauimus particulares appellantur.*

Quintus vocatur is, qui priore ignobilioreque metalli forma disiecta, posteriorem & potiorem formam in materiam metallicã inducit; *Primus mod⁹ lucri est, minimi secũdus, mediocris tertius & quintus magni, & quartus maximi.*

Nec admirandum quod ante diximus, artem naturæ beneficio superare naturam, cũ in alijs etiam reb⁹ quæ auro faciendo conducunt, præstare naturæ artem vsam naturæ beneficio videamus: siquidem in aqua, in oleo, in sale confectis per artem ipsam mirabiles inesse à Deo potestates, notum est, vt eis ipsis, & aquæ, & salis, & olei quæ peperit natura vires æquare non detur: proinde *longissime falluntur, qui putant eo non posse aspirare artem quo pergit natura*, vt propterea quod natiuum est, & suapte ingenio fretum, semper sublimius, habendum sit, atque perfectius, si conferatur ei quod ars molitur.

Neque

Neque enim collatas volumus per ſeſe atque ſeorſum vires naturæ viribus artis, ſed artem naturæ fretam muneribus componi poſſe dicimus naturæ (vt ita dixerim) nudæ & inerti, atque ita componi, vt ars interdum præſtantior eſſe, & videatur & ſit.

Quid autem mirum; cum etiam naturæ priuilegio non fraudetur ars, quæ quidem vti diximus, & ipſa naturæ eſt appellatione cenſenda: naturæ inquam non ſurdæ, ſed intelligentis, digerentis, atque proficientis. Hoc in domibus, in veſtimentis, in omni vitæ munere perſpicimus, quod rude prorſus & impolitũ eſſet, ni ars humanæ mentis, hoc eſt naturæ melioris, tanquam nobiliſſimum animatumque inſtrumentum acceſſiſſet, cuius induſtria factum, vt qui in cauernis cryptiſque montium delituiſſent homines exeſis, videlicet excauatisq; in fornices domunculis multorum decurſu ſeculorum paucis hebdomadibus, non in caſis modo ſed in palatijs degãt, qui frõdibus arborum, qui pellibus animãtium inconditis operirẽtur laneis, laneisq; pãnis nõ niſi arte cõfectis veſtiantur, qui crudis oleribus, ferino lacte, ſanguinolenta carne veſcerentur, paratis ad ſalubritatẽ & nõ indecoram voluptatem cibis eius artis beneficio nutriantur.

Denique ſi percenſeas vniuerſa, reperies, artẽ perfectã hoc eſt ſapientẽ naturam hominis, mutę naturæ quæ illi ſubſternitur antecellere: Quibus rebus colligitur nõ eſſe dignũ ſtupore, vt quod hæc centũ molitur annis, illa paucis diebus & paucis etiã horis eius ipſius miniſterio cõpleat: ſic medicina, pictura, militaris aucta atq; firmata eſt: ſic philoſophia vires adepta eſt, & theologiæ plurimũ famulata, cum naturę contemplatio hominis ingenio freta & experimẽto firmata vires poteſtatesque ſublunarium rerum, herbarum, fruticum, lapidum, animalium indagauerit, quarum notitia in admirationem exciuerit genus humanum, & perduxerit ad prouidentiæ diuinæ conſideranda ſecreta: multa quoq; procedentibus ſeculis experiuntur arte, quæ quoniam antiquitus non viſebantur ab his, qui rem oculis nõ percepere, vix credi queant. Mirabatur olim vetuſtas ineſſe fontibus nonnullis vim ſaxificam, cum ſpectarenr decurrentes riuulos aquarum longo poſt tempore herbis & ceſpitibus, lapideam continua irrigatione communicaſſe naturam. Mirabar & ego dum id non ſolum ſæpe legiſſem, ſed etiam ſemel vidiſſem in

Ita-

Italiæ finibus, cum per Telinam vallem à ripa Lary lacus ad Alpes Rhetias iter facerem: sed desijt admiratio postquam spectaui non iam maniplos filicum, aut vlmi frondes annua madefactione versas in tophum, sed ictu pene oculi ferrum, argentum, aurum versos in humorem. Adde miras ipsarum, quæ paucis ante seculis compositæ sunt, peculiaresque dotes aquarum, cum alia ferrum; æs alia voret, aurum alia, argentum alia: Mittam vulgarem illam & notissimam, qua secernitur argentum ab auro, vti de eis quas natura profudit, quasque & in quinto decimo libro Poeta, & in XXI. volumine naturalis historiæ collector ducit in medium, nulla iam subire mentem possit demiratio proderem, nisi non paradoxon id modo, sed adynaton lector existimaret; me *vidisse aquam*, *quæ bibi sine vllo*, vt arbitror, *nocumento posset*, cui super hydrargyro solo, quod in sublime sit elatum, vis insit, quæ non inest acerrimis, & consumptricibus aquis: super sale vero quem fluuiatilis & putealis aqua dissoluit, nulla omnino potestas sit, & hęc quidem artis munera Chemistarum ingenio vestigata, cuius etiam artis ad insigne quod & inspexit, & tetigit theologicum illud, quod muta natura, vel de longinquo, cum & per transennam allucinata dicitur, id est admirabilem palingenesiam paruo tempore posse fieri naturalium rerum sine miraculo nouo supremæ potestatis, quæ cum accesserit, dubium esse non queat, etiam peruicacibus ingenijs efficiendam, quam inde tenemus æternam, in ictu oculi palingenesiam vidit, & aliud id est, corpora crassiora per subtiliora, atque hæc per spiritus regi subtiliores, sic vt maior omnino vis subtilissimo insit tenuissimoque spiritui quam vastæ molis corpori, exemploque potest hoc omnibus in promptu esse. Ponat quis si adsit cōmoditas & aluminis & eius salis, quod è laterculis exsudat coctilibus decem millia pondo super vna argenti lamina parui ponderis, vt soluatur in aquam, nunquam soluetur etiam si decem annis pressa tantis ponderibus fuerit. Ponat vnciolam vaporum subtiliorū, *qui de illis eisdem rebus effluxerint ac tantum argentum*, quod erat forma solida fluidi naturam humoris induet, hoc non naturæ sed artis opus naturam pertractantis, nec id quidem vario desultorioque ingenio, sed stato, firmoque tenore sic, vt nequeat, & ab imperitis varietas effectus in medium duci, quēadmodum peri-

petitis olim doctisque ſcriptoribus, Plinio, Senecæ, Vitruuio contigit, cum de Styge aqua differerent, opere ſi non artis, ſed naturæ, quam aquam alius perrodere dixit, alius congelaſcere, alius diſſilire: contraria plane ſunt hæc, nec cohærentia munia, ſubde *oleum*, quo intime penetrantur ipſa metalla, quo fatiſcunt, quo tabefiunt, quo liquãtur, quo & intus & in cute colorantur.

Nec ſileam multiplicem ſalis confectionẽ, quo ſuperatur ita marinus, montanus, arenarius ſal apud vetuſtatem cogniti, vt ipſo ſale per artem confecto ſaliri eorum (vt ſic dixerim) quodcumq; poſſet: id autem fit ex rebus, quę nullo modo vidẽtur ardere, ex rebus etiam tã calidis & obnoxijs igni, quam quod maxime, vt me de ſulphure vidiſſe nõ abnuo tractum ſalem contemptorem flammæ, & eximio ſplendore ſic fulgidum, & cãdidum, vt ei conferri nequeat ille, quem produnt Græci ſcriptores rerum geſtarum Alexandri Macedonis in Ægyptum, dono mittere ſolitos antiſtites Hammonis oraculi: fuit & ante paucos dies (vt noſti) iuſſu meo confectus ſal tam viſu pulcher, quam ſuauis guſtu ex herba, cuius mea paſcua Ditionis Ferrariæ, & Mantuanæ ditioni contermina, præcipue referta ſunt.

Nam cum penderent mihi paſtores externi vectigal ex ea, vtpote cuius eſu pecudibus ægris afferretur auxilium, cogitaui ſalem, quem guſtatu referebat herba in cauſa eſſe ſanitati, atque ita dum Padus conſuetis ripis coercetur, ne vicinos campos inundet, non ſpernenda copia ſeſe nobis exhibet, montano & maritimo ſale vt pulchrior, ſuauiorque, ita rebus quoque metallicis, ni coniectura me fallit, accommodatior, omiſſum faciam penetrantem, exiccantem, & adurentem poteſtatem, paruo temporis momẽto arte compertam, cuius impetu prioris diſijcitur metalli forma, qua diſiecta, facile poteſt immitti generarique alia eiuſdem artis miniſterio, & ope naturæ. Quam etſi regi quamquam mutam ab intelligentia non errante dixerit quiſpiam ex aduerſo tamen non poterit afferri plus adiumenti rei conſtituendæ, cum mens etiam hominis arte inſtructa, & vſu confirmata, ſuppetias tulerit, multo certe maiora viſuntur, ne dum ſcripta leguntur, quam quod metalla promiſcue fiant, humano artificio paucis diebus, quamuis ea natura non generet, niſi poſt annorum multa curricula.

Prol

Proinde Michael Psellus paucis schedulis artem scribens quam sub trutina philosophiæ prius examinandam susceperat, recipi miratur præditam à Strabone naturalē vim quandam fontis trāsmutantem, non recipi metallorum versas in alterutrum artis beneficio formas, quarum multas ille commemorat. Negotium alioqui vt idem censet----- nisi honesta quadam vi, qui præceperat coegisset.

Cap. IX.

Necessarium non esse, vt auri per artem conficiendi peritus subtilioris philosophiæ profundam & abstrusam cognitionem sit sequutus.

NEc audiendi, qui dicunt esse necessariam vti elementorum primarumque ab eis dissultantium qualitatum proportionem ad aurum faciendum pernoscamus: inuenti enim sunt, qui sic sint fabulati, nihil enim eorum quod natura ꝓmit, cognitum nobis esset, si primordia ipsorum necesse esset antea pernouisse: illuc enim nec sensus pertingit, nec ratio penetrat, nisi coniecturis quibusdam incertis, plurimum, & in vtramque partem vacillantibus.

Sed nec abstrusis etiam causis indagandis vacauisse necesse est peritum artificem auri conficiendi, satis est, si suopte ingenio naturæ ministrum se præbeat semper gignentis, & promentis quicquam pro vt ei superne mandatum est. Sic obstetrix fœtus naturam quam prorsus ignorat, non perquirit, sed egerenti fœtum mulieri dat operam: sic agricultor tritici, & hordei qualitatibus pernoscendis nuntium remittens, vbi earum segetum semina terræ commiserit, vbi occauerit & fouerit, non frustra sui laboris præmium expectat, scilicet numerosæ, & omnem fœtum exuberantis sobolis, idem cum incumbit insitioni, non qualis sit vtriusque arboris, qua ipse committit, natura, non qualis habeatur forma glutinis, non quo modo liber mollescat libro curiose sciscitatur, at cuneis adactis, at insertis oculis sobolescentem prolē inspectat, qua flores fructusq; promuntur.

Quid? quod homo, quem cum sole hominem gignere scripsit Aristoteles, prolem educit semine, nō semper tamen, nam ex centum, ex mille etiam congressibus vix vnus quandoque non irritus, sed vt sit ratus, vt etiam sit numerosus, nihilo tamen minus sui seminis ignorat ipse naturam, quæ

nec

nec plane philoſophis cognita, *nec medicis rixantibus* iam dudum inter ſeſe an ſit quod *ſuperfluit alimento.* an è cerebro, an è toto corpore, an aliunde fluat. Proijciaturne à ſolo mare: num & feminę quicquam ſeminis ꝓfundatur: Quę cum incerta, cum prorſus etiam ignorata illi ſit, nõ fruſtratur propterea ſobole, ſed ſi prolificum ſemen eius fuerit, idque proprijs locis receperit nõ ſterilis mulier, concurrantque reliqua munia, tam agentis viri, quã patientis feminæ ad eunde effectũ neceſſaria, cõcipitur infans ipſo naturę ordine, & ſuo tempore prodit in lucem.

Non ſecus *in arte conficiendi auri omnium, quæ inſtrumentis operantur longe præſtantiſſima,* conſiderandum eſt euenire: neque enim fuerit neceſſe vti pernoſcant artifices omnia genera, ſpeciesque rerum metallicarum, quibus mineralia fecit nomen vulgus: ea enim vix pernouit parens ipſa, quæ in terræ cauernis occulitur natiua rerum, tot ſcilicet ſunt tanta diuerſitate, tã amplo & penitus inſcrutabili numero: ſed ſatis eſt percalluiſſe cognatiores naturas experimento cognitas, ſat pernouiſſe mutationis inſtituta: nõ tamẽ pernegamus ſapientiores habendos artifices eos, qui naturam cauſarũ efficientium haberent exploratã, vt percallerent in cõmuni elementorũ materia propriã indere formam auri: aut etiam poſtquam ipſa materia communis occupata eſſet à forma ignobilioris metalli, fauere illi, & tanquã mederi didiciſſet, ſic vt pellere poſſent priorẽ & ab arrepta deturbare ſede, atque inter pellendũ viam percallerẽt, qua ſubinde nobiliorem ipſa in ſede quirẽt collocare, quales pauci illi priores, *qui nouerunt quædam eſſe abſtruſa in metallis ad ſe multiplicandum ſemina,* quod & ſcripſiſſe Ariſtotelem in ſecundo de animaliũ generatione libro manifeſtũ eſt, dum cauſam indicat prolifici ſeminis rerũ naturalium eamque fert acceptam, nõ igni, aut tali poteſtati, ſed ei calido qui continetur in ſemine, & re ſpumoſa, quem ſpiritus vocabulo exprimit, in quo ſit natura elementorum ſtellarum proportioni reſpondens. Placuit Ariſtotelis verba Græca ſubſcribere, quæ varie in latinum tranſlata, *πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον θερμόν. Τοῦτο δ᾽ οὐ πῦρ, οὐδὲ τοιαύτη δύναμίς ἐστι. ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ.*

Pro-

Propterea ſapientes artifices omni ſtudio diligentiaquē curarunt hanc naturam ex metallis tractam poſſidere. Cum multi ex Peripateticis etiam *quintæ fecere nomen eſſentiæ*, vt generalem cauſam tenerent. Quemadmodum cælum generalis eſt cauſa. Perducere quoq; moliti ſunt terroſam materiam in puluerem calcis inſtar excoctæ, diuerſaque ſubinde ſalis & olei, parauere genera validæ poteſtatis, & fluxiorem materiam cogere in aquam ſunt adnixi: ſubtiliorem vero tenuiſſimos in vapores, & aeris, & ignis æmulantes poteſtatem. At hoc, vt diximus, artificibus omnibus non eſſe neceſſarium, vt pernouerint, proinde carmine ſumus inter initia noſtrorum ænigmatum, quæ ſi vlli tibi certe erunt ſine ænigmate id ſic exequuti.

Principio cauſas abſtruſaque germina rerum
Qui tenet, ille quidem ſupremus & optimus eſto
Artifices inter, ſed nec nouiſſe neceſſe eſt
Tot, nec tanta tibi, vt primum per culmina cæli
Perque altos volites tractus prægrandibus alis.
Mox inde ad matris deſcendens viſcera magnæ
Reptes, ſpectatum thalamos prolem atque nepotes
Sulphuris, & viui argenti in caligine cæca.
Te mihi crede ſat eſt vires tenuiſſe propinquas,
Efficias vnum gemino, quod pendet ab ortu.

Et quę ſequũtur illic viſenda. Sed quantum ad propoſitum præſentis diſputationis pertinet, ſat ſit artificibus non ignorare quæ narrauimus, ſat probe tenere ſecreta quæpiam & vulgo ignota pondera rerum, & vaſorum varietates, quibus paratur & quorum magiſter eſt experientia ope naturæ perdocta, de quibus quandoque diſſeruit Albertus, cum verba faceret de locis vbi metalla generantur, quanquam iuniores longe plurima inuenerunt atque parauerunt vaſe eadẽ quoque natura duce, & induſtria, oppido perquam nixa experimentis, tepores etiam nouerunt & acres flammas, & idoneum tempus ignis adhibendi & remouendi: Nec non *receptacula vel vitrea vel terrea* parando operi congrua, quibus admodum ſuffragatur noua materies in terræ cauernis inuenta, quæ latuit vetuſtatem.

CAP. X.

Facilius aurum nostro seculo quam seculis prioribus posse fieri, Vbi multa & contra vituperatores artis, & contra nõnullos etiam egregios scriptores perperam de Cinnabari, hydrargyro, & plerisq; rebus alijs dissentientes.

HIs autem rebus potest nostra tempestate facilius aurum fieri quam apud antiquos: illi enim simplicius rem peragebant & quibus vtebantur rebus, ipsis nunc vtuntur pauci, sed alijs & longe quidem plurimis, tametsi erat apud eos vsus quarundam rerum metallicarum, quarum nec satis habetur apud nostros artifices nominis syncera cognitio, est enim ἀγνοίας vel ibi causa, nam quamquam nonnulli illam sese tenere putant, longe falluntur.

Ego vero tres ni fallor ad minus res inueniri non dubito, quibus id nomen competere possit. Pyritem quis nouit, nisi ea sit (vt quidam existimant) quæ vulgo dicitur Marcasita: sandaracam puto non cognosci, nisi eam quæ mihi Venetijs allata rubri sulphuris nomine vocabatur. Cinnabarim, cum dicis, quis non retur te Bucasis Arabis compositionem dicere ex viuo argento sulphureque coagmentatam, à vera Cinnabari tam distantem quod à Leone simia: est in colore aliqua, nulla in re similitudo, vt suo loco manifestum fiet. Quis monstrabit Chrysocollam veteribus artificibus & auri faciendi magistris decãtatam: eam, inquam, natiuam Chrysocollam, non illam quam Plinius docuit, ne dixerim an subinnuit, nec eam quam Galenus indicauit.

Nam cuius vis est ipsam conficere: sed nihilominus plura nos habemus non solum aduecta regionibus longinquis, sed in ipsa Italia comperta. Nam multa de terræ cauernis eruuntur metallica, quibus veteres cõpotes non fuerunt: existimo fieri singulis pene diebus, idq; testimonijs non abijciendis assertum est, diuersis rerum metallicarum mixtiones, quarum vt varij colores habentur & sapores, ita promuntur ab eis effectus varij, indicantibus probe substantiam accidentibus: ea vero cum maiori copia nunc patent, minoriq; pretio veneũt, neq; hoc solum asseruerim, propterea quod antiquitus fodinis Italicis Romanorum decreto parceretur.

Nam quanquam aliunde multa importantur, passimque suppeditantur, quæ ad rem maximo opere faciant: plerique

sandarac. Cinnab.

tamen nascuntur, & componuntur etiam vt dixi plurima, quę non nouit antiquitas, Chalcanthũ verbi gratia, cum dicebant illi paucis conficiebant negotiũ: neq; enim albi nulla mentio cuius attritu Cyaneus apparet color, est & videre cinereo pallore Chalcanthũ: est & viridi facie, & saphirina, & varia, quibus vt color, ita potestas longe diuersa, sulphur, cũ dicebat ἄπυρον hoc est non expertum ignem, num vltra fortassis antiqui progrediebantur.

Videas nunc Apyron ipsum *colore subfulgido, velut electrum*, videas & album, *& cinereum, & viride*, & flauum, & nigrum, & ruffum, sic vt flammeo colore videatur cum rubrica contendere. Alia prætereo, quæ quoniam nec Græca tenent, nec Latina vocabula, minime hoc loco percẽsuerim. Apud Aristotelem non temere neque serio inuenies, nominatim citari aliud, quam σανδαράκην, καὶ ὤχραν, καὶ μίλτον, καὶ θεῖον: & paulo post κιννάβαρις ducitur in medium veluti lapis, non illa cinnabaris cuius componendæ ex viuo argẽto, & sulphure Bucasis Arabs inuentor est habitus, nec illa quidem quam perhibent ex pugna draconum & elephantum in India gigni, sed quæ de terræ cauernis eruebatur, & importabatur ex Africa, mea ætate bis quod sciam in Italia visa est, raram etiam eam tempore Augusti fuisse scriptum reliquerunt, & Dioscorides & Vitruuius, quorum alter pro medica facultate, alter pro ædium pictura de rebus metallicis disseruit. Sunt autẽ & dicuntur ea metallica quæ in fodinis metallorum inueniuntur, ex illis enim eruuntur auctore Theophrasto, & Chrysocolla, & Cyanus, & Ochra, & minium, & sandaraca, tametsi Chrysocolla, & Cyanus arenosa sint, Ochra & minium terrea, sandaraca vero & arrenicon (ille hoc nomine citat, quod alij dicunt arsenicum) puluerea, nihilque distare illa inter se, memorię prodidit. Hoc ex loco non est prætereundum colligi posse, fidem abrogandã esse scriptoribus quibusdam, nominis alioqui satis celebris, & in Ochra describenda & in alijs plerisque.

Primum docet Theophrastus, Ochram nil ab arsenico differre: Plinio vero longe aliter, qui & in alijs etiam apertissime labitur, nam cum Chrysocollam, sulphur, Cinnabarim citasset Plinius, minium quoque voluit ipsum esse, Græcis Milton, & Cinnabarim nuncupari: alibi vero hoc ipsum detestatur, certe aliud Milton, aliud Cinnabarim esse inueñies, & apud Aristotelem, & apud Theophrastum, etiam apud Galenum, qui

qui aliam citat etiam Milton Lemniam, hoc est terram illam repugnantẽ venenis, cuius viginti millia glebulas dicit accepisse signatas à sacerdote, dum insulæ appulisset Lemno, sed præter hæc, certe diuersam à Cinnabari Milton, inuenies apud alios egregios rerum naturæ scriptores, quorum aliqui non κιννάβαρι sed κιννάβαρ nuncupant: eius duas species indicat Theophrastus.

Alteram suapte natura in Hiberia, & Colchis natam, alteram arte confectam, non iam ex viuo argento & sulphure, sed ex arena coccinea, quam Atheniensis Callias ante annos nonaginta primus excogitasset, dum ex ea sperasset aurum elicere. Qua in re, non simplicem modo, sed multiplicem Plinij deprehendas errorem. Nam & minium pro Cinnabari docet à Callia confectum auctoritate Theophrasti, qui tamen apertissime secernit alterum ab altero, seorsúmq; de minio, seorsum de Cinnabari verba facit.

Præterea scribit ipse arenosam esse Cinnabarim, Theophrastus vero lapideam, atque vt sua loquitur lingua λιθῶδες quod Aristoteles ante prodiderat per hæc verba τὸ δὲ λίθος ἐκ τοιαύτης γεγαὼς συστάσεως οἷον κιννάβαρι.

Præterea minium, quod ἀμμήνιον vocauit Dioscorides, nasci docet in Epheso Plinius, cuius rei nullum verbum in Theophrasti monimentis: scribit enim Theophrastus, in Epheso fieri Cinnabarim arte, atque vt ipse loquitur κατ' ἐργασίαν. Quemadmodum in Colchis & Hyberia nasci Cinnabarim sponte naturæ, eiusdem repono verbum αὐτοφυές. Cinnabaris igitur factitiæ locũ designauit in Epheso, naturalis apud Hyberos, & Colchos: Minio vero nõ ei quod nunc fit ex plumbo & minij naturalis colorem ęmulatur, sed cuius est è terræ profundissimæ latebris conquisitio, loca diuersa tribuit: tametsi duo minij fecit genera, vt alterũ ꝑ se nasceretur, alterũ conficeretur arte. Vnde illa eius verba, ἔστι δὲ ὅπερ ϗ μίλτος μὲν αὐτόματος, ἡ δὲ τεχνική. Ad hæc Theophrastus Ciñabarim memoriæ prodidit duram esse valde atq; lapideã, ꝙ ipse quoq; testari possum, & oculis aduersantium plane subijcere.

Milton vero hoc est minium & Ochram terræ naturæ speciem præferre docet, quo loco etiam miraremur Hermolaũ si Dioscoridis Corollarium edidisset, non emendantem errores Plin. quos voluit in sua quam ediderat Pliniana castigatione defendere. Cæterum duos Cinnabaris modos tan-

tummodo citat ipse Theophrastus, nullam habens mentionem draconum,& elephantum sanguinis, quem Cinnabaris nomine citat Plinius, & quem ante Dioscorides exploserat à vera Cinnabari differentem,quam (vt opinor)voluit Bucasis vel quivis alius antiquior imitari, & minime potuit; colorem quadam ex parte non ex integro cõsecutus:nam factitia Cinnabaris in fronte suum ruborem naturalis in recessu gestat splendidiorem multo,& quod sanguinem repræsentet magis, vnde ortum habuerit opinio elisi sanguinis ex pugna draconũ & elephantũ, siue Historia fuerit eius rei origo, siue fabula.

Adde quod Cinnabaris naturalis cum aduritur flam̃a eius illustrior est atq; sincerior,nebulosior factitiæ, ex cuius rogo nihil restat.Restat ex ea, quam natura peperit, in qua videas viui argenti scintillare micas, in factitia quasdam quasi lineas crebriores hydrargyri:neq; enim separauerim viuũ argentum ab hydrargyro Plinij more, factitium hunc, illud natiuum arbitrantis contra Dioscoridem eodem citat nomine, tam ꝙ factitium est ex minio, quam quod natura bifariam parit, dum ex argentarijs pendet speluncarum fornicibus,vbi concreuit in guttas,& dum è fodinis etiam per se colligitur.

Proinde magnus(vt mihi videtur) hinc deprehenditur Plinij error, ab alijs etiam aliquando taxatus, quippe qui secernit in duo genera, quod vnũ est dumtaxat è lapide illud fluere arbitratus:eius enim vt inquit vomica, liquoris æterni, quod rerum omniũ venenum sit,hunc autem aliunde proficisci ratus,ergo apud Dioscoridem,& alios boni nominis scriptores hydrargyros est idem quod viuum argentum, apud Plinium non idem, Græci siquidem illud aquam argenteam nuncupauerunt,ab aquæ & colore & fluido liquore, Latini de ipso motu viuum appellauerunt.

Sibi quoq; ipsi non satis hac in re cõstare videtur idem Plinius cũ hydrargyrij nomine vsus, solo inaurari dicat argentũ, satis enim prodidit non differre illum à viuo argento, quo vtuntur solo fabri,cum aurata vasa reddunt ex meris argenteis. Eodemmet etiam vtebantur(quis neget)ij, quorum meminit Vitruuius in septimo: scribit autem fieri viuum argentum ex marmoreis fragmentis cum id colligunt artifices, postquam resedit fumus ignis, vapore suscitatus,& eodem pariter vti eos quis dubitat?qui non modo ex minio & marmore, sed ex metallis omnibus eruunt. Qua in re superatur etiam à posteri-

tate

tate vetustas,nūc enim ex omni metallo,nec difficilime quidē extrahitur siue argen: viuū, siue hydrargryon maluetis appellare,nec ex metallis modo,sed ex metallicis reb.complurimis, vt ex eis præstetur occasio demirationis, quod Galenus vir tātus in literis,tātus in experimentis versatus æstimarit hydrargyron non nasci,sed fieri:eius enim cum de potestate simplicium medicamentorum verba faceret, isthæc verba sunt οὐκ ἔστι τῶν αὐτοφυῶν φαρμάκων, ἀλλὰ τῶν σκευαζομένων. Non est ex ijs pharmacis,quæ sua sponte nascuntur, sed ex ijs, quæ conficiuntur.

Cæterum nec apud Vincentium, nec apud Albertum, qui primi post Græcos & Arabes inter doctos viros huiuscemodi rerum fecere mentionem, datur legere tam numerosa quam nunc est rerum congeries, cuius vsus est apud auri confectores,& argenti.

Octo enim si recte numeraui genera post metallorum naturā literis retulit Albertus,sal,Atramentum,Alumen,Arsenicum,in quo conclusit auripigmentum, quod & maxime debent eo vocari nomine:scribit enim sic Vitruuius auripigmētum,ꝙ arsenicon Græce dicitur, foditur Ponto, Dioscorides eius vir seculi,nō eius id esse bonitatis voluit sed pallidius, aurei vero coloris,& primæ bonitatis,quod in Hellesponti Mysia nasceretur,vno tamen & auripigmenti, & arsenici vocabulo est vsus,quo etiam post Vitruuium vsi sunt & Celsus, & Plinius,tertium genus ꝙ album sit & Arabes, latiniq; medici,& Albertus retulerunt,nec defuerunt,qui non album sed medij coloris dixerint.

Qui si de ipso voluerunt intelligi, quod prodidit Albertus, sensu repelluntur,ne dum auctoritate.Ad hæc Marcasitam citat Nitrum tuchiam,quamquam ea non est apud illum opus naturæ,sed artis.

Marcasitam vero cognitam priscis adhuc(vt dictum est) nō inueniri nisi ea sit,quam Dioscorides & Galenus Pyritē vocauerunt, fertutq; acceptum Democrito inueniri eas & aureo, & argento colore,& æreo,addo & stanneo, & plumbeo, tametsi pyritem illi æream in medicaminibus designare videantur.Tuchiam vero pro Cadmia sunt qui reponēdam voluere. Vltimo loco electrum citauit Albertus, ꝙ tamen si natura id peperit inter metalla reponendū,si ars eduxerit, non est inter ea,quæ de spelæis profundissimis eruuntur,numerandum.

At eo sunt numero nunc ea quæ fossores in lucem proferunt ad parandum aurū, vt vix queas paruo temporis spatio recensere: nam propter album illud arsenicum, cui à Crystallo fecere nomen, & tuciam, quæ tametsi quibusdam et Græcis hoc citetur nomine, Cadmia quæ dicebatur antiquitus, multa sunt genera marchesitæ, quarū forte non meminere, multa quoq; Chalcanthi genera vt ante narratū, ignota priscis, multa etiam sulphuris. Adde etiam multa Talchi genera, multa quoq; Antimonij apud antiquos nusquam citati, etsi quidam sunt ausi sub stibio reponere, nulla (vt puto) siue auctoritate præclara, siue valida ratione. Ad hæc multa aluminum genera, quæ nec voce, nec effectu prodit antiquitas faciendo tum auro mirum patrocinantia. Prodam nūc literis, quod ante paucos dies experientia didici, ostentatā mihi fuisse ferrugineam Cinnabarim, cuius apud antiquos cum nulla sit mentio, ne vsum quidem fuisse crediderim, eā non inuentā quidem a me, nec quæsitā affirmo: quis enim inueniet quod non quæritur? quis autem quærat quod in natura rerum esse nunquam audiuerit? illam certe reperi multis cōiecturis sub Cinnabari, si vlla est, sub re metallica reponendam, pondus ei graue, subniger, cinereusq; prima fronte color, qui si teratur, permanet: si aduratur, ruborem ostentat. Porro sulphuris, ꝙ est in ea pars cærulea cum flamma discedit primum, deinde quod est viui argenti prorsus euanescit, reliqua sulphuris pars pertinax est, & flammæ contemtrix: si vero mergatur liquidis consumtricium aquarum vaporibus, contra fit. Nam portio sulphurea magno impetu soluitur in aquam, tantum abest vt igneo resistat liquori: resistit autem viui argenti portio, quæ minime absumta in fundo vasis candida residet, rem miram narraui, quam, vt coniector, non nouit vetustas, quæ etsi aurum ipsa moliebatur vt antea dictum, paucioribus rebus tamen est vsa. Præterea calcinatione (vt Alberti vtar verbis) sublimatione, destillatione, cæterisque actionibus, quarum vel nulla prorsus, vel non explicata priscis auri confectorib. disciplina, multa nostræ tempestatis artifices moliuntur: eis enim datur eodem auctore elixirim, quo, nomen idem ab Arabicis scriptoribus mutuo perceptum, medicinam Latini exprimunt, ita penetrari cōstat priores metallorū species, vt eas corrumpere queat sic, vt relicta solum communi materia, non propria, resultet artis molimine metalli diuersa species.

Idem

Idem vasa pertractans artificum, tingi posse docet quodcumq; vis metallum in auri colorem, atq; (vt eiusmet propria referam verba) forte pulcriorem, si fuerit nobile elixir, in quo nihilum errauerit artifex: hoc autem ex loco facilius artem tueri possent, qui essent vnam tantum in metallis formam defensuri, nec omnino sine tutela maneret, q plures tueri vellet formas, nō contentus eis, quas Albertus admisit: eius enim rationibus in aduersum cogitatis responderet, non sese quidem eas perfectas, sed quodam modo inchoatas asserere, quas ille admisit in prima rerum generabilium, corruptibiliumq; materia.

Verum isthæc subtiliora & sunt & habentur quā vt videantur hoc loco pertractanda, tantum huc sint allata, vt non solum varias tuendæ artis vias non deesse cognoscant vulgi sententijs obligati, sed plures etiam adesse, quam quibus sint vsi veteres artifices, multoque facilius compesci queant qui artem auriferam sine ratione valida deturbare moliuntur sua sede, quam pridē & legitimo titulo, & longa temporum præscriptione, possedit: possunt enim ex ijs, quæ diximus, didicisse, non vno tantum, sed multis modis, aurum fieri posse, multoque commodius, quam sit seculis anterioribus factitatum: nam eorum, quæ ante nota erant, fieri compotes queunt, & artis longo vsu creuit industria: subindeque versantibus eandem rem præclaris ingenijs prodijt solertia: quapropter desinere iure debent à calumnijs importunioribus vituperatores Chemicæ facultatis, qui tametsi in eodē numero non sint, qui subtiliores naturæ causas teneant, nec earum capaces rationum quas philosophi peracute vestigarunt, nihilominus nequeunt inficias, ire vnicuique rei vestigium pro suo modulo, non deesse bonitatis diuinæ, quæ suas effundit dotes, easque arte posse roborari, vt similia progignant.

Nequeunt item experimenta negare non absimilia, veluti odoris parui longissimas afflantis intercapedines fermenti modici, massam farinæ ingentem in sublime tollentis, Magnetis absens ferrum sibi coniungentis, echeneidos animantis vastissimis nauigijs afferētis morā, parui vaporis infecti, quo multa hominū millia pestilentia tabe fiū t: cur enim si quæ narrauimus contactu ipso & (vt sic dixerim) quodam quasi

quasi aspectu virtutis & potestatis mutant res, ducunt, atque reducunt, quæ ni sensu ipso deprehensa fuissent, mortalium quispiam nō putauisset antea: cur negauerint mutari nequite metalla, sensus adstipuletur, nec ratio reclamet? cogitent quęso, num quispiam vnquam hominum suo studio, suo quoque labore particulatim potuerit perdidicisse, cur magna carinæ moles à paruo pisciculo detineatur immobilis? cur ingens farinæ congeries modico sustollatur fermēto? cur minimo rei odoratæ suffitu tota domus abunde flagret, vestesq; reniteantur? cur ferrum nulla machina protrahatur, & in aere pendeat præsente magnete? Cur tenuis inuisibilisq; vapor potestatem habeat regiones cum habitatoribus inficiendi, afferendique perniciem? Nam quanquam plurima sunt disputata de qualitatibus primis, de intermedijs, de proprijs, de supremis, de imis, de ignotis, vt ad occultarum rerum huiusmodi cognitionem philosophi peruenirent: sic, *Vt quot capita fuerint, tot pene dissentientium sententias legamus.* Nihil tamen aliud, quo vtcumque quiescere queat animus, inuentum est ad hanc diem, quam quod res cui id tribuitur ea sit, quæ dicitur rerum mutua amicitia, inimicitiave, atque vt Græcis dicebatur sympathia, quæ demum sit abstrusa quædam natura rerum & indeprehensa, non secus dicēdum, cum *modico Vel Vnius Vel plurium herbarum succo mobile fluidumque argentum sistitur, & obdurescit: cum item hydrargyros alioqui solam ad ignis potentiam prorsus euanidus Vel in argentum Vel in aurum Vertitur:* aut cum salis & aluminum tenuissimis grumis, aut diuersis olei aquarumve generibus, aut rebus alijs vulgo non cognitis id fiat, siquidem vt ars omnibus eiusmodi tam est eius lata & circumquaque protenta consideratio, nihil elementarium, nihil eorum quæ conflata sunt ex elementis prætermittit, componit item, disiungit, copulat, euellit, susq; deque vertit, quod suspicit pertractandum, vt variet, vt nouet, vt perficiat, quod vel subterraneis in specubus, vel in terræ superficie comperit ad rem, quam sibi proposuit absoluendam. Fuit apud theologos disputatores quæstio, Creandi ne? hoc est ex nihilo quicquam faciendi, potestatem soli Deo propriam & assignatam omnipotentiæ diuinæ communicare creatæ rei posset ipse creator? & sunt pro alterutra opione olim dictæ sententiæ, sed vtcumque de creatione statuatur, nulli dubium cōmunicatam non esse aut naturæ, aut

arti

arti poteſtatem ea maiorem, qua quicquam priorem amittit formam, & poſteriorem admittit: nam *quod natura centum annis fieri dicitur, arte fit vnius horæ dimidio, & ſæpe in horæ parte centeſima.*

Vidi ego monſtrante amico non ſemel, minus decima parte horæ diſiici metallum, ſic, vt ſulphur alta petierit, hydrargyros ima: vidi prioris metalli forma prorſus abolita, ſubito nouam id eſt auream ſolertia artis imponi, non ſic natura ſola, hoc eſt artis beneficio deſtituta facit, non ita vetuſtas fecit, vt ex antiquis libris eſt plane perſpectum, ſed opus erat lõgiore ſubſellio, imitati ſunt & plane ſunt æmulari naturã poſteriores, cum fiat ſingulis diebus perſpicuum celerrime in ſanguineam, carnem cibumque conuerti, ſiue per coctionem, ſiue quouis modo alias: nam variæ ſunt ab antiquitate, de nutricatione dictæ ſententiæ: vnum tantum hoc loco tetigimus modum præcellentem quidem metalla mutandi: alios ſuperioribus diſputationibus indicauimus, quos quoniam ſupra tractauimus, repetijſſe longius minime conuenit.

IOAN. FR. PICI MIR. D. COMITISQ. CONCORD. DE AVRO.

Liber Tertius.

CAPVT I.

DE ANTIQVIS EXPERIMENTIS IN AVRO per artem Chemicam faciendo.



EGIMVS primo libro de auri æſtimatione, monſtrantes nullam cauſam inueniri, quæ ſit efficax ad perſuadendum, tantum fieri debere aurum, vt res vniuerſas metiatur; ſecundo varijs allatis opinionibus diuerſæ facultatis auctorum: ſubinde probabimus ex principijs philoſophiæ, theologis etiam adſtipulantibus, *arte poſſe aurum fieri.* Tertio quod habemus in manibus & antiqua & recentiora experimenta pertractantes, & factum fuiſſe, & fieri etiam identidem aurũ conuincemus: ſubnectemus quoq; de vſu monita ſaluberrima, ne in abuſum

usum & dedecus procliuis lapsus fiat. Certissimum porro constantissimumque est, & consensu publico firmatum, fuisse aliquando effectum aurum, & arte, & industria hominum, atque vt ab antiquissimis reperam primum hominem, Vincentius Bellouacensis magistrum artis posuit, vt inter initia diximus, & per illi proximos perq; Mosen ad apostolicum Dominicum & sua tempora peruenit Græcis proditur, quod etiam indicauimus non alia de causa nauigasse in Colchida regionem Argonautas, nec vt poetice fertur Iasonem ex Æetæ regis domo vexisse in Greciam Phryxi pellē auream, sed librum ex arietis pelle confectum, quo noscebatur quibus modis per artem chemicam fieri aurum posset. Proindeque non iniuria priscis illis phryxæum vellus, vocatam esse pellē auream, propter auri faciendi potestatem.

Videri hoc & in vulgatis & in reconditis libris facile datur, nam apud Suidæ monumenta late commendatum id est posteritati in elemento, paucis autem & sub obscure apud Apollonium in secundo argonautico, vbi canit phryxeum vellus, à Mercurio positum esse aureum. Quò in loco Græcus enarrator scribit Mercurij contactu pellem arietis aurum effectā, quo quid expressius Chemicæ fauere arti potest: eius enim ea verba τῇ ἐφαφῇ τοῦ ἑρμοῦ τὸ δέρμας τοῦ κριοῦ γένεσθαι χρυσόν. Clarissime vero Charax non tam historia quam philosophia nobilis prodidit memoriæ, pellem ad quam nauigarunt Argonautæ non arietis animantis habendam, sed methodum fuisse confectionis auri μεμβράνῃ vt ille ait, περιειλημμένην hoc est membrana comprehensam, idipsum citat Eusthathius in Dionysij Lybici geographiam. Quid? quod & *in prouerbium cesserat Græcis vellus aureum, cum quispiam de rebus vilibus preciosas conficeret.* Sub inuolucris etiam fabularum non solum occuluerunt scriptores antiqui scriptum dogma confectionis auri cōprehensum esse arietis mēbrana, quæ in domo Regis Æetæ custodiretur, sed modū etiā indicatū voluerunt, & Methodū subsignatā, Draconis & Mercurij nomine, siquidem notissimū apud artis Chemicæ professores *viuum argentū, & Mercurii nomine & Draconis etiā significari vocabulo.* Proinde confectum dici auru n Mercurij contactu, & Draconem peruigilem positum ad auræ pellis custodiam volunt. Scriptum etiam legimus in Orphicis versibus de raptu velleris aurei, fuisse sub arbore, quæ phryxæam pellem sustineret,

pra-

pratum, in quo multa quæ ſiſtendo viuo argento conducere creduntur, aperte cernebantur. Nec ſolum frutices & oleta ſed chalcanthum, id eſt atramẽtum non calachanton, ſiue etiam pſalachantan, vt à re metallica diſpeſceretur herbarũ vocabulũ: itaq; non vno tantum loco fabuloſam pellẽ, ſed librũ, quo ars aurifera doceretur, velleris aurei nomine ſignauit antiquitas. Nec abeſt à ſimilitudine veri penes vetuſtatẽ Chryſopœiæ, id eſt faciendi auri ſcriptas compoſitiones pellis aureæ, & agni vel arietis aurei nuncupatione notatas. Vnde illud Ouidij Poetæ, arboris aureæ nomen par eſt effluxiſſe, quoniam ex arbore fructus expromuntur, vt ex compoſitione deſcripta parantur effectus, qui ſunt in votis, & illud quoque ſpectare huc videtur furtiuæ deuehat aurum pelliculæ.

Nec defuere qui Tantali quoq; diuitias tulerint acceptas chemicę cõpoſitioni deſcriptæ in pellibus agni: vnde ſit & Pelopis filij & Pelopidarum regnum longe, lateque propagatum, vt hinc abſonum viſum non ſit quæſiſſe Thyeſtẽm natu minorem Pelopis agnum, hoc eſt in agni pelle faciendi auri compoſitionem exaratam, quam in arcanis habuerit natu maior Atreus, extorſeritq; Thyeſtes ab vxore fratris cognitæ ſtupro, ex quo & odia & cruentiſſimæ cænæ tragœdiæ. Meminerunt huius rei, quanquam obſcuro velamento & antiquiſſimi poetæ, & Cicero, Seneca, & Papirius. Supra quoq; nobis proditum eſt, Calliſthenis auctoritate, non ex velleribus ouium aut vectigalibus, verum ex metallis extitiſſe diuitias Pelopidarum, ſed remotiſſimis etiam ſua vetuſtate rancidis.

Non immoremur; à Phrygibus & Græcis ad alias nationes propagata eſt ars, quam maxime coluerũt Ægyptij ſtudio ſapientiæ deditiſſimi, apud quos *Diocletiani tempeſtate, tam publica fuit auri faciendi facultas quam agri colendi*, quam ſic ad Conſtantini tempora ſua cum auctoritate productam fuiſſe proditum eſt, vt eo tẽpore philoſophus Michael Pſellus Græca lingua libellum de faciẽdo auro eleganter cõpoſuerit.

Dicet fortaſſe quiſpiam, cur non extat ars ipſa quæ publice quondam dicitur extitiſſe? Dicam ego (vt omittam plurima quæ reſponderi poſſent) cur non extat ars purpureæ tingendæ veſtis, non in Tyro ſolum & Sidone quõdam celebris, ſed in toto terrarum orbe decantata? nuſquam hodie eſt, ſed nec oſtreũ illud cuius ex ſanguine color parabatur apud artifices

tifices agnoſcitur: faciendi auri materia in promptu eſt, & facultas adeſt pluribus in locis, etiamſi in Ægypto funditus perijſſet: cæterum nec Latio defuerat ante via conficiendi auri, extat enim Plinij teſtimonium trigeſimo tertio naturalis hiſtoriæ libro, qui docuit vnam eſſe faciendi auri ratione, ex auripigmento, quod in Syria fodebatur pictoribus in ſumma tellure auri colore.

Iuſſit, inquit, Caius excoqui magnum pondus, & plane fecit aurum excellens, ſed ita parui ponderis, vt detrimentum ſentiret, notam rem Plinius prodit ex ſolo auripigmento, factumq; dicit aurum per artem, cuius rei fortaſſe potuit eſſe teſtis oculatus: Vixerat enim ſuperiorum Cæſarum ætate, & non ſolum vſq; ad Caij peruenit imperium. Nec ad Claudium tantummodo, qui poſt Caium regnauit, ſed ad Veſpaſianum. Militauit enim cum Germanico Cæſare, res ab eo geſtas memoriæ mandauit, Claudium quoque filium eius, qui Caio ex Germanico fratre nepoti ſuffectus eſt in principatu, Meſſalinamq; ei aſſidentem dicit ſe vidiſſe, dum publica ederet ſpectacula, ſub Nerone quoque ſcripſiſſe illum Plinius Iunior affirmauit, naturalemq; hiſtoriam Veſpaſiano inſcripſiſſe, titulus eius indicauit.

At ſenſit Caius detrimentum, fortaſſe in cauſa fuit minor copia quàm oportuiſſet, & maior impenſa nauigandi conuehendiq; Romam auripigmentum, ſenſiſſet is forſan emolumentum, ſi tanta ei moles aſtitiſſet, quantam in Carmania reperiri ſcripſit Oneſicritus, ſenſiſſet ſi Ægyptiorum ſita percalluiſſet, quo Diocletiano cuius ſupra meminimus fuere formidini. Scriptum eſt in Græcorum monumentis, Diocletianũ Cæſarem cum Ægyptios inhumane crudeliterq; afflixiſſet, veritus ne arte faciendi auri, qua pollebant, reparatis diuitijs auſus ſummerent rebellandi, iuſſiſſe libros omnes Chemicæ facultatis conquiri atq; comburi. Poteſt id videri apud Suidã in decima elementi collectanea Poſt Diocletianũ tanta fuit non ex auripigmento, ſed ex arena aurea faciendi auri vis, vt publice id fieret ab ijs qui artem tenebant. Dummodo ſcrupulos quoſdã aureos Cæſari penderẽt, qua de cauſa duæ illæ priores in Codice Iuſtiniani titulo de metallarijs poſitæ ſunt leges. Hæc arena Chryſamo, Græcis nuncupata, dicta eſt & Hiſpanis & Latinis Balux, id apud leges ciuiles & apud Pliniũ ſatis apparet, vt ne loquar de ridiculis, vocum harũ balaca & Chryſamos gloſſematibus Accurſij.

Quidam noſtri temporis vir alioqui diligens & eruditus non Chryſamo ſed Chryſamon legendum putat, idque vas interpretatur quo funditur aurum. Sed Chryſale illi nomen eſt vaſi, etiam apud Plautum, & tribus nunc inuerſis literis vulgo profertur: Chryſamon vero omni proculdubio legi debet, hoc eſt auream arenam, quæ quidem non fodiebatur, ſed colligebatur ex maris littore, & ex ea mixtionib. quibuſdam parabatur aurum.

De hac duæ illæ priores leges decernunt, reliquæ de fodinis intelligendæ, quod ex verborum ſerie, & ex diuerſitate vectigalis, ſiue vt Lex ait, Canonis, deprehendi facile poteſt. Nam Chemici ſcrupulos paucos, foſſores vero decimam partem Cæſaris ærario debebant. Id genus faciẽdi auri per Chemicam, primum ex ſeptem prodidit Pſellus, docens arenam eſſe quandam maritimam littoralemve, quæ aurea diceretur à colore, & à quibuſdã arena aurea vocaretur, cuius hæc verba ἄμμος τίς ἐστι παραλία χρυσῖτις καλουμένη ἀπὸ τοῦ χρώματος, οἱ δὲ τοῦτο αὐτὸ χρύσαμμιον ὀνομάζουσιν. Galenus quoque dum de poteſtate diſſerit ſimplicium medicamentorum de terra ſermonem exorſus Chryſitidos, & argyritidos mentionem facit, mox de arena aurea loquitur, & quomodo aſpectu lucrum coniectarentur ex quantitate meminit, vt hinc etiam quoddam reipſa inter balucem, & Chryſamon depredendas diſcrimen, quoniam minima Plinio ramenta ſunt eius auri, quæ baluca dicebatur.

Chryſamos vero etſi minutiſſimis conſtet granulis, ea tamen aurea non ſunt, ſed aureo colore, & aurũ inde multa coctura, varijsq; mixtionibus parabitur. Alioqui non ita paucis conſtitiſſet metallarijs Cæſaris adnumerari, ex hac ipſe aurũ extrahere docuit Pſellus, & quinque vel ſex alias confectiones literis prodit. Multa tamen obteſtatione profeſſus, id ſe facere quaſi coactum honeſta quadam vi, vnde illa eius verba ὦ δέσποτα ὁ ἐμὸς δυνάστης, ἡ τῆς ἐμῆς ψυχῆς τυραννίς.

Ad hæc Alberti teſtimonium extat experimentis, quæ legerat, nixum fieri per artem aurum poſſe, vt pote qui vulgato illi atque legitimo profato (ſic enim par erat) aſſenſus fuit, vnicuiq; in arte ſua perito credendum eſſe. Quid? quod non aliorum tantummodo ſed propria etiam duxit in medium experimenta. Nam de viuo differens argento, vbi ſubſtantiam id eſſe dixiſſet materialem omniũ metallorum, in quo virtute

virtute sulphuris digerentis, & inurentis conciperetur, & argenti, & auri partus instar humoris menstrui mulierum, subdidit id cum ad speciem incipit accedere, glandulis hærescere primum, deinde paulatim constare atque conuerti.

Vidit hoc Albertus non in terræ speluncis abditisque naturæ secessibus, neque enim eo sese vnquam penetrasse cum fossorum caterua referr, sed vel domi vel sub dio alioqui nec otium illi fuisse impendentibus montium ruinis id conspicari. Neque enim tam excors, tam oblitus sui, vt in imo barathro mersus tam diu morari voluisset, nulla luce fretus, parua spe reditus, vt esset testis Hydrargyrii, sulphurisque nuptiarum, quæ forte centesimo quoque anno celebrantur, vt pernosceret quo modo tetris in cubilibus fierent: extat enim Arnaldi philosophi & medici nobilis testimonium, atque experimentum literis proditum, apud legalia monumenta, & additamenta, Gulielmi, qui sibi speculatoris obtinuit cognomentum, scribit enim Arnaldum ipsum, qui miris ibi laudibus extollitur, virgulas auri quas confecisset Romæ omni probationi summisisse, idque in titulo refertur de crimine falsi, nec est verisimile omissam aquam, qua excernitur aurum ab argento, certissimum probãdi auri, & numeris omnibus efficax argumentum, si tamẽ eius vsus ea tempestate fuit: sed certe ignis non defuit probatio, in quo si exuratur septies, fictitium aurum euanescit, vt proditum est ab Alberto, qui tamen fuit Arnaldo satis antiquior: sed vt i Balearicũ Raimundum sileam multis operibus nobilem, priusquam ad nostræ tempestatis viros deueniam, referam testimonium Coloniẽsis Alberti ex ordine minorum de seipso.

Is enim cum scripsisset volumen de quinta essentia specierum sublunarium, & quot modis à singulis ferme rebus extrahi posset, adnexuit se potuisse, modo voluisset ostendere, quibus tandem ex doctrina aliis peruenire daretur lectori, vt in ictu oculi metalla imperfecta mutarentur in argentum, & aurum, eiusque rei sententiam reuelatam sibi asserit modo intellectili, cum retineretur in carcere veteri, aut se ne penderet eam ex sui oris decretis contestatus, vt ille ait communibus Euangelicis viris, quo nomine ordinis viros sancti Francisci subiectos institutis appellauit, ne maligno dæmone instigante prolabantur in Alchemicas operationes, quoniam philosophorum nemo suis in libris veritatem aperuit,

sed

sed obtexuerit in parabolis incomprehensibilibus, proinde non dari, vt ad sublimia illa Chemicæ facultis arcana perueniat quispiam, nisi per altissimam cōtemplationem vitamq; sanctissimam, qua mens eius Deo cōiuncta fuerit, quod paucissimis asseruerat esse concessum.

CAPVT II.

De experimentis nostra tempestatis in auro conficiendo Vbi multa de precellentia Chemicæ facultatis.

Certissimum est non auribus modo, sed oculis, & multorum viuentiū, & meis etiam comprobatum, ætate mea factum esse per artē metallicę conuersionis, & argentū & aurū sæpissime, nec vna tantum compositione, sed plurimis nec moueor ad id comprobandum voluminibus paulo ante lectis à me, & dicatis Leoni Pontifici Maximo, quæ verā artem indicare videntur: tantumq; est vt abnuant experimēta; vt auctorum alter qui scripsit carmine librum sic exorsus sit.

Auriferam paruis animi pro viribus artem,
Quæsitam nobis & longo tempore partam.

Atq; ita etiam aliam Chrysopœiam clauserat de se canens:

—— Sic alter Iason,
Aurea felici deuexit vellera Colcho.

Nam poetis facile verisimile scribitur pro vero, tantoque magis, quod ille poetarum more scribere se satis prodidit in calce prioris voluminis, cum de portis cornea, & eburnea fecit mentionem: historicorum etiam multi non sunt hac in causa inter oculatos testes habendi, qualis ille mihi videtur, qui scriptum reliquit in suo quodam magnæ molis volumine tres vel quatuor compositiones sistendi mobilis argenti & auri conficiendi, isthæc enim missa faciamus.

Referam vero primum, quæ mihi sunt auribus, deinde quæ oculis compertissima. Obiit ante paucos annos Nicolaus Mirandulanus sacerdos ex minorum ordine senex nobis notus atq; integer vitæ, scelerisq; purus, ac præterea multæ abstinentiæ, multæ solitudinis, & qui viuus mortuusq; apud suos sodales magnæ sanctitatis est habitus, & diuinarum particeps reuelationum, quarum nonnullas ad me in Germaniam per te coniunx missas recordari facile potes, & prædictum bellum, quod sub Iulio Pontifice Venetis illatum est,

Is &

Is & Bononiæ argentum & Carpi aurum ex arte fecit multorum testimonio, fecit & Hierosolymis, vbi multos annos religionis gratia moram traxit præses sui ordinis viris, ibiq; sese aurum fecisse, mihique id ore suo retulisse, viuit adhuc, qui contestetur. Narrauit etiam mihi nuper Antonius chirurgus Mirandulanus eius ex fratre nepos, patruum sibi libere ingenueque confessum auri faciendi artem percallere, librumque manu ipsius scriptum diuersis de rebus ostendit, in quibus & ratione, & socii testimonio, & duobus etiam experimentis comperi auri faciendi artem, ibi quidem sibi notatam. Aliis vero multarum interpositione rerum sub obliquis etiam sermonibus plane dissimulatam.

Præterea fuit inter mortales ætate nostra Apollinaris ex ordine prædicatorum sacerdos boni nominis, qui non dubitauit amicis affirmare sese modos plus viginti constanter tenere, quibus verum aurum conficeret. Nec aliud ipsi peractis quæ ad religionem pertineant, vbi sese libentius animi causa versarent, habuerunt, quam in nouis inuentis conuersionum metallicarum rati non sine ratione ea communi vsui prodesse magis quam singulis diebus in literariis versari præliis philosophicis altercando, videbantur enim fortassis philosophiæ id esse proprium & medicinæ, cuius antea professores fuerant. Legerant apud Aristotelem vnius rei generationem alterius esse corruptionem, id vero non in vniuersum sed particularim fieri: legerant etiam elementa misceri, & quæ de ipsis coalescunt elementis permutari.

Norant Deum & naturam nihil fecisse frustra, compertum habebant hominem naturæ inferioris principem constitutum, *cuius ingenio fieri per naturam posset, quod nunquam fieret sponte natura*, si ea esset hominis ingenio destituta, hoc in insitionibus arborum, in pictura, in medicina, in omni fere vitæ munere, si conspicuum erat, cur esse deberet obscurum in metallis, adeo magna vinctis societate, vt aliud sæpenumero delitescat in alio: spectare huc solertium naturam ingeniorum debere norant, vt contenta non sit generatim solum, & in communi res naturæ cognouisse, sed aspirare suapte sponte ad notitiam, quæ per partes insinuetur, sensuique subiiciatur: disputationes Cyclicas in incerto vagari, & qui eis nimio plus sese dedunt suas imaginationes pro veritate colere solere, at sensui patere, & hominum publica consensione firmari

mari

mari, ex arte Chemices prouenire posse apud humanam societatem *magnum & præcellens emolumentum, quo mortalium multifariam succurratur ægestati:* quandoquidem inuenta esse plurima remedia vulnerum & morborum ex olei diuersis generibus confectis arte, vt loquitur vulgus Alchemistarū, ad quos Mesues medici sententia remittuntur, ij, quib. salubris olei plurimus expetitur: nec non alexipharmaca plurima quæ de multis rebus inter sese mixtis multaque coctura dependeant, ab eis parati tam rudes quam eruditi cognouerunt: aurum postremo cōficitur, cuius copia quandoq; misera pauperum ægestas leuata est. Sed vt ad experimenta vnde videor digressus, redeam, scriptum erat Romæ, publico in templo, nescio an clade recenti dimotum fuerit epitaphium auri ex plumbo collectori, fuit ante paucos annos Venetijs, qui publico multorum nobilissimorum virorum testimonio, *ex reparuula, qui nec piperis grani quantitatem excederet,* magnum satis auri pondus ex viuo argento confecerit: fuit in ditione mea qui tribus testimonijs ex re triticeum granum æquante viui argenti vnciam, verterit in probatissimum argentum, atque vnum ex his qui viderunt cum alloquerer, ab eo audiui se quidem diligenter conuersionem inspexisse rei, colorisque cinerei fuisse medicinam, qua confecta est transmutatiō.

Venio ad ea, quæ nostris oculis citra velamen patuere, viuit ad hanc diem vir mihi notus & amicus, qui plus sexagies suis manibus ex rebus metallicis aurum & argentum confecit me præsente, nec vna tantum via, sed multis id est assequutus: vidi etiā in confectione aquæ metallicæ, in qua nec argentū, nec aurū, nec etiam sulphur, aut hydrargyron auri principia ponerentur ex insperato argentum, simul & aurum generatū fuisse, sed non ea quantitate vt frequētari posset, minus enim luctum quam impensa: vidi quoq;, vt inter operis initia prodidi, sæpenumero & argentum & aurum progigni, seorsumq; illorum effusa grana & in argento non parum auri delituisse: vidi aquatum vi ex ære argentum minimum tamen extrahi. Atque vna hæc est, vt ante diximus, auri, argentiq; faciendi ratio, sed non multum existimanda, cum ex imperfectioribus metallis id, quod inest perfectorum eruit, cum vero non ex metallis, sed metallicis rebus fit aurum, maior aliquando paratur vtilitas: sed rem hanc vt veram ita variam sæpe-

numero contingit experiri. Est alius vt existimo inter viuos adhuc, neque enim constat, illum inter eos versari desiisse, cui quoties libuerit suis ex furnulis promitur aurum, parua impensa, paucisque diebus, quod pro auro purissimo vendit publicis in officinis, artis & naturæ beneficio magis inuitatus quam egestate, quippe cui satis amplæ sint opes, amplissimæ vero artis industria. Viuit ad hunc temporis articulum, nisi paruo antea diem obierit interuallo, vir cui non desunt opes ad tolerandam personæ seminobilis conditionem, cuius manibus æs vidi conuersum in argentum, & aurum quodam succo, siue herbæ, siue fruticis, & igne præpotenti vim suam in id metallum adigente.

Non desinam referre, quod mihi narrauit inops quidam sese per quietem assequutum, atque opere mox idem comprobauit. Is dum anxius esset animi, ne satis intelligeret quo se verteret pro toleranda fame, premebatur enim annonæ caritate maxima, premebatur ære alieno, premebatur ingenti numero filiorum, sese tradidit sopori, conspexitque cælitem quendam catalogo sanctorum adscriptum, qui faciendi auri artem per ænigmata docuit, deinde aquam subindicauit, qua vteretur ad aurum conficiendum, ea ille vsus aurum fecit, primum ex sese, non tamen magni ponderis, sed talis tum vt inde parauerit victum familiæ, ex ferro quoq; bis aurum fecit, ex auripigmento ter vel quater, & experimento mihi fecit manifestum, *auriferam artem non vanam esse, sed veram*, ea de causa ænigmata ipse paulo post animi gratia, hexametris versibus exaraui, quorum nonnulla citaui supra procœmiumque & epilogum adposui, vbi de eo, qui sit vere diues ipsis carminibus etiam disserui.

Vidi alium qui duobus modis in verum argentum, cui mixtum erat aurum, verteret viuum argẽtum, vidi ex cinnabari quibusdam adiectis rebus excluso & argento, & auro simul aurum fieri, simul argentum, vidi ex mera cinnabari olei cuiusdam simplicis admixtione aurum & argentum sed parui momenti, vidi sæpe hydrargyron, & qui erat ex plumbo & ære detractus, & in argentum, & in aurum transformari. Demum superioribus diebus & oculis hausi, & contrectaui manibus aurum quod me inspectante factum fuit ex argento trium circiter horarum spacio nulla prius argenti facta vel in viuum argentum, vel in aquam conuersione, hoc est in primam

mam

(Handwritten margin notes: "de hyerali(?)", "de auripig.", "de Cinnab.")

mam metallorum materiam, vt hinc ipsa reuincantur experientia, qui cum artem transmutandi metalli defendant, eos tamen calumnientur, qui contendunt id posse fieri, nisi prius ad materiam metallis communem, redigatur id metalli, quod transmutatur.

Capvt III.

Commonitio eorum qui imprudenter vituperant peritos faciendi auri, quibus præ alijs naturæ scrutatoribus philosophi competat appellatio.

Sat isthæc exempla ratione & auctoritate multiplici communita, putaui fore vti me ipsum vt alios exercerem tibiq; satis in parte facerem, & quæ scio esse certissima ad multorum caliginem amouendam patefacerem: neque enim me continere potui, vt quæpiam non scriberem & tui causa & admonitionis illorum, qui ferunt imprudenter sententiam eorum quæ non cognouerunt. Proinde precium operæ mihi videbor fecisse, si commoniti sic fuerint a me vti discant non contendere; deinceps & asserere, quæ ignorant ipsi, sciri ab alijs non posse, & quod est deterius, detestabiliusq; vel criminis reos agere, vel tanquam suspectos amentiæ prorsus exsibilare viros, qui artem auri faciendi vel rite teneant, vel exerceant perite, *& quod est non minus commiseratione quam risu dignum adscribere maligno dæmoni quod Deo omnis veritatis auctori, quod bonis spiritibus, quod naturæ, quod arti, quod industriæ sit adscribendum.*

Quid enim est, quod vertatur in dubium, si potestas & astus dæmonis ducatur in medium, an experimentis Chemicæ facultatis quispiā nō imperitus sublimiorū, etiam non inscius literarum eiusmodi vituperatores ita compescet, vt & partus earum matris, quo ipsimet nati sunt, sub ambiguo reponatur. Cum dæmon prauus potuerit in formam versus, non Amphitryonis, sed mariti, aut cuiusuis alterius compressisse matrem virum arbitratam esse, qui liberis daret operam.

Nota est historia de conceptu & Macedonis Alexandri, & Seleuci regis, & longo post tempore Merlini, multifariaque apud nostros theologos, & antiquiores, & neotericos, prodita literis succuborum & incuborum dæmonum, iisdem in rebus improbitas, atque fallacia, an & sanitas de arte medica ducta calumniam patietur, cum sese immiscere queat dæmon, & affere vel morbis vel vulneribus inuisibilia

remedia, & alia facere permulta, quorum & alij meminere, & nos etiam eis in dialogis, quibus titulus est Strix siue de ludificatione dæmonum, vt omittam Hippocratis principis medicorum decreta, quorũ Apollo falsus gentium Deus auctor est habitus à vetustate multifariam oraculis elusa Dæmonicis, quæ decreta sumsisse Hippocratem de templo Æsculapij concremato, supra iam diximus memoriæ proditum esse, eorum tamen decretorum apud nostros est vsus quatenus habentur vera.

Quoniam omnis veri Deus maximus optimus primarius auctor est, proinde vituperatores discant reprehendi ab Aristotele, qui paucis inspectis ferunt sententiam: Discant apud iureconsultos improbari vt inciuiles, qui iudicant tota lege nõ perspecta: Discant vehementer damnari ab Annæo, & irrideri Claudium Cæsarem qui lites dirimeret vna parte tãtũ audita, & sæpe neutra: subinde condiscant fieri quidem aurum posse per experientiam sine subtiliorum cognitione literarum: sed esse non posse consummatũ numeris omnibus artis Chemicæ professorem, qui naturalem Philosophiam probe non percalluerit. & ad sensus experimẽta deduxerit ea, quorum vaga consideratione torquentur plurimi, ea inquam tractata sępe firmata nunquam, beneficio tamen experimentorum sæpenumero comperta.

Cur philosophi nomen adscribam ei, qui philosophicæ auscultationis quosdam libros viderit, sed herbarum, fruticum, metallorum, lapidum, illorumque potestatis & commistionis, & conuersionis fuerit prorsus ignarus. Iustius ei competeret appellatio philosophi, qui res primum naturæ generatim nouerit, deinde per partes sublunarium, subterrenorumque germinum vires percalluerit? vt hinc rerum inferiorum concordiam, & litem, subindeque generationem, interitumque mente percipiat: conscendatque in admirationem diuinæ maiestatis, quæ homini non solum donarit, vt res abditas, & in visceribus terræ conclusas agnoscat, sed eas etiam domi constituere queat eius ipsius munere & adiumẽto naturæ: proindeq; multis nominibus iuuare mortales, & in corporis bonis & in externis facile possit.

Num qui hæc tenuerit tanto garrulis antestabit disputatoribus, quantum corpus vmbræ corporis? quantum veritas mutabundis, & desultorijs operationibus: nam si verbis ante-

antecellunt facta, si præstat facere grādia quam loqui, competet verius eiusmodi viro philosophi nomen, atque præstantius: an prætulerit æquus rerum æstimator eum, qui rem demonstrat, ponitque sub oculos, illi, qui tantummodo suis imaginationibus fretus, vel per communes dialecticæ facultatis locos, vel per metaphysicas conceptiones sibi quicquam sapere videatur, nunquam certus, semper anceps, semper in argumentis translatitijs occupatus? Huic certe sopistæ nomen, illi sapientis antiquitas tribuisset, non reclamantibus Peripateticis, quorum dogmata recidunt ad sensum, ex quo suas promere sattagunt probationes: quo sensu Chemicæ facultatis periti spernentes eundem promunt in repugnātem aduersarium, sibique parant ex illo victoriam: proinde neq; temere, neque sine ratione propensioneque reperias dictum, à Græcis eiusmodi viros sapientes esse eorumq; decreta nuncupata.

Apud Arabes vero ipsorum instrumenta, etiam lutum, quo solent vti Chemicæ professores, donata sunt titulo sapientiæ, tam rudes vero quam periti nouerunt artifices, ab ipsis quos nominauimus edocti, omnibus eis qui organicas siue instrumētarias exercent artes; antestare: cum notū sit, (quis est enim is qui nesciat) inter homines, quibus cum viuimus multis iam seculis conuenisse vt aurum metiretur externa omnia, quæ Peripatetici bona, Stoici commoda nuncupauerunt, & quod est mirandum magis proprium corpus non parua pars mortalium discrimini mortis exponit auri consequendi causa, vt impios illos suique prorsus oblitos prætercam, qui animam, etiam postponunt auro, quo certe & abutuntur improbi, & probi, ac bene morati vtuntur recte, quibus si cælitus demissum est hoc rarissimum munus, vt maximas eos gratias Deo & habere, & quoad fieri potest referre conuenit, sic nulli omnino mortalium quantumcumque diuiti, quantumlibet præpotenti debent inuidisse.

CAPVT IV.

Si vere competit ab externis cuipiam diuitis appellatio, eam peritis auri faciendi per artem Chemicam iure competere.

CErte fuit apud antiquos, quis esset diues, & quomodo nūcupandus, non parua quæstio philosophis, oratoribus, poetis

poetis non intacta, cum ille de Crasso, an tu solus diues? Vnde alius, qui solo diuitem philosophia metitus est: sed & diuitem agri, & positis in fænore numis diuitem, pictæ quoq; vestis, & auri diuitem, qui opinarentur non defuere? Qui vero diceret *illum proprie diuitem, qui religione inprimis imbutus Christi, deinde syncera sanitate polleret mentis & corporis, demum argenti atq; auri faciendi potestate præditus esset*, neutiquam videretur improbandus.

Nam qui bonis animi præcipuis caret omnino est pauperrimus, tantũ abest vti sit diues, nec id ipsum nominis ei merito communis fiet, qui miseria corporis laborat, identidẽ semper egens optatę sanitatis & qui securus belli non erit, pendebit semper à nutu principum, & qui peregrinæ vacat mercaturæ aut latrones semper horrebit, aut iratũ mare, & qui ruris opibus incumbit sæpenumero metuet noxiam frugibus intẽperiem, qui vero luctis inhonestis vacant & fęneratitijs mendis incumbunt, præterquã quod male audiunt bene institutis hominibus, ꝓprio etiã sceleratæ conscientiæ morsu torquẽtur, si quo pacto inter diua iure poterũt numerari, quãdo etiã paratæ ab atauis vsq; diuitiæ possunt eripi facilime, regna & principatus sæpe mutari nescit nemo, qui nouit etiam mendicatum victa Carthagine panem, at eam artem, quæ in animo sani hominis est, quis abstulerit, quoad vixerit? quis probibebit vbi terrarũ fuerit, modo ignis adfuerit, & certi non defuerint aut liquores aut pulueres, quo min⁹ aurũ sibi nõ cõficiat.

Certe quod multis hominum millibus Germani, Pannonijq; principes multis mensibus eruunt è montium speluncis profundissimis, quodque etiam vix triennio magna classe sibi parant Hispaniarum reges cum è Bethicis & Lusitanis portubus oram soluentes Atlanticos & Indicos fluctus metiuntur, vt ignotas inuisant regiones auri feraces, id artis aureæ compos, & minori impendio parat, & maiori cum lucro, paucisque diebus vel domi vel in hospitio confidens paruo, etiam sæpius ministrorum famulitio, quam rem occuli in eis quæ ante ei animus aureis argenteisq; ænigmatibus, carmine placuit significari.

Diues agri, diues pictai vestis, & aulæ
Præcelsæ, & regni nunquam est me iudice diues,
Nunquam etiam diues puppi si fretus Hybera
Per mare Atlanticum Boreæ contemptor & austri

Vsque

Vsque coloratis gazas conuectet ab Indis,
Ille autem diues, celso cui mittit Olympo
Æternus genitor, votis optare secundus
Quicquid mortales possunt, cum lumine recta est
Imbutus fidei, sana atque in corpore sano
Mentem habet, externis etiam quæ commoda visa,
Non bona Chrysippo, rebus vallatur opimis.
Sed quando humani generis pars maxima sese,
Heu misera argento semper metitur & auro,
Ditior ille quidem nunc passim creditur, arca
Qui plena fruitur, & abundat vtroq; metallo,
Acceptosq; domi nummos aliena remitti
In regna, vt numero numerum reserata tabella
Multiplicet, lucrisq; nouis, noua fœnora iungat,
Quæ princeps, populusq; rapax prædentur & vnda
Mergantur pelagi, & bellis raptantur iniquis.
Hic mihi semper erit diues, magis ille caminis
Qui trahit è propriis argenti pondus & auri
Annua centenæ superet quod fœnora mensæ,
Absque dolo prauo, sine vi, sine fraude maligna,
Impensa fretus pauca, paucisq; diebus:
Quod lucrum nequeunt reges, populiq; nec hostes
Irati auferre, aut vasti inclementia ponti,
Purgamenta soli, nam flauum vertit in aurum
Quomodocunq; libet, soli sibi conscius ipsi

Vt satis appareat, quod attinet ad externa, illum facile omnia tenere, qui tenuerit artem auri faciendi, vt in cassum pandoram illam suam iactauerit antiquitas fabulosa, & ostentauerit frustra suum illud κέρας ἀμαλθείας.

CAPVT V.

Quod aurum modo fictitium non sit (quod nec licere vendi probabilius videtur) sed factitium & syncerum deterioris nō sit inter medendum conditionis quam natiuū & fossile, sed sæpe melioris.

AFferret etiam is multum mortalibus inter medendum opis, modo ferat aurum aut ægrotis aut sanis emolumentum, siquidem omnibus qui præstantiores literas nouere, notū est aurum arte confectum, si verum sit, eius esse prorsus essentiæ siue speciei quantū speciis cōmuni vsu dignoscitur

 cum

cum eo auro, quod aut elicitur ex terræ cauernis, aut de fluminum colligitur arenis, & easdem illud habere ad communem vsum proprietates, quibus pollet aurum de fodinis erutum metallicis: eorum enim explosa sententia est, qui conciliare diuersas opiniones eo moliebantur, quod concedebant alterum arte fieri posse, negebant alterum.

Neque enim vnquam sine suis qualitatibus siue proprietatibus seu mauis dotib. inuenitur natura corporea, nec in cognitionem alicuius essentiæ, si naturam sequimur, peruenire vnquam possumus eis abolitis dotibus. Proinde censuit Aristoteles easdem ipsas conditiones, quæ quamquam multæ & variæ vno vocabulo συμβεβηκότα hoc est accidentia nuncupauit, ad cognoscendum id quod est, videlicet rei naturam, nos iuuare: si vero aurum arte confectum eandem teneat essentiam, tenebit quod est consequens easdem qualitates cum eo, quod natura peperit auro, atq; ita eiusdē prorsus erit precij, & tanti æstimati vendiq; licebit, omnia diximus accidentia quæ quidem ab auri tractandi peritis queant internosci, non eorum quæquā, aut etiam plurima, quoniā si vel vnum deesset ad integritatē, id falsitatis nomine suspectū haberi posset: & quanq̃ ij qui de moribus disputant, volunt fictitium aurū vel argentum pro fictitio ꝙ sophisticum dici solet, vendi licere, vt scilicet tanti veneat, quanti iure faciendum est, si rite æstimetur: nihilominus, quoniam aliud præsefert primori aspectu, aliud gestat clausum in penetralibus, res est plena periculi: propterea nunquam in eorum ego sententiam pedibus manibusque concesserim, quandoquidem possunt minus prudentes, quorum magna pars versatur inter mortales, aperte deludi.

Accedit huc quod substerni videtur fraudulentis hominibus semita quæpiam falsæ furtiuæque monetę per confectionem auri, argentiq; fictitij, quod sophisticū nuncupatur. Nam quāquam diuersa sunt munia faciendi cudendique metalli, diuersæque artes & habeantur & sint quæ alterutrum parant: quoniam altera præcedit, subsequitur altera: nihilominus impostores faciliorem videntur doli mali viam nacti, qui metallum iam habent falsum, quam qui legitimum conantur peruertere mixtione deterioris: nunquam vero malis hominibus augenda est faciendi maleficij cōmoditas. Hac de causa fortassis MagnusAlbertus dū artē qua mutantur metalla tanquam

quam veram reliquisset, eā vt falsam sustulit, qua colores tantummodo vel auri vel argenti mentiuntur artifices plurimi, qui vbi fuluum auri pallorem & alborem argenteum putant se minoribus indidisse metallis, exultāt veluti compotes artis facti, & emptores plane ludificantur.

Constare quoq; potest viris prudentibus, si verum est aurū, quanquam factitium, non natiuum, dummodo fictitium, falsum, sophisticumve nō sit, exhiberi posse, mixtum cibis alexipharmacis, aquarum decoctis, non secus ac id, quod erutū dicitur è latebrosis terræ cubilibus, multoq; etiā vtilius, quā quod nota principium, aut R.P. signatur, hoc ipsum quoniam multos latet, id negotij latius explicare tentabo: noui. n. qui tametsi aurum cōficere norant, docere tñ eius cōficiendi artē amicos & affines recusabant, ne abuterētur ea scilicet veriti, hoc est ne factitium aurum aut viui argenti, aut alicuius rei, q̄ noxia putetur si ea vescamur, naturā saperet. Audierāt enim fortassis illud, *miscuit argenti lethalia pondera viui, cogeret vt celerem vis geminata necem*; & facile quorundā legerāt libros, affirmantium ꝓprietates natiui auri, præcipueq; lætitiam afferentis & repugnantis lepræ, nō reperiri in auro factitio, quibus tam rite repugnauit Timon inter disputandū de reb. meteorologicis, quam perperā admisit astrologicas imagines ad auri confectionem accersendas.

Liberauerim ego eos qui hac suspicione laborant ab omni metu: nam si verum est aurum, quod fit per artem, veram auri tenet essentiam, & quod est sequens accidentia omnia, quæ secundum naturam fluunt ab ea, vt ante monstrauimus: ergo & lætitiam afferet, modo eæ sint partes auri, & aduersabitur lepræ, si ad aurum id pertinet.

At dixeris fortasse, in aurum quod ars molitur & viuum argentum & alias quoque res venenatas ingredi. Affirmauerim & ego ex rebus eisdem imis in terræ sedibus aurum procreari. Deinde subdiderim posse per artem fieri aurū multifariam, non vno tantummodo. Adiecero & illud si quæ forte adhibētur ad artem complēdam venenata fomenta, non ad essentiā rei quæ fit ea pertingere, sed haberi inter instrumenta transmutationis: Huc & illud etiam attulero, viuum argentum, cum vel in argentum solidum, vel in aurum est redactum, vt viuum argentum esse desijt, ita lethalem amisisse proprietatem, siue ea fluxerit de occulta qualitate, siue vt placuit Alberto

berto de manifesto acumine, quod ex frigore & humore coaluerit. Nam & si gradum frigoris, humorisque secundum superare noluit, neruis tamen ob id nocere decreuit, quanquam sunt qui malunt non frigida viuum argentum, sed calida esse natura, idq; de ipsius assensu facile nonnullisque alijs qualitatibus tueri contendunt.

Neq; autem omiserim permultas conuersiones, *ea omnia quæ venenata dicuntur purgari beneficio ignis, & aliam formam, aliamq; naturam induere*, quod sane contingit etiam in subterraneis specubus, vbi sulphur, æs, viuum argentum conueniunt ad promendam substantiam auri. Quod quanquam apud eos qui contra sentiunt saluberrimum habetur, tamen ea quibus conficiebatur, anteq̃ maturetur & diuersam naturã esset nactum, etiam apud eosde inter noxia computabantur.

Si dixeris habere in se rerum naturam parata quæpiam alexipharmaca quibus careat ars; Dicam ego, quisnam est, qui consuluerit ipsam naturã, cum pareret aurum? quis percontari poterit obstetrices naturæ, vt ad præscriptũ noscere queat, quænam auersentur, quænam repellantur, quænam sint ab omni suspicione libera, quænam sint quæ priusquam conueniant in id operis, amittant virus, quænam sint quæ inter id parandum, aut postquam illud effecerint, exuantur eo. Confirmari possent hæc exemplis animalium, quæ ijs vescuntur salubriter, quorum esu necarentur alia, in causa est coquendi & transmutandi varia vis, à diuersa manens animantis natura.

Atq; iterum exemplis venenatarum rerũ vti possemus, quæ mistionibus concoctionibusq; quibusdam euadunt salubria, vt in theriacis antidotisq; plurimis plane compertum est: contra quoq; fit, vt ex salubribus fiant perniciosa, nulla adiecta forinsecus noxia qualitate. Sit in exemplo gallinaceum ouum, quod crudum si fuit plerisq; omnibus excitat nauseam, si leniter coctum, vt sorbitioni sit aptum, mirum perquam esse salubre, si penitus induruerit igne nimio inter ędulia noxia pręcipue numeratur. Dissultat enim non tantum, ex varia rerum mixtione varia natura, variæq; proprietates effluũt, sed ex coctura vel nimia vel minima. Ad hæc cum factitiũ aurum non distinguatur à naturali p humanã cognitionẽ, alioqui nec esse, nec dici posset ejusde speciei si diuersis accidentibus, q̃ ducunt ad rei substantiam cognoscendam secerneretur, cum in-

quam

quam non distinguatur, iam nullum est periculum, iam nulla causa periculi: Quoniam aurum, quod coquendum in cacabo ponis, quod radis, quod percutis, quod in subtilissima ramenta dissecas, quod in aqua mergis feruentissima bulliendum, nescis tu prorsus è visceribus terræ sit erutum, an hominis arte confectum? Adde cum antiquitus effectum aurum aliquando sit, alioqui non stetisset ars apud plerosque, sed ab omnibus locis gentium omnium consensione fuisset explosa & exsibilata, ne dum viuus homo reperiretur, qui iactaret se artis eiusdem octingenta iusta volumina, & præterea septem supra triginta millia præcepta legisse, cum antiquitus inquam sit effectum, quod & experimentis iam probauimus.

Quid habes tu aut causæ aut argumenti vti factitium à natiuo dispescas. Num signum aut inusta nota, quoniam ita vetustas, vt ætas nostra, signabat aurum nota virorum principum; & ad officinas publicas conuehebat secernendum. Non color, Index enim lapis tanquam honorarius arbiter inter pares colores pro neutro dat litem. Non pondus, quandoquidem bilanx non diuergit ab examine. Non teneritas, mollitudove, cum vtrumque flectenti tractantique non reluctatur. Non effectus, namque aut comesto aut epoto auro, id iure non potes adscribere, quod alius diuersæ ascribet rei, ratione nullo pacto leuiore: cum enim plura simul non seorsum assumuntur ad quidpiam efficiendum, si diuersi promuntur effectus, cui natura rei diuersitatem eam debeas adscribere, certo non moueris, nisi diuersas rerum illarum naturas, quæ simul conuenere, seorsum percallueris: nunquam enim deerit occasio quod alteri adscribitur, adscribendi alteri, tantoque sese illa præbebit amplior, quanto fuerit maior mixtio, aut magis numerosa congeries.

Itaq; si nescis distinguere verum aurum ꝙ partu naturę natus es ab eo, quod tibi peperit artis industria, nunquam rite propinabis aurũ. Nam aut omne habendum noxium, si quodpiam dicatur insalubre, cum non habeatur, vti vidimus legitimum discerniculum, aut omne salubre, si aurum, quatenus aurum naturæ hominum conuenire dicatur, aut omne dubium, si alterum ab altero non secernis, vel lapide Lydio, vel examine, vel aqua demum, cui nomen est inditum à partitione, quoniam aurum ab argento dispescit, atque ita ab alterutro pernitiem non excludis.

Quid?

Quid? quod si vllum est salubre, id tamen quod nota principum & rerum publicarum in vsu est ementium & vendentium, putandum est insalubre. Miscetur enim æs vt lapis Heraclius de eo fecerat coloratus indicium. Miscentur & alia nonnulla, factitium quoq; sal acerrimũ, quod ammoniacon hoc est arenarium falso nomine citatur. Nitrum etiam quandoq; & id viui argenti noxium, cui nomen factum est ex eo, quod in sublime tollatur, quorum omnium concoctione contrahitur virus: *æris enim rubigo recrementumve, quam stomacho noceat,* quis ignorat? vt præter eam alia quæ diximus perniciosa, quorum vsus est in asciscendo aureis nummis fulgore apud argentarios & fabros auri; colorant enim aurum suapte natura pallidius vti magis emicet, atq; coruscet. Et de salubritate satis multa: nunc artis modum subsignemus & vulgi falsam opinionem refellamus.

CAPVT VI.

Commonitio multiplex eorum, qui auro per Chemiam faciendo nauant operam, simulque vulgatæ illius quæstionis, cur plurimi sint inopes, qui auriferæ arti vacant, dissolutio.

EOs autem qui per artem quærũt aurum monitos velim, *ne supra facultates, sese dedant experimentis, neue ob id certiora amittant studia, neu magnas sibi polliceantur diuitias, neu principatus affectent & regna vana spe lusi.* Vt enim Deus non permittit, omnes homines tenuioris (vt vulgo dicitur) fortunæ, qui aut gloriæ student, aut mercaturã exercent, eos, aut regno principatuue potiri, aut ingentibus affluere diuitijs; vt etiam noluit, eos omnes, qui literarum studijs incumbunt, antiquorum vel æquare gloriam, vel superare; nõ secus putandum hac in re, vt magna sic perdifficilia & rara, quandoquidem *sua dona Deus pro arbitrio distribuit suo, non nostro.*

Nam si vana noxiaq; cogitauerint, qui parant aurũ & quærunt mutare metalla, si plus nimio sibi promiserint, & in aere (vt dici prouerbio solet) castella ædificauerint, facile sese decipiendos, & eludendos agnoscant: cum à se ipsis, tum ab improborum & spirituum & hominum fraudulẽta nequitia. Memini edoctum olim quendam ab amico, cui factum dicebatur supernum oraculum, sese quam quæreret auri faciendi facultatem non indepturum, si ad superbiam, si ad nocendum abutere-

abuteretur, concedendam si eius compos euaderet in bonum animæ & corporis. Noui alium, qui mihi asseruerit semel se ex mobili argento quod viuum dicitur, stabile verumq; argentum confecisse succis, & folijs herbarum, idq; vendidisse peritis explorandæ metallicæ veritatis, eisdem mox vsum se folijs frustra, & quod semel perfecerat, nunquā alias, quamquam id sæpe tentauerit, perficere potuisse.

Alium noui, qui adhuc apud viuos moratur, cui cum argētum & aurum circiter quindecies per artem effectum esset, amisit artem eam, accepitq; oraculo socij per quietem habito, id ingratæ mentis vitio contigisse, vt hinc etiam veritatem apostolici dicti condiscamus, neq; qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed incrementum dat Deus. Retulit quidam mihi sese aurum ex argento fecisse semel magna copia, secundo eisdem se vsum rebus fecisse quidem sed minima semper quantitate, sic vt detrimentum lucro maius esse supputauerit. Venisse in mentem, vti detrimentum effugere posset, si non ex argento sed ex ære melioris conditione metalli sese consequi experiretur, idq; se coniecturis firmis nixum tentauisse, cumque in eo fuisset vt rem sese speraret indepturum miris modis euenisse, vt nihil omnino consequeretur. Aliquando euanida, aliquando casibus varijs intercurrentibus, eius tamen conditionis, vt aperte cognosceret impedimenta aliunde quam ex humana potestate proficisci.

Idem affirmauit ab amico, qui expertus hoc ipsum fuerat, accepisse, qui cum ex cinnabari fecisset argentum optimum, sæpenumero sese postea insistentem operi maiore cum diligentia semper euentu rei fuisse frustratum, tu autem rationibus euenta confirmato. Nam in ijs, quæ de terræ cauernis eruuntur, tibi maxime necessaria etiam monstra, quandoque & abortiuos partus videbis. Prodit in naturalibus quæstionibus Annæus Seneca, sicut in nostris corporibus, sic in illis humores sæpe vicia concipere, cum vel ictus, vel loci quassatio, vel senium, aut frigus, aut æstus corrupere naturā, vt mittam & ignis, vel exuberantiam vel defectum, & artificis, vel imperitiam, vel indiligentiam, sileamq; maligni dæmonis multiplicia commenta, *sed etsi omnia, quæ optas, ex voto etiam effluxerint, non autē tibi Dei adsit munus operā perdes: & cum tempore iacturā facies impensarum*, quæ quidem in nostris ænigmatibus, sed absq; perplexitate ænigmatū cecinisse meminimus.

Dum-

Dummodo perpetuum seruet natura tenorem,
Dum manus artificis, dum mens non fluxerit vsquam,
Illa etenim sueuit progignere plurima monstra,
Ignibus interdum nimiis oppressa calore,
Interdum minimo defecta, vt frigida multo
Mater Anus gestare solet sua viscera partu,
Et solet artificis diuersa per auia ferri
Mens lassata nimis, duroque intenta labori,
Atque hinc fessa manus deflectit tramite recto,
Attamen in vanum cuncta hæc quæsiueris ante
Ni velit omnipotens, sine quo sunt irrita semper
Naturæ atque artis molimina cuncta, nec vllis
Aut vita, aut vires possunt consistere rebus.
Interdumque malus Dæmon sese ingerit atque
Omnia perturbat, ni compescatur Olympo:
Nam memini, memini in fuluum mutarier atra,
Ordine naturæ transuerso, iamque metallum
Effugere ex oculis, res est non falsa renidens,
Et calcem flammæ victricem tendere in auras
Ignibus exiguis, paruoque afflata vapore
Dispersit subito, in tenues euanida ventos.
Mirabar, causamque simul scrutabar Olympo,
Cum lux affulsit menti caligine pulsa.
Namque crucis signum pepulit ludibria nigri
Ditis, & in priscum res est renouata vigorem,
Tantus honor nostro est, & tanta potentia regi,
Qui genus humanum ligno seruauit ab alto,
Qui si orsis adstet placidus, si cœpta secundet,
Plus tibi tu adiicies solers, vtriusque metalli
Illyricæ, quam quod dederant tibi Roma cauernæ,
Quam quod Callaicis effoderat Astur in antris,
Nec post hac regis Phrygij miraberis aurum.

Proinde non inutiliter, quod ante dixi, repetam, neq; enim doceri satis possunt ignari, nec peruicaces superfluo cõmoneri. Non inutiliter inquam repetam, non posse hinc artis vituperatores sarcire calumniã. Nam quemadmodũ nec agricolationi, nec medicinę prudẽs obnunciaueris ob amissum prouentũ agri, & ob id quod ægri moriantur, cum non ab arte solũ, sed à natura & à diuino decreto præcipuis causis id plane depẽderit, sic nec ab auro & argẽto faciendo abhorrueris ob effectus interdum

terdum irritos,aut minus vberes. Artis enim præcepta non æterna sunt,nec omnibus firmata numeris. Cur igitur necessariam primæuamq; artem agricolendi,cum inanis est quandoque reditus,non calumniaris?nec reijcis vtilem non minus quam veterem medendi corporibus humanis facultatē, cum non prodest ? Nempe quod noris frustrari diuersis ex causis promissos ab illis effectus frequenter posse,docta & fortassis ab ipsarum artium scriptore Cornelio.

Vt enim ait alimenta sanis corporibus agricultura,sic sanitatem ægris medicina promittit. Non præstari inquit alimēta,nec sanitatem, sed promitti:prudentissime id quidem ob effectus interdum irritos:non secus pollicetur Chemicæ professor artis aurum & argentum. An confidentior ipse in auro faciendo fuerit quam Hippocrates in reducenda prospera valetudine,cuius est sententia,experimentum plenum esse periculi. Quandoquidem nec malagmata prosunt semper, quæ profutura scripsit antiquitas, neque simplicia medicamenta præstant semper, quæ pollicentur:neque medicorum etiam collegia,ne non moriatur æger, cui adsistunt semper,efficiūt, tametsi sanitatem sæpe spoponderint.

Adde paucorum esse sublimem illum apicem faciendi auri magna pondera parua cum impensa. Nam peculiari Dei dono rarissimis id est concessum, vt propterea plurimum intersit,multum conficias auri, multo cum lucro. Nam parum fecisse quid refert:Ad solam speculationem id tantum pertinet, vt agnoscatur id esse verum, quod inter se metalla vertuntur. Ad diuitias nihil & magnarum rerum effectus,etiamsi sexcentis queas modis aurum parare: sunt enim qui vix possunt impensas tolerare, sunt qui senserint detrimēta, sunt qui statum non habeant,& fixum ordinem,sed varium, vt hinc dissoluere facile possis quæstionē vulgi sciscitantis identidem ;Cur egeant sæpenumero,qui aurum sese facere posse non diffitentur, in promptu solutio.

Aut enim parum conficiunt auri,aut si multum, plurimis cum impensis,aut variant experimenta, sic vt quod sæpe contingit id perpetuo tenore nō respōdeat. Aut metus immaniorū Principum & auarissimorū perturbat,aut locus aptus deest aut societas & famulitiū non adest Vt omittam leuē multorū & ineptā credulitatē cū imperitia cōiunctā,& fraudulentorū

arti-

artificum nequitiam versipellem, quibus rebus etiam iure nequeas in artem calumnias irrorare. Sed quid mirum? ex furnulis quandoq; non lucrum prouenire, sed sæpe detrimenta, quando etiam in fodinis id sæpe nostra tempestate contigerit, item vetustati. Vnde illa Demetrij Phaletæi in quæsitores auri per terræ cauernas falsa reprehensio, quod manifesta pro incertis prodigunt, nec eorum, quæ scrutantur, facti compotes, quæ possidebant, perdidere. Verum vt adsint omnia, quæ paraueris magno studio, magna impensa, quæ votis etiam omnibus concupieris, *non adsit diuinum decretum, frustra laborauerís.*

Videre licet in operibus naturæ hoc ipsum, quandoquidem in conceptibus origineque mortalium propter conditiones varias femineæ sterilitatis, inutilisque masculini seminis, plurimæ quoque esse possunt causæ, quibus fiat abortus, & præter illas est necessarium diuinæ propositum voluntatis, vt in lucem prodeat infans, qui delitescebat in vtero. Quanto magis illud idem conspicari dabitur in artis effectibus. Ad summam nulla est ars nixa coniecturis, quæ semper stata sit & immobilis, nec vlla est tam certa, tam inconcussa, quæ magna ex parte mutationi materiæ non sit obnoxia, omnino vero subiecta diuinæ voluntati. Quæ si tibi in auro conficiendo fauerit, ab omni mentis elatione cupidineque caueto. Nunquam non formidans, *ad beneficium tibi sit id concessum, an ad pœnam?* & sæpe cogitans illud Augustini. Non minus verum elegans elogium: *Quod multa Deus negat propitius, quæ concedit iratus.* Quare primum Deo gratias immortales habeto, & quoad fieri potest referto: deinde omni modestia istud accipito cæleste munus, eoque & sancte, & pie vtere, ad sanctissimæ Trinitatis, quæ vnus est Deus, honorem & gloriam, atque ad propriam & aliorum hominum vtilitatem.

FINIS.

ROGE-

ROGERII BACHONIS DE ALCHEMIA LIBELLVS, CVI TITVLVM FECIT, Speculum Alchemiæ.

PRAEFATIO.

MVLTIFARIAM multisque modis loquebantur olim Philosophi per sua scripta, cum velut in ænigmate, & quasi nebulosa voce scientiam quandam præ cæteris nobilem, nobis penitus obumbratam reliquerunt, & sub desperationis velo negatam omnino, & hoc non sine causa. Quare ego præcipio, vt præ omnibus aliorum scriptis, super ista septem capitula, transformationem metallorum in se continentia, mentẽ tuam firmiter fundes, & eorum principium, medium & finem sæpius in corde reuoluas, & subtilitatem talem in eis inuenies, qua adimplebitur animus tuus.

DE DIFFINITIONIBVS ALCHEMIÆ. CAP. I.

IN pluribus antiquorum codicibus plures inueniuntur istius artis diffinitiones, quarum intentiones nos in hoc capitulo considerare oportet: nã Hermes de hac scientia dicit; Alchemia est scientia corporea ex vno, & per vnũ simpliciter composita, preciosiora ad inuicem per cognitionem & effectum coniungens, & eadem naturali commistione in genus melioris conuertens. Alius quidam dicit: Alchemia, est scientia docens transformare omne genus metalli in alterum: Et hoc per medicinam propriam, sicut patet in multis Philosophorum libris. Quare Alchemia, est scientia docens facere, & generare quandam medicinam, quæ Elixir nuncupatur, quæ quando proijcitur super metalla, seu corpora imperfecta, perficit ipsa complete in momento proiectionis.

(*)

De Principijs naturalibus, & procreationibus mineralium. CAP. II.

SEcundo principia naturalia, & procreationes mineralium perfecte declarabo. Vnde primo notandum est, quod principia mineralia in mineris sunt Argentum viuum & Sulphur. Ex istis procreantur cuncta metalla, & omnia mineralia, quorum multæ sunt species, & diuersæ. Sed dico quod natura semper proposuit, & contendit ad perfectionem auri. Sed accidentia diuersa superuenientia transformãt metalla, sicut in multis inuenitur Philosophorum libris aperte. Nam secundum puritatem & impuritatem prædictorum duorum, scilicet Argenti viui & Sulphuris, pura & impura metalla generantur, videlicet: Aurum, argentũ, stannum, plumbum, cuprum, ferrum. De quorum natura, videlicet puritate & impuritate vel immunda superfluitate & defectu, talia accipe vera. De natura Auri. Aurum quidem est corpus perfectum, ex argento puro, fixo, claro, rubeo, & ex sulphure mundo, fixo, rubeo, non adurente generatũ, & nullum habet defectum. De natura Argenti. Argentum est corpus mundum, purum, fere perfectum, ex argento viuo puro, fere fixo, claro, & albo, & de tali sulphure procreatum, & deficit ei pauca fixatio, & color cum pondere. De natura Stãni. Stãnnũ est corpus mundum imperfectũ, ex argẽto viuo puro, fixo, & non fixo, claro, albo in suo manifesto, & rubeo in suo occulto, & de tali sulphure proceatum, & deficit ei sola decoctio siue digestio. De natura Plumbi. Plumbum est corpus immundum & imperfectum, ex argento viuo impuro, non fixo, terreo, fœculento, aliquantulum albo in manifesto, & rubeo in occulto, & ex tali sulphure adustibili ex aliqua parte procreatum, & deficit ei puritas, fixatio, cũ colore & ignitione. De natura Cupri. Cuprum est corpus immundum & imperfectum, ex argento viuo, impuro, non fixo, terrestri, adurente, rubeo non claro, & ex tali sulphure generatum: & deficit ei fixatio, & puritas cum pondere, habetq; nimis de colore impuro, & terrestreitate non adurente. De natura Ferri. Ferrum est corpus immundum & imperfectum, ex argento viuo impuro, nimis fixo, terrestri adurente, albo & rubeo non claro, & ex tali sulphure generatum, & deficit ei fusio, puritas & põdus, & nimis habet de sulphure fixo im-

mundo, & terrestreitate adurente. Hæc ergo iam dicta Alchémista quilibet notare debet.

Ex quibus propinquius materia Elixiris sit elicienda.

CAPVT III.

IN iam dictis, sufficienter determinata est procreatio tam perfectorum quam imperfectorum metallorum. Nunc ad materiam imperfectam perficiendam eligendamque redeamus. Cum ex capitulis præcedentibus satis notum sit, quod ex argento viuo & sulphure cuncta procreentur metalla, & quomodo ipsorum impuritas immundiciaque corrumpit, & cum nulla res metallis adhiberi debeat, quę non ex ipsis sit composita seu orta, satis nobis aperte relinquitur, quod nulla res extranea, quæ ex his duobus non sumpsit originem, potens est & sufficens ipsa perficere, vel eorum transmutatione facere nouam. Quare admirandũ est quod aliquis prudens suam fundat intentionem super animalia, siue vgetabilia, quę valde sunt remota, cum inueniantur mineralia satis propinqua. Nec credendum est omnino, quod aliquis Philosophorum, posuerit artem in prædictis remotis, nisi similitudinarie. Sed ex prædictis duobus fiunt metalla cuncta, & nihil eis adhęret, nec eis coniungitur, nec ea trãsmutat, nisi quod ex illis est. Et sic de iure oportet nos accipere Argentũ viuum & Sulphur, ꝓ lapidis nostri materia. Nec argentum viuum per se solum, nec sulphur per se solũ aliquod generat metallũ, sed ex amborũ cõmistione diuersa metalla diuersimode procreantur, & mineralia multa. Ergo ex amborũ cõmistione materia nostra constat eligenda. Sed finale nostrum secretum, est excellentissimum & maxime occultum: Ex qua re minerali debeat fieri propinquius & vicinius: Et hoc ipsum eligere sollicite tenemur. Pono igitur, ꝙ eligatur materia nostra, primo ex vegetabilibus, vt sunt herbæ, arbores, siue omne progrediens è terra. Tũc oportet inde prius fieri Argentum viuum, & sulphur per longam decoctionem, à quibus, & à quorum operatione excusamur, cum nobis natura proponat Argentum viuum & Sulphur. Et si eligeremus ex animalibus, vt sunt sanguis humanus, capilli, vrina, egestio, oua gallinarum, & omnia quæ ex animalibus procedunt, oporteret etiam ex ipsis fieri argentum viuum & sulphur decoquendo, a quibus excusamur, vt prius.

Sin eligeremus ex medijs mineralib. vt ſunt omnia genera Magneſiarum, Marchaſitarum, Tutiarum, Atramentorum, ſeu vitriolorum, aluminum, Baurach, ſalium, & aliorum multorum, oporteret ſimiliter, vt ex prædictis, arg. viuum inde fieri, & ſulphur decoquendo, à quibus, vt ab alijs præcedentibus excuſamur. Et ſi eligeremus aliquem ex ſeptem ſpiritibus per ſe, vt ſolum argentum viuum, aut ſulpur ſolummodo, aut argentum viuum & vnum è duobus ſulphuribus, aut ſulphur viuũ, aut auripigmentũ, aut arſenicum citrinum, aut rubeum ſolum vel compar, nequaquam perficeremus: quia cum nunquam natura perficit aliquid, ſine amborum commiſtione ęquali, nec nos, à quibus tunc, vt à prædictis argento viuo & ſulphure, in ſua natura excuſamur. Finaliter, ſi eligeremus ipſa, quodlibet ſicut eſt, oporteret nos commiſcere ſecũdum debitam proportionem, quam humanum ignorat ingenium, & poſtmodum decoquere ad coagulationem in ſolidam maſſam. Et ideo excuſamur à receptione amborum in ſua propria natura, videlicet argenti viui & ſulphuris, cum ignoremus dictarum proportionem, & inueniamus corpora in quibus inuenimus prędicta proportionata, coagulata & coadunata debito modo. Hoc ſecretum tene ſecretius. Aurum eſt corpus perfectum & maſculinum, ſine ſuperfluitate aliqua aut diminutione. Et ſi imperfecta ſola liquefactione ſibi commiſta perficeret, eſſet elixir ad rubeum. Argentum eſt etiam corp⁹ fere perfectũ[& femineum, ꝙ ſi etiam imperfecta fere perficeret ſola fuſione vulgari, eſſet elixir ad album, quod non eſt, nec eſſe poteſt, quia ſolũmmodo perfecta ſunt. Quod ſi illa perfectio eſſet commiſcibilis imperfectis, non imperfectum cum perfectis perficeretur, ſed potius illorum perfectio cũ impfectis diminueretur, & imperficeretur. Sed ſi eſsẽt pluſquã perfecta, vel in duplo, vel in quadruplo, cẽtuplo, vel vltra, interim perficerent imperfecta. Et quia natura ſemper operatur ſimpliciter: perfectio in eis ſimplex eſt, & inſeparabilis, & in cõmiſcibilis, nec arte ad opus abbreuiandũ poneretur in lapide pro fermento, & reduceretur tunc in priſtinum, cum ſumma volatilis ſuperat ſummam fixi. Et quia aurum eſt corpus perfectum ex argento viuo rubeo, claroque, & ex tali ſulphure, ideo non eligimus ipſum pro materia lapidis ad Elixir rubeum, eo quod ita ſimpliciter

eſt

est perfectum, sine mundificatione ingeniosa; & tam fortiter digestum, & coctum naturali caliditate, quod cum igne nostro artificiali vix in aurum & argentum operari valemus. Et quamuis natura aliquid perficiat, tamen intime mundificare, seu perficere, ac purificare ignorat, quia simpliciter operatur super illud, quod habet. Quare si eligeremus aurum vel argentum pro materia lapidis, vix aut difficulter inueniremus ignem in eis agentem. Et licet non ignoremus ignem, tamen ad intimam sui mundificationem & perfectionem peruenire non possemus, propter sui fortissimam compactionem, & compositionem naturalem: quare excusamur a receptione primi ad rubeum, seu secũdi ad album, cum inueniamus rem, vel corpus aliquod, ex tam mundo, vel mundiore sulphure, & argento viuo, super quod natura parum, vel minimum est operata, quod cum igne nostro artificiali, & experientia artis nostræ, ad congruam sui decoctionem, mundificationem, & colorationem & fixationem cum ingenioso nostro opere, super hoc continuato, valeamus peruenire. Eligenda est ergo materia, in qua est argentum viuum mundum, purum, clarum, album, & rubeum, non ad complementum perductum, sed commistum æqualiter & proportionaliter, per modum debitum cum sulphure tali, & in massam solidam congelata, vt cum ingenio & prudentia nostra, igneque nostro artificiali ad mundiciam sui intimam & ad ipsorum puritatem peruenire possimus, & talem efficere, quod ipsa post operis complemẽtum sit millies millesies fortior & profectior, quam ipsa corpora simplicia caliditate naturali decocta. Esto igitur prudens. Nam si in capitulis meis subtilis & ingeniosus fueris, in quibus manifesta probatione, & aperte materiam lapidis cognoscendam demonstraui, gustabis illud delectabile, super quod Philosophorum intentio cadit tota.

De modo agendi, & igne moderando, & continuando.

CAPVT IV.

CRedo te inuenisse, si non es durissimæ ceruicis, & velo ignorantiæ totaliter perfusus, vel insipientiæ, per verba iam dicta, certam Philosophorum materiam, lapidis benedicti peritorum, super quam operatio Alchemiæ est adhibenda, cum imperfecta conamur perficere, & hoc cum

plusquam perfectis. Et cùm nobis natura tradidit imperfecta solummodo cum perfectis, oportet nos plusquam perficere materiam in capitulis notam cum nostro opere & labore artificiali. Et si ignoramus agendi modum, quid est in causa, quod non videmus qualiter natura quæ olim metalla perfecit, frequenter operatur? Nonne videmus quod in mineris per continuatam caliditatem, quæ in montibus mineralium est, aquæ grossities in tantum decoquitur & inspissatur, vt fiat per tempus argentum viuum? Et ex pinguedine terræ per eandem decoctionem & caliditatem generatur sulphur? Et quod per illam caliditatem perseueranter super ipsa continuatam, ex prædictis secundum ipsorum puritatem & impuritatem, cuncta generantur metalla? Et quod natura tam perfecta quam imperfecta cuncta, sola decoctione perficit, siue facit metalla? O nimia dementia, quid vos, rogo, cogit per aliena regimina melancholica & fantastica velle perficere prædicta? Quemadmodum quidam dicit: Væ vobis qui vultis superare naturam, & metalla plusquam perficere nouo regimine seu opere orto ex capitositate vestra insensata. Et Deus naturæ dedit viam linearem, scilicet decoctionem continuam, & vos insipientes ipsam imitari spernitis, vel ignoratis. Item: Ignis & azot tibi sufficiunt. Alibique. Calor omnia perficit. Et alibi. Coque, coque, coque, & non te tædeat. Et alibi. Fiat ignis vester blandus & mitis, qui per singulos dies semper æqualis ardendo perduret, nec inualescat, sin aliter, sequetur maximum damnum. Et alibi. Patienter & continue. Et alibi. Tere ipsum septem vicibus. Et alibi. Scias quod vna re, videlicet lapide, vna via, scilicet coquendo, & vno vase totum magisterium terminatur. Et alibi. Igne teritur. Et alibi. Hoc opus multum creationi hominis assimilatur. Sicut enim infans in principio leuioribus nutritur cibis, ossibus autem confortatis, semper fortioribus: sic & magisterium istud, primo indiget igne lento, quo semper in decoctionis essentia qualibet est agẽdum. Et quamuis semper loquamur de igne lento, reuera tamen sentimus, quod in operis regimine paulatim & vicissim vsque ad finem augmentandus & maiorandus est ignis,

De

De qualitate Vasis atque fornacis.

CAP. V.

TErminum, modumque agendi iam determinauimus, nunc de vase ac fornace, qualiter & ex quibus fieri debeant, audire licet. Cum natura naturali igne in mineris metalla decoquat, decoctionē illam sine vase ad hoc apto denegat. Et si naturā sectari proponimus in coquendo, quare vas eius esset reijciendū? Videamus ergo primo, qualis locus sit generationis metallorum. Manifeste percipitur in mineralium locis, quod in fundo montis est calor, æqualiter perdurans, cuius natura est semper ascendere, qui in ascēdendo semper desiccat vbiq; & coagulat aquā spissiorē seu grossiorē in ventre, seu venis terrę siue montis absconditā in arg. viuum: Et si illius loci pinguedo mineralis ex terra huiusmodi calefacta fuit congregata in venis terræ, currit per montē, & est sulphur. Et vt videre licet in venis prædictis illius loci, illud sulphur ex pinguedine terræ, vt prætactum est, generatum, obuiat etiam arg. viuo (vt etiam scriptum est) in venis terræ, & aquæ spissitudinem mineralis procreat. Ibi per calorem in montem æqualiter perdurantem, longo generantur tempore diuersa metalla, secundum loci diuersitatem. In mineralium vero locis inuenitur caliditas semper durans. Ob hæc de iure nobis notandum constat, ꝙ mons mineralis externus est vbique clausus in seipso & lapideus, quia si calor exire valeret, nequaquam metalla procrearentur. Si ergo naturam imitari intendimus, habemus necesse tali modo furnum, ad instar montium, non magnitudine, sed caliditate cōtinua prouidere, ita ꝙ ignis impositus, cū ascendit, exitū non inueniat, & reuerberet calor vas, materiam lapidis continens in se firmiter clausum. Quod vas rotundum debet esse cum paruo collo, de vitro, vel de terra aliqua, naturam siue compactionem vitri repræsentātem, cuius os cum tali coopertorio, & bitumine debet esse signatum vel sigillatum. Et sicut in mineris calor immediate non tangit materiam sulphuris, & argenti viui, quia terra mōtis interest vbique: sic immediate ignis tangere non debet vas in se materiam continens prædictorum, sed in alio vase similiter clauso illud est ponendum, vt ita materiam superius & inferius, & vbicunque sit melius & aptius, calor temperatus attingat: vnde Aristoteles dicit in Lumine luminū, quod Mercurius

curius in triplici vase est coquendus, & quod vas de vitro sit durissimo, vel, quod melius est, de terra naturam vitri possidente.

De Coloribus accidentalibus & essentialibus in opere apparentibus.

CAP. VI.

EXquisita lapidis materia, modum agendi certum cognosces, per quem modum, per quod regimen lapis decoquendo in coloribus diuersis sæpius transmutatur. Vnde quidam ait: Quot colores, tot nomina. Secundum diuersos colores in opere apparentes, per Philosophos eius nomina variata sunt. Vnde in prima lapidis nostri operatione, est, putrefactio appellata, & fit lapis noster niger. Vnde quidam dixit: Cum inueneris ipsum nigrum, scias quod in nigredine illa albedo occultata est, & tunc oportet illam extrahere a subtilissima illa nigredine eius. Post vero putrefactionem rubescit, non rubedine vera, de quo quidam ait: Sæpius rubescit & sæpius citrinescit, & sæpius liquescit, & sepius coagulatur ante veram albedinem. Et seipsum etiam dissoluit, seipsum coagulat, seipsum putrefacit, seipsum colorat, seipsum mortificat, seipsum viuificat, seipsum denigrat, seipsum dealbat, seipsum rubore decorat cum albedine. Fit etiam viridis, vnde alius ait: Coque eum donec natus viridis tibi appareat, & est eius anima. Et alius. Scias quod in viriditate anima illa dominatur. Apparet etiam ante albedinem color pauonis, vnde quidam sic ait: Scias quod omnes colores qui in mundo sunt, aut excogitari possunt, apparent ante albedinem, & deinde albedo sequitur vera, vnde quidam ait: Cum autem purus decoquatur donec veluti oculi piscium elucescat, eius vtilitas expectanada erit, & tunc lapis in rotunditatem est congelatus. Alius autem ait: Cum inueneris albedinem supereminentem in vase, esto certus quod in albedine illa rubedo occultata est, & tunc oportet te illam extrahere: veruntamen coque, donec totum rubeum fiat. Est enim inter veram albedinem & veram rubedinem, quidam cineritius color, de quo dicitur: Post albedinem errare non potes, nam augmentando ignem ad cineritium peruenies, de quo alius dicit: Ne cinerem vilipendas,

nam

nam Deus reddet tibi liquefactum. Et tunc vltimo Rex diademate rubeo coronatur, NVTV DEI.

De Modo proijciendi medicinam super quodlibet imperfectorum.

CAP. VII.

REi promissæ finem perfecte compleui, videlicet magisterij magni, ad elixir excellentissimum rubeum & album faciendum. Finaliter de modo proiectionis, quæ operis est complementum, & lęticia desiderata & expectata, tractare nos oportet. Et rubeum quidem elixir, citrinat in infinitum, ac omnia metalla transmutat in aurum purissimum. Album vero Elixir dealbat vsq; in infinitum, & quodcunque metallum ducit ad albedinem perfectam. Sed sciendum est, quod vnum metallum magis est remotum à perfectione quam aliud: Et aliud propinquius alio, & vicinius. Et quamuis quodlibet metallum per Elixir ad perfectionem reducatur, tamen leuius, citius, & melius, & perfectius propinqua reducuntur, quam multum remota. Et cum inueniamus metallum propinquum & vicinum perfectioni, excusamur per ipsum a multis remotis. Quę vero metalla remota & propinqua, & quod propinqui⁹ & vicinius perfectioni sit, in capitulis meis, si sapiens & ingeniosus fueris, satis aperte inuenies, & veraciter determinatum. Et proculdubio qui in hoc meo Speculo in tantum est ingeniatus, quod sua industria inuenire scit materiam veram, bene sapit super quod corpus ad perfectionem sit proijcienda medicina. Nam pręcursores istius artis qui eam per suam philosophiam inuenerunt, demonstrant digitis satis manifeste viam linearem, & denudatam cum dicunt: Natura naturam continet: Natura naturam superat: Et natura obuians suæ naturæ lætatur, & in alienas transmutatur naturas. Et alibi, Omne simile applaudit suo simili, quia similitudo dicitur causa amicitiæ, de quo multi philosophi notabile secretum reliquerunt. Scias quod anima corpus suum cito ingreditur, quæ cum corpore alieno nullatenus coniungitur. Et alibi. Anima enim cito corpus ingreditur suum, quam si cum alieno corpore coniungere statueris, incassum laborabis: Nam & ipsa vicinitas magis est lucida. Quia enim corporea, in regimine fiunt in corporea, & econuerso, incorporea corporea, & in comple-

mento totum corpus fit spirituale fixum: & quia elixir illud spirituale euidẽter, siue album, siue rubeum vltra naturam suam tam multum est præparatum & deductum, non est mirum, quod incommiscibile est corpori, super quo solummodo proijcitur liquefacto. Graue est etiam proijcere super millies millia & vltra, & illa in continenti penetrare & transmutare. Quare vobis vnum secretum magnum & occultum iam tradam. Commiscenda est pars vna cum mille corporis vicinioris, & hoc totum includatur firmiter in vase apto, & pone in furno fixionis, primo cum igne lento, & semper augmentando ignem per tres dies, donec inseparabiliter sint coniuncta. Et hoc est opus trium dierum. Tũc iterum & finaliter proijcienda est pars quælibet istius vna super alias mille partes cuiuslibet corporis vicinioris. Et istud est opus vnius diei, seu vnius horæ, vel momenti. De quo semper mirabilis est laudandus Deus noster in æternum.

FINIS.

RICHARDI ANGLICI LIBELLVS VTILISSIMVS περὶ Χημείας, Cui titulum fecit, Correctorium.

Præfatio. Quomodo ars imitetur naturam.

CAPVT I.



VM omnis rerum emendatio illius rei naturam augmẽtet, cuius est: Ideo in multis Philosophorum datis, per artem emendatur natura, vltra suum motum, quem habuit in prima forma. Et tamen nulla res laborare potest, nisi mediante natura, cum ipsa natura in arte occulte & intrinsece laboret per artis administrationem: per hoc sequitur, emendationem naturæ virtutis esse augmentationem, & artis laborem, illius rei emendationem. Quoniam natura perficit suum gradum, quem naturaliter perficere potest, & illum præterire nequit, nisi ipsa natura impedita fuerit per artis impedimentum. Quamuis enim ars naturã non transcendat, faciens nouam

natu-

naturam per ſimplicem laborem, tamen ars tranſcendit naturam, quoad illam naturam, quam poteſt proprie ſubtiliare. Et ideo dicitur: Ars imitatur naturam, non quod nouam ædificet, ſed quod illius naturæ virtutem ſubtiliet. Ad hæc incipit ars proficere, vbi natura deficit, ſubtilem naturam in re incluſam detegere, & ipſam manifeſtare. Cum natura generat metalla, tincturas generare nequit, quamuis bene tincturam in ſe plenam occulte contineat. Vnde philoſophus: Natura continet in ſe, quibus indiget, & non perficitur, niſi moueatur arte & operatione. Quare in noſtro opere ars non eſt aliud, quam adiuuamen naturæ, quod patet in multis artium operibus Laicorum: vbi natura primum producit lignum. Secundo, vſtio ignis de ligno cinerem. Tertio ars de cinere vitrum. Et hoc totaliter intelligendum eſt. Si in cineribus iſta prima materia vitri occulta non fuiſſet, ars nequaquam vitrum inde produxiſſet, aut perfeciſſet, ſine natura præhabita. Et ſic perpendes, quod è nullis rebus aliquid elici poteſt, quod in ipſis non exiſtit: ideo omnis ſpecies in ſua ſpecie, & omne genus in ſuo genere, & omnis natura in ſua natura, naturaliter virtutis affectat augmentum, & fructum affert iuxta naturam ſuam, & non in alia natura ſibi contraria, cum omne ſeminatum ſuo ſemini correſpondeat, hoc dicimus quo ad generationem. Non generatur ab homine, niſi homo, nec ab aliquo tali, niſi ſimile ſibi, & quo ad naturam imitandam per artem, non facit hoc aliqua res ſimpliciter laborans per miniſterium naturę, niſi per naturę illius complexionem: quoniam ſi aliena natura peior introducitur, immediate ars ſimpliciter non imitatur naturam, ſed illæ peiores naturæ extraneæ inficiunt illam naturam, & ſtatim non fit ex ea quod fieri credebatur: quoniam omne peius laborans in aliqua re, nititur melius deſtruere, & omne melius laborans in aliqua re, nititur peius perficere. Et ideo vnicuique artifici naturā imitari neceſſe eſt, & illius naturam cognoſcere, cuius rei naturam ars ſua imitatur, alioqui fatue per artem ipſe naturam dignoſcitur emendare.

(****)

Stu-

Studium philoſophiæ eſſe neceſſarium ad hanc artem.

CAP. II

STudium, ſecundum Doctores, amouet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram ſcientiam, & cognitionem cuiuslibet rei. Ergo in primis neceſſe eſt, per ſtudium huius ſuauis operis, ſcientiam acquirere, & per Philoſophica dicta ingenium acuere, cum in ipſis ſit cognita via veritatis. Si ergo laborantes laborē non deſpexerint, fructum inde prouenientem dulciter guſtabunt. Qui vero ſtudere abhorruerint, laborando perpendant in ſuis cogitationibus, vtrum ars ipſorum ſit naturæ imitatio, præcipue illius rei, cuius naturam ars illorum emendare debet. Nam præter naturæ imitationem impoſſibile eſt ipſis ſecreta philoſophorum ad perfectum finem perpetrare: ſicut de his loquitur philoſophus. Hi transeunt ad practicam, ſicut aſinus ad fœnum, neſciens ad quid porrigat roſtrum, niſi in quantum ſenſus exteriores, ſine intellectu, per viſum & guſtum ad pabula deducunt. Sic ipſi aſini ſine veris principijs & ſtudijs fructuoſis, ac naturarum cognitione, quęrunt perficere opera naturæ, & ſecretum ſecretiſſimū totius naturalis Philoſophiæ, ac opus optimum, quod hominem ornat moribus, ditat beneſitijs, auxiliatur pauperi, & corpus humanum incolume conſeruat, præbens ei ſanitatem. Et poſtea ſubditur de illius occultæ naturæ medicina: Et ideo omnes huius artis beneficium diligentes, ſtudijs inſiſtere tenentur, & ex libris veritatem exhaurire, & non ex fabulis fictis & operibus mendoſis, cum hæc ars nullatenus veraciter inueniatur (quamuis hominibus multæ ſophiſticationes appareant) niſi poſt terminum ſtudij & philoſophicorum dictorum cognitionem, ſeu per ſcientis fidelem informationem cum docetur. Qui enim in legendis libris deſes extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit. & vltra, Non bene poteſt de leui practicæ aſſueſcere, cuius mens in ſtudijs renuit deſudare.

De principijs naturalibus. CAP. III.

NOn eſt autem hæſitandum hanc artem habere vera principia naturalia, cum ipſa natura corpora metallica formet in minera, quod patet per Ariſtotelem 4. Meteoron, vbi diſtin-

distinguit corpora mineralia in quatuor species: In lapides, in liquefactiua, in sulphura, & sales. & horum quædam sunt raræ substantiæ, & compositionis debilis, & quædam fortis substantię, & quædam eorum ductilia, & quędã non. Et quę illorum rationes generationis sint, patet ibidem: ergo hic non est necesse poni.

Quot sint partes mineralium. Cap. IV.

Distinguuntur autem corpora mineralia specialiter in duas partes, scilicet in partem metallicam, id est, metalla, quæ originem ex Mercurio ducunt, vt aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, & ferrum, & dicuntur mineralia maiora. Et in partem mineralem, quę originem ex Mercurio non ducunt, vt sales, atramenta, alumina, vitriolum, arsenicum, auripigmentum, sulphur, & similia. & dicuntur mineralia minora: sunt tamen corpora non metallica, cum manifestum sit, quod maiora mineralia, id est, corpora metallica, originem habeant ex sulphure & argento viuo, secundum magis & minus depurato. Et nunc ponam differentiam eorum generationis, & dicam vnde originem habeant, quod tamen sufficienter patet in multis philosophorum libris.

De Metallis, quæ originem ducunt ex Mercurio in genere. Capvt. V.

Svnt autem ductibilia, omnia liquabilia metalla, quæ originem ducunt ex Mercurio: nam materia eorum est substantia aquea, mista cum substantia terræ, commistione forti, & non potest vnum ab altero separari: quare congelatur substantia aquea illius cum frigore magno post actionem caloris, & ideo ductibilia sunt, & fabricabilia. Sed non congelatur sola aqua, nisi siccitate, q̃ alterauit aqueitatem & terrestreitatem, cum in ipsis humor non est nimis vnctuosus: nam congelatio eorum est ex siccitate terrestri, ideo non faciliter soluitur, nisi per actionem caloris vehementem in ipsis, secundum quod sunt fortius ac fortius cõmista.

Qunmodo metalla ex Mercurio fiant, in specie. Capvt. VI.

Rerum

RErum natura omnium liquabilium genera, naturaliter operata est ex Mercurio, vel argento viuo, & sui sulphuris substantia, eo quod proprium est argenti viui quod coagulatur ex vapore, sicut ex calore sulphuris albi vel rubei non vrentis. Vnde Aristot. in 4 Met. Si sulphur album non vrens fuerit, congelat Mercurium in argentum bonum. Si sulphur purum cum rubore clarum, & in eo vis igneitatis simpliciter non vrentis, congelat Mercurium in aurum purissimum: quoniam omne siccum naturaliter ebibit suum humidum, vt in suis partibus sit consumamtũ. Vapor ergo sulphuris argentum viuum coagulantis ex sua substantia est terreus, subtilis, aereus, decoctus, & digestus à commistione prima sibi vnita a coctione caloris. Postea eleuata, decocta & digesta, donec habeat vim sulphuream coagulandi Mercurium in corpora metallica, secundum quod sulphur fuit simplex, vel adurens, quod perfectionem vel imperfectionem in metallis causat, vt postea apparebit. Exemplum de his, quod ipsorum prima materia sit argentum viuum: quoniam cum liquefit per calorem, conuertitur in ipsum. Certum quippe est, ipsa antea fuisse argentum viuum, quia omnis res de eo, in quod resoluitur, est: nam glacies conuertitur in aquam, calore mediante, necessarium est ergo prius aquam glaciem fuisse.

De generatione sulphuris, Mercurij, & quæ ex eis oriantur metalla, in generali, & quomodo perfecta ab imperfectis differant.

CAP. VII.

HIc notandum est, quod sulphur prouenit ex pinguedine terræ, in minera per temperatam decoctionem inspissata, quousque induretur & sicca fiat. Et quum indurata fuerit, Sulphur vocatur. Argentum vero viuum in sua radice prima, est compositum ex terra alba, subtili, nimium sulphurea; cum aqua clara fortiter admista, & vnita tali vnione per minima, quousque humidum temperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter, donec fiat substantia vna, non quiescens in superficie plana, nec adhæreat tangenti propter siccitatem, quæ alterauit aqueitatem in ipso. Est autem homogeneum in natura, quia aut totum remanet in igne, & fixum, aut totum euolat in fumum, quum

quum ſit incombuſtibile, & aereum, & hoc eſt ſignum perfectionis: & ideo quum poſtea de terra ſulphurea decurrit, calefactum ſuperius aſcendit. Vnde in ſua natura eſt, vt per calorem ſublimetur. Veruntamen continua ſublimatione nimium ſublimando depuratur, decoquitur, & inſpiſſatur, ac per ſulphur album & rubeum gradatim congelatur: quod quidem ſulphur diſſoluitur multoties, & poſtea congelat argentum viuum, & illius ſublimatione inceratur caloris actione, donec vix in millibus annorum ſucceſſiue, & operatione naturæ in perfectum metallum congeletur. Et ſic quidem ipſa natura in vaſis mineralibus, mediante calore operatur metalla. In iſtis ergo operibus naturam imitari oportet quicunque vult medicinam perficere, ad imperfectorum perfectionem, licet iſta corpora differant in compoſitione ſua ab argento viuo, quæ ab eo generantur eodem modo, quo ipſum fuerit purum vel impurum, & ſulphure mundo vel immundo, ſibi extraneo, vt dictum eſt. Si enim argentum viuum coagulatur à ſulphure albo, non vrente, erit argentum. Si coagulatur ex ſulphure puro, in quo eſt vis igneitatis, ſimiliter non vrentis, erit aurum. Si vero ſulphur fuerit malum & debile, & Mercurius bonæ ſubſtantiæ, conuertit ipſum in æs. Si vero argentum viuum fuerit poroſum, terreum & immundum, & ſulphur etiam immundum, fœtidũ & terreum, & fixę ſubſtantię, fit ex ipſo ferrum, quod poſtea non funditur. Stannum vero videtur argentum viuum bonum habere, ſulphur vero malum, non bene miſtum, & quaſi non bene congelatum. Plumbum vero habet argentum viuum malum & groſſum, mali ſaporis & fœtidum, ac debilis virtutis: vnde aſſidue per ignis violentiam corrumpitur. Sic differũt corpora metallica ab argento viuo, ſecundum quod ipſis ineſt ſulphur extraneum, vel adurens, vel ſimplex. Et ſic conſideratur, quæ virtus ſit in ipſis. Cum enim multa quantitas ſulphuris ſit infectio, & multa quantitas argenti viui in ipſis dignoſcitur eſſe perfectio, cum ſit incombuſtibile & aereum, quoniam ſulphur comburit, & comburitur, & perfectionem omni tempore impedit. Hæc de verbo ad verbum ſunt Philoſophorum dicta ſuper Ariſtot. in 4. Meteor. Credendum eſt autem, quod ipſorum Philoſophorum veritas in aliquo mendacio nunquam eſt reperta. Sic faciens ars ſequitur viam naturæ, ex

qui-

quibus elici veritas poteſt: nec eſt credendum fabulis fictis, nec operibus mendoſis, ab opore naturæ omnino extraneis, vt dicitur: Qui credit in mendacium, & non ſecretis Philoſophorum, perdit tempus cum opera, & labores.

De formatione mineralium, quæ originem ex Mercurio non ducunt. Cap. VIII.

SVnt autem media mineralia ſecundum quod dictum eſt, quæ originem ex Mercurio non ducunt, id eſt, ex Mercurio propinquo, & debilis ſubſtantiæ: & horum quędam ſunt ſales, quæ liquefiunt humido faciliter, vt alumen & chalcanthum, ſal ſimplex, & ſal ammoniacus, ſal petrę lapidis, & omnia genera ſalium. Et quædam ſunt vnctuoſa, nec liquefiunt ſolo humore faciliter, vt auripigmentum, arſenicum, ſulphur, & alia ſulphurea. Nam aqueitas ſulphureorum eſt commiſta cum terra viſcoſa, commiſtione forti cum feruentia caloris, donec facta ſunt vnctuoſa; & poſtea coagulata ſunt ex frigore. Atramenta vero compoſita ſunt ex ſale & ſulphure, & lapidibus. Creditur in eis eſſe vis mineralis aliquorum liquabilium, quæ ex eis fiunt, vt chalcanthum & colcotar, quæ generatur ex maioribus granis atramenti, & non ſoluuntur, niſi ſoluatur ſalſedo cum ipſis, quæ eſt in ipſo ſulphure, & poſtea congelatur in frigore, & iſtud iam accipit vim mineralem. ab aliquibus corporibus naturaliter in terra, quod accipit vim ferream erit rubeum, vel terreum, & colcotar. Quod autem vim æream accipit, hoc erit viride æris, vel chalcanthum. Vnde eſt poſſibile iſta duo, ſcilicet colcotar & chalcanthum ab ipſo generari. Quamuis autem omnia prædicta participent in vi minerali cum metallis, tamen corpora metallica artificialiter ex ipſis fieri non poſſunt, cum alterius ſint naturæ, & cum eis ex vna materia propinqua originem non duxerint. Non tamen nego, quin cum ipſis poſſint metalla purgari aut diſſolui, ac ſophiſtica forma per ea introduci, vt in ipſis errent homines. Poteſt quoque plumbi nigredo ſiue immundicia abſtergi; veruntamen plumbum ſemper manet plumbum, quamuis videatur argentum, & introducant in eo nouas qualitates alias, vt appereat argentum. Sic artifices etiam poſſunt facere congelationes per ea, id eſt, ex Mercurio humidum extrahere cum rebus ſiccis, vt videatur Mercurius coagulatus, ſed

iſta

sta coagulatio est pessima: Philosophorum autem coagulatio, non humidum exiccat, sed Mercurium suæ radicalis humiditatis consumptione coagulat. Audi quid dicat Aristoteles: Sciant artifices Alchemiæ, species rerum transmutari non posse, sed similia illis facere possunt, & tingere rubeū citrino, & album tingere colore rubeo, donec fiat multum simile auro, vel argento, vt hi qui coniungunt stannum, cuprum, & Mercuriū, & inde faciunt aurū sophisticum. Sic expolitio per minora mineralia nō est impossibilis, aut vapor caloris, ponderis etiam diminutio contra hæc non stant, sed contra verum aurum & argentum, quæ nequaquam in natura & arte conceduntur fieri, nisi reductione corporum in primam materiam: sic species rerum transmutari possunt, vt postea Aristoteles subdit: & hoc non fit per solam liquefactionem, sed per congelati Mercurij resolutionem, cùm admistione sui spiritus corpus in Mercurium transformatur.

De generatione sulphuris vulgi, & simplicis, & Mercurij.

CAPVT IX.

CVm iam dictum sit, quod sulphur in metallis est impedimentum, nunc pono differentiam in Mercurij generatione & sulphuris, quamvis ex vtraque parte causent metallum, scilicet Mercurius essentialiter, & sulphur ex parte accidentali, tamen illud sulphur adhuc est duplex, viuū & adurens. Viuum causat metalla, quamvis vnum differt ab alio, secundum quod plus existit viscositate terræ infectum, cum tamen sulphur simplex viuum, causans aurum & argentum, non est nisi vapor calidus & siccus, generatus ex purissima siccitate terrestri, in quo omnibus modis prædominatur ignis, & illud dicitur elementum cum Mercurio metallorum. Sed generatio sulphuris vulgi differt à generatione Mercurij, vt dictum est, quod aqueitas sulphuris vulgi est commista cum terrestreitate viscosissima, cum feruente calore, & facta sunt vnctuosa. Sic generatio Mercurij differt in parte secunda à generatione sulphuris istius, cum sit generatus ex terra subtilissima, albissima, sulphurea, cum limpidissima aqua, quam terra parit admistione fortissima, ita quod vnum ab altero separari non possit, donec non quiescat in superficie plana, nec adhæreat tangenti propter siccitatem terræ, quæ alterat aqueitatem ratione fortis admistionis, & ideo est

eo est elementum cum sulphure simplici omnium ductibilium. Vel proprie, simile est aliquibus ductibilibus, & ideo propter concordiam aliquam ipsorum generationum, commiscetur sulphur Mercurio, & vnum alterat aliud in natura. Quare vnumquodque corpus metallicum in se sulphur expressè habere dignoscitur & Mercurium. Cum liquescit calore mediante, apparet Mercurij substantia & sulphuris, maxime in colore & cute rubea superius natante. Sed proprium naturæ vnius est adhærentia alterius, cum vnum sine alio metallum generare non possit. Et in quantum sulphur fit magis simplex, in tantum magis gaudet & cohæret Mercurio simplici ac mundo, vt fortius vnum cum alio coniungatur, & sic tunc perfectiora ex ipsis generantur metalla.

Quod impossibile sit media mineralia artificialiter fieri metalla.

CAPVT X.

SEd quia in præcedente capitulo determinatum est, minora mineralia artificialiter non posse fieri metalla: ideo propter maiorem veritatem, restat hoc fortius probandum. Primo sic, Quia minora mineralia de prima metallorum materia, quæ est Mercurius, non sunt generata. Cum autem generatio eorum cum generatione Mercurij in primo differat in forma, & materia, & compositione: ideo etiam metalla fieri non possunt: quia vnius speciei vna est materia prima, & sperma ex quo generatur. Sed prima pars antecedentis patet, quia minora mineralia non sunt generata ex Mercurio, vt patet per Aristotelem & Auicennam. Ideo si deberent fieri metalla, oporteret quod primo transirent in materiam primam metallorum. Sed quia artificialiter id fieri nō potest, ideo metalla minime erunt. Sic secunda pars antecedentis sufficienter patet, vt declaratum est in præcedenti capitulo. Secundo ad idem: Quia minora mineralia principium artis artificialiter fieri non possunt, quod est Mercurius, ideo etiam medium & finem non pertingunt, quæ sunt metallum & tinctura. Consequentia tenet: quia nutrimentum in homine per generationem, non potest fieri homo, nisi prius conuertatur in sperma, & sic addito suo simili, nouus generatur homo. Sed quia minora mineralia à metallis extraneæ sunt naturæ, quāuis in aliqua vi minerali participent, tamen debilioris sunt virtu-

virtutis, & adustibilia: ideo natura metallica de ipsis non gaudet, sed ea respuit. Conseruat autem ea quæ suæ naturæ sunt: Verbi gratia: Si miscerentur aqua & terra, tunc separantur ab inuicem, quia terra petit fundamentum, cum sit grauis & sicca, aqua vero superficiem. Et nequaquam artificialiter sic possunt coniungi, quod istæ duæ naturæ stent in vna natura coniunctim, quamvis aqua possit abluere & mundare terram. Sed quod siccitas terræ artificialiter mutetur in humidum aqueum, credi impossibile est, licet terra madefiat aqua. Sic minora mineralia possunt coniungi cum metallis, & ea purgare, & aliquomodo nouam formam introducere, sed cum ipsis permanere, & illud immaturum maturare natura non concedit. Quare fatui sunt, qui tot & tam diuersa negotia, & sophisticationes ad decipiendum homines adducunt, scilicet res improportionabiles, quæ nec naturam dant, nec eam recipiunt, scilicet secundinas, testas ouorum, crines, sanguinem rufi hominis; basiliscum, vermes, herbas, stercus humanum: & sic de infinitis generibus stercorum; volentes cum pessimis optima perficere, & naturæ defectum cum his adimplere. Sed quia in his naturalibus, nec aliquatenus talium vnquam veram materiam imaginando sunt perscrutati, volentes stercus seminare metere triticum, quod satis videtur impossibile, vt dicitur, Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Ergo si stercus seminat, stercus inueniet. Quare non est mirum, quod nullus in tali stercore perficit, cum sint delusi, & omnes ipsis adhærentes. Semina igitur aurum & argentum, vt afferant fructum cum labore tuo, mediante natura, quia ipsum habet, & est illud quod quæris, & nulla alia res mundi: cum alia omnia sint fœtida, & naturæ cedant per ignis assiduitatem, & examen. Sunt & aliqui Alchemistæ in minoribus mineralibus laborantes, scilicet in quatuor spiritibus, vt sulphure vulgi & arsenico, auripigmento, & sale ammoniaco, volentes ex his tincturas perficere; sed illud minime facere possunt, vt patet per diffinitionem naturæ. Quia tingere non est aliud, quam tingens tinctum in naturam suam transformare, & secum sine vlla separatione permanere, docens naturam præliari contra ignem persequentem: & ita, vt natura tingentis & tincti concordent: verbi gratia, Si ex auro vel argento tinxeris plumbum, vel stannum, vel aliquod tale,

quod concordia in naturis, quia originem ex vtraque parte ex Mercurio duxerunt: & cum maturum immaturo coniungitur, cum maturo perficietur in tali via. Sed cum isti quatuor spiritus sint alterius naturæ cum metallis, vt sufficienter prius dictum est: ideo si tingunt, tunc quæro, vtrum debeant conuertere, vel conuerti. Si conuerti, tunc tinctura non est, vt prius patuit per eius diffinitionem: si autem conuertere, tunc tingendum conuertet in suam naturam, & hæc est terrena, naturæ metallicæ contraria: ideo tingendo metallum facere non potest. Quod autem tingens tingendum conuertat in suam naturam, probatur, quia omne generans naturaliter generat sibi simile, sed quia natura quatuor spirituum generans, est terrea, igitur generabit sibi simile, quod etiam erit terrea materia sicut ipsum. Sic etiam omnem aliam tincturam fatuam, quæ non inuenitur in proprietate metallicæ naturæ, despicias cum vijs alijs naturæ extraneis, quia in ipsis non est aliud, nisi rerum consumptio, temporis perditio & laboris, cum omnia ista apparenter sint metalla, & non existenter, quæ per minora mineralia, vel consimilia sunt præparata. Et ergo stultum est, quærere in re, quod antea non fuit in illa, sicut verum aurum & argentum in rebus fœtidis & adustibilibus.

De differentia sulphuris vulgi, & Philosophorum simplicis, non adurentis.

CAP. XI.

NVnc quærendum est de differentia sulphuris simplicis Philosophorum non adurentis, & sulphuris vulgi. Cum philosophus generaliter loquatur: sulphur coagulat Mercurium. Vtrum omne sulphur Mercurium coagulet? Dicendum est quod non. Quia omne sulphur vulgi, secundum Philosophum, metallis est contrarium. Item Auicenna: Non intrat in magisterium nostrum, quia non est ortum ab eo, cum semper inficiat, denigret, & corrumpat, quocunque modo per artificium præparetur. Est enim ipsum ignis infectus. Ergo si figitur, fusionem impedit, nec est possibile corpori coniungi, cuius exemplum cernitur in ferro, quod sulphur fixum, grossum, immundum in se habere dignoscitur. Si vero calcinatur, in terream redit substantiam, vt puluis mortuus. Et quomodo posset alijs metallis vitam inspirare? Habet enim duplicem superfluitatem, inflammabilem substan-

tiam

tiam, & terream fœculentiam. Igitur per hoc considera sulphur vulgi, & non Philosophorum, cum sit ignis simplex, viuus, viuificans alia corpora mortua, & ea maturans, & ita quod naturæ defectum supplet, cum ipsum sit per se superfluæ maturitatis, secundum quod in sua natura est perfectum & per artificium magis ac magis depuratum. Vnde iterum Auicenna: Tale sulphur non reperitur super terram, nisi quantum existit in istis duobus corporibus Sole & Luna. In Sole autem perfectius, quia magis est digestum & decoctum. Philosophi autem subtiliter sunt imaginati, quomodo ex istis corporibus perfectioribus sulphura illa elici possent, & ipsorum qualitates melius purgari per artem, vt hoc fieret in arte mediante natura, quod antea in ipsis non apparuit, quamvis plenarie occulte habuerint. Et hoc nequaquam fieri concedunt sine corporis solutione, & in primam materiam reductione, quod est argentum viuum, ex quo facta sunt ab initio, & hoc sine vlla admistione rerum extranearum, cum extraneæ naturæ lapidem nostrum non emendent: quoniam nihil conuenit rei, nisi quod propinquius est ei, cum sit medicina simplicis, ac mineralis naturæ, ex aqua Mercuriali producta, in qua aurum & argentum prius sunt soluta. Verbi gratia: Si in simplici aqua congelata glacies* ex niue creauit virtus, in ea soluitur per calorem, & redit in primam substantiam aqueam, & sic aqua tingitur ex virtute, quæ occulta fuit in glacie. Si autem glacies non resoluitur per calorem in aquam, non coniungitur aquæ, in qua iacet, nec illa aquam tingit sua virtute, quæ in ea ante coagulata fuit ex parte specierum. Sic eodem modo, si corpus non resolueris in Mercurium per Mercurium, occultam virtutem ex eo habere non potes, puta, sulphur digestum, & decoctum per opus naturæ in minera. Sic lapis est vnus, vna medicina, quæ secundum philosophos dicitur Rebis, id est ex bina re, scilicet ex corpore & spiritu albo vel rubeo, in quo multi fatui errauerunt, diuersimode exponentes illud:

Est Rebis in dictis rectißima norma figuris.

Id est, duæ res, & hæ duæ res sunt vna res, id est aqua coniuncta corpori, qua corpus soluitur in spiritum, id est in aquam mineralem ex qua factum est ab initio: & sic ex corpore & spiritu fit vna aqua mineralis, quæ dicitur elixir, id est, fermentum: quia tunc aqua & spiritus est vna res, ex qua fit tin-

ctura & medicina omnium corporum purgandorum, quod multis fatuis videtur impossibile. Igitur ex vna re, quę est aqua corporis, & spiritus, medicina perficitur. Vnde versus:

Hæc fallit multos sua per problemata stultos.
Ars vnam poscit rem, quam quiuis bene noscit,
Hanc optant plura rem, res sic est tamen vna.
Illi non similis praest. precio quoque vilis,
Nec contemnenda, nam perficit illa stupenda.
Hanc tu fixare debes, & in igne domare:
Sic quod & ascendat & rursus ad infima tendat.
Dissipa rem captam, per rem prius hanc satis aptam,
Leniter extractam sic massam contere factam.
Hæc non festinet, sed temporis ordine fiat.

Item alij versus, quod corpus grossum fiat spiritus subtilis, id est fixum volatile: & è conuerso, volatile fit fixum,

Aspera res lenis quoque fit vasis in amœnis.
Quæ dum calcatur, tamen à doctis adamatur.

Alij versus, quod vice versa fit fixum.

Sed dum fixatur hæc res, & in igne domatur.
Hanc tegit vmbra sua, rerum substantia quinta.

Id est fermẽtum secundum, qualiter incepisti, taliter finias cum fermento. Alij versus de Inceratione, cum funditur, tunc omnia cum eo funduntur.

Omnia coniungit, si funditur, omnia fundit.

Et sequuntur plures versus secundum Albertum, ad quos remitto studiosos. Et sic exposui tibi quid sit Rebis, & elixir, & Medicina, & vnde dicantur, & quæ sit aqua Philosophorum, ex qua viua fiunt elementa postea, & è conuerso vnum fiant. Versus,

Quatuor ex vno fiunt, & quatuor vnum,
Hæc sunt secreta, sic gaudebis sine meta.

Et si secundum Philosophos habemus naturam sulphuris & Mercurij super terram, ex quibus aurũ & argentum factum est sub terra. Ex his dictis videtur, quomodo ars imitatur naturam, & per nullum alium modum.

Quomodo sulphur album & rubeum existat in Luna & Sole.

CAP. XII.

CVm sit dictum, quod sulphur Philosophorum rubeum, existat in Sole, per maiorem digestionem & sulphur album

album in Luna per minorem digestionem. * Vnde Philosophus: Citrinatio non est aliud quam completa digestio. Nam calor agens in humidum, primo generat nigredinem, & agẽs in siccum generat albedinem, quam albedinem ignis transcendit, agens in eo, purissimam citrinitatem causat. Et hæc omnia in plumbi calcinatione attendi possunt. Etiam dicit Philosophus: quod iam actu vnumquodque perfectorum corporum suum sulphur bonum cum Mercurio contineat, scilicet aurum aureum, & argentum argenteum. Ideo sulphur album per citrinitatem fit aureum, eo quod sulphur rubeum, id est ignis substantia est ibi, qui hoc album plus digessit, & sic sulphur album & rubeum ex vtraque parte existit in Sole. Quare ignis est summa eius perfectio, vt in igne generati. Et ideo amicabiliter congaudet natura suæ igneæ naturæ. Vnde quæritur: Vtrum aliquæ res extraneæ hoc in corporibus possint causare? Cum ars non sit aliud, mediante natura, nisi coctio & digestio illius naturæ per simplicem laborem. Verbi gratia. De mane cum surrexi, & video vrinam meam albam, iudico me nimis parum dormiuisse, repono igitur me ad dormiendum, & accepto somno, vrina fit citrina, & hoc nullo alio modo fit, nisi per digestionem caloris naturalis in me existentis. Sic sequere naturam per artem similiter decoquendo, digerendo & maturando, & subtiliando, cum iam actu contineat natura in se ignem naturalem, quo maturatur, hunc aliæ res non habent, & eum dare non possunt. In Luna vero non est, nisi sulphur simplex album, non tantum digestum sicut rubeum, cum non sit nigredine priuatum per actionem caloris, quem in se naturaliter continet, sed ignis species est obtecta, & occulta, agens tam in arte, quam in natura, & è conuerso. Et ideo non est impossibile, quod ars, mediante natura, hoc plus digerat & perficiat, cum naturaliter natura apperat perficere: sed per se non potest, nisi iuuetur arte & operatione: quamvis isti labores, vt credo, non perueniant ad hominem duræ ceruicis. Quia boni laboratores raro inueniuntur: Et ideo non fit verum argentum & aurum, nisi fiat ita digestum & decoctum, vel vt medicina, cum qua tingitur, & in melius melioratur peius. Quia omnium Philosophorum intentio est, cum meliori peius perficere. Quod fatui contrarie intelligunt: quia cũ peiori melius perficere nituntur, & hoc quærunt

in re, quod nunquam fuit in illa, scilicet aurum & argentum in stercoribus, & in rebus adustibilibus, & hoc faciunt sophistice, vt appareant hominibus vera, vt dictum est prius.

Quod in alijs corporibus ægris, non est vtile hoc sulphur quærere, cum in ipsis non sit.

CAPVT XIII.

QVæri vero non immerito potest, vtrum in alijs ægris corporibus, hoc sulphur, scilicet album & rubeum, ad Mercurium tingendum elici possit? Dico quod non. Quia prius dictum est, quod in ipsis non est aliqua materia maioris temperantiæ, & minoris fæcis, quam in istis duobus corporibus, quibus insunt radij tingentes, quibus vti possis ad tingendum, sed cum alijs non tinges, cum prius dictum sit, quod in se contineant sulphur fœtidum & adustibile, & non virtualis naturæ, sicut in istis, cum omnis ars non valeat nisi præhabita natura, quam sequatur. Posses tamen purgare metalla imperfecta cum minoribus mineralibus, & cum purgata essent, non haberent auream vel argenteam naturam in se, quia decoctio vel digestio aurea non fuit in eis, sicut in istis duobus corporibus nec sulphur ita maturum, & ideo ipsis immaturis succurrendum est cum maturo, vt maturentur. Igitur non tingunt, sed tinguntur, quia tinctura auri vel argenti, in ipsis habet proportionabilem naturam, quia cum eis originem ex Mercurio duxerunt. Ex ijs manifeste patet, quod minora mineralia tingere non possunt. Quia si corpora imperfecta metallica, quæ conueniunt cum auro & argento ex parte Mercurij tingere non possunt, nec naturam auream siue argenteam infundere, quomodo tandem illa facere possent, quæ non conueniunt in aliqua natura cum eis? & ideo non est tingendum, nisi cum illis, quibus inest virtus tingendi. Tinge ergo cum auro & argento, quia aurum aureum, & argentum argenteum tribuit colorem & naturam. Quare omnia alia despicias, cum ipsis nullus fructus sit, sed solum rerum perditio, nec non temporis & laboris.

Quod aurum curet infirmitates, & alia corpora metallica.

CAP. XIV.

CVm autem inter vulgares & dictos Philosophos aurum famam teneat, quod in prima dispositione manens, lepra curet, & plures alias virtutes habeat, hoc non

est

est nisi propter completam eius digestionem, quia excellentia ignis in eo agens omnes malos humores consumit in corporibus ægris existentes, tam in calidis quam in frigidis causis. Sed hoc argentum facere non potest, quia tantam superfluitatem ignis non habet, & tantum non est digestum, & coctum naturali maturitate. Tamen isto non obstante igneitatem in se occulte & virtualiter habet, sed non ita plene, quia adhuc ignis non vincit alias qualitates elementares sicut in auro. Et ideo argentum in sua prima dispositione manens, non curat lepram ita potēter, nisi prius per artem digeratur, quousq; habeat summos gradus auri, & omnē maturitatem. Quare alia ægra corpora metallica, minus curant infirmitates, secundum quod magis differunt in perfectione & maturitate ab eis. Aliud minus, aliud magis differt, & secundum hoc minus curant, quod est ex defectu sulphuris infecti, fœtidi & vrentis, ex quo in genere coagulationis facta sunt ab initio, & ideo non curant, cum ignis in ipsis ita infectus sit, elemētaribus fæcibus, & vrēs, cum admistione aliarum elementarium qualitatum.

Nunc ad propositionem primam virtutis auri curantis. Cum autem tanti vigoris sit promulgatum, & hoc in prima sua dispositione manēs: Quid est mirum, si in medicinam (sicut expertum est) per artis ministerium sequentis naturā redigatur? & eius virtus subtilietur per digestionem decoctionis, & qualitatū purgandarū, ꝙ plures ac infinitas, seu omnes ægritudines tunc habeat curare? Quod patet per Arnoldum de Nouauilla expertissimum medicū huius summi operis, qui Dominum Apostolicū, Dominum Innocentiū à peste incurabili cū hac medicina * tinctū, & opere naturæ per artis ministerium, nō est aurum, aut argentū vulgi, quoniam additur eis additio magna, in prosperitatibus multarum vtilitatum, ad omnem ægritudinē cuiuslibet generis expellēdam. Et nominanter has assignauit virtutes. De sene facit iuuenē, & senē reuirescere facit naturam, conseruat sanitatem, roborat infirmitatem, omnem corporis expellit ęgritudinem, venenum declinat à corde, arterias humectat, liuidam immunditiem à pulmone dissoluit, vulneratum consolidat, sanguinē mundificat, lapidem frangit, contenta in spiritualibus purgat, si caput reumaticum est, purgat a fluxu, stomachum in calore naturali confortat. Et si ægritudo fuerit vnius mensis, sanat

eam in vno die vel hora: si vero ægritudo fuerit vnius anni, sanat eam in octo diebus: si vero morbus fuerit antiquus lõgo tempore, cum alijs medicinis incurabilis, sanat eam in dimidio mense. O felix scientia cum sciente. Quare non immerito hæc medicina super omnes alias medicorum medicinas est quærenda, quia qui habet eam, incomparabilem habet thesaurum, & in salubri constellatione natus est, in hoc seculo diues, diuitijs infinitis super reges & principes huius seculi. Quis non diligeret talia, quæ sanum & longæuum se vtentem, supra omnes medicorum medicinas conseruant? cum ipsum ditent, & alios non depauperent. Hæc sunt bona iusta coram Deo & hominibus, non per vsuram acquisita, seu fraude & deceptione mendacium, ac per mercimonia in deceptionem plurimorum, vt in omnium aliorum bonorum acquisitione: quia hæc ars est speciale donum Dei, vt dicitur: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Sed è contrario, ait beatus Augustinus ad omnes alios Alchemistas, qui homines sophisticationibus deludunt: Vos deceptores estis, & sententia excommunicationis aggrauati, cum vestra opera, elementa falsa sint & mala. Et excludens seu saluans artifices naturam imitantes, quamuis pauci huius artis veritatem summe cognoscere valeant, vt supra ad propositum dictum est de virtute huius medicinæ. Sic truffatores in stercore aurum & argentum quærentes in libris ipsorum proprijs, quos & ipsi propriè composuerunt, & ipsos tamen composuisse Philosophos testantur, quod veritas non testatur, quoniam veritatem posuerunt: Quum veritas Philosophorum (vt dictum est ab aliquo) in forma mendacij non cernitur vnquam fuisse reperta, sed semper naturæ motum & modum imitantur. Sic enim in libris vestris scribitis in arte Alchemiæ. Caueas tibi ab odore eius, ne te interficiat. Ecce qualis medicina, quæ quum viuificare deberet, mortem inducit. Quare hoc non est mirum, quod sit res toxicatiua, cum antea ex stercoribus & venenosis receptis sit composita. Videte fatui, quomodo vestra opera differant ab operibus naturæ. Quare tantum fatigamini in huiusmodi rebus altis, ad quæ peruenire non poteritis taliter laborando? nisi miraculose fieret contra naturam, vt accidit beato Ioanni, qui de virgis fecit aurum & argentum, confisus in potentia Dei, & de arena maris lapides

pre-

preciosos. Dico enim vobis, qualis est medicina, tale fit & aurum & argentum. Cum merdam seminaueritis, merdam metere visi estis, & apparentias sophisticationum. Reuertamini fratres ad viam veritatis, qui eam ignoratis, quoniam propter vosmetipsos consulo studere & laborare, sapientum dicta reuoluendo, ex quibus veritas elici potest: & non casualiter, aut temere opera accedite, per hoc ꝙ scribitur. Recipe hoc vel illud, id est merdam, & fac stercus. Scitote quod hæc ars a Philosophis occulte tradita est propter eius nobilitatem, & non æstimate eam in foro esse venalem, aut vendendam & emendam, sicut libri vestri multarum falsitatũ cõtinent. Vnus emit, alter vendit, discas mihi merdã, & ego te docebo stercus. Sic permerdatus alium permerdat, & omnis mundus existit quasi permerdatus. Volentes ergo alios ditare, vos ipsi infinitis paupertatibus estis subiecti. Fratres reuertimini, cum Sapiẽtia cognoscat vos errare cum libris vestris. Philosophorum vero libros perlegite, & perlectos repetite. Si autem repetitos non intellexeritis, non Doctores, seu Philosophos reprehendatis, sed vestræ ignorantiæ calumniam reddatis.

Quod duo particularia tantum sint vera in hac arte, quorum primum est in Mercurio.

Cap. XV.

Primum vniuersaliter omnibus intuentibus, ad quas præsentes peruenerint, declaro, quod in totius huius artis serie, non sunt nisi duo particularia, quæ particulariter perficiuntur secundum Philosophos & naturã. Quamuis deceptores infinitas sophisticationes, dealbationes, & rubificationes faciant, quib. fideles deluduntur Primum particulare, tã in albo, quã in rubeo, existit in Mercurio, sine administratione medicinæ perfectæ, licet corpus, cum quo perficitur, in se ipsius tincturam contineat particulariter, si moueatur arte & operatione, veluti natura requirit, Primum quod in natura particulariter ex vtraq; specie perficitur, est cum Mercurius sit prima materia omnium metallorum, compositus ex terra alba nimium sulphurea & aqua clara, & ideo albedo terræ transpareat limpiditatem aquæ, & fit color in eo albissimus, vt docet experiẽtia, & hic sit imaturus, possibile est ex eo fieri Solẽ & Lunã. Vnde Philosophus: Admisceatur alijs corporib. metallicis, quia sunt de materia eius, & ipsa generata sunt

ab eo

ab eo, & ideo per artificium illud sibi potest mittere digestam naturam in eum, vt cum eis perficiatur. Et sic quibus complectitur metallis fit similis ipsis, sine aliqua admistione extranea, cum simpliciter natura congaudeat suæ naturæ, & nō per aliud medium extraneum, scilicet cum Sole Sol, cum Luna Luna, cum Venere Venus, & sic de alijs, quia vnumquodq; mittit in illum vim suam, etiam quia continet in se sulphur suum bonum immaturum, quod per artem maturatur. Quare alia metalla sic coagulata & infecta per sulphur particulariter, sicut ipsum Sol & Luna fieri non possunt. Prima ratio est. Si enim corpora imperfecta metallica transformarentur & admiscerentur cum Sole & Luna, tunc ipsorum Mercurius haberet illud in se præhabitum sulphur malum: & si purgarentur, adhuc in tantū purgari nō possent, quod reducerētur in Mercuriū, sicut ante talem superfluitatem, nec etiam posset corpus perfectū in eo dissolui. Et cum in eo dissolui non posset, naturis ex vtraq; parte seratis, vnumquodq; in examinatione ab altero separaretur ex quo non haberet in se naturam pfectam occultare, cúm qua solutiones propriæ ipsorū perficere possent, mediante arte, vt alia corpora perfecta subuenirent cum natura sua, quæ naturaliter est perfecta. Secunda ratio: Si insoluta adiungerentur perfectis corporibus, minus aurum & argentum fieri possent, cum naturaliter per cōgelationem ex vtraque parte naturæ eorum seratæ sint: & cum non sit medium aperiens illas naturas, nec vna vis in aliam coniungi possit naturali coniunctione, nec mitti, ita vt redeant in Mercurium, ex quo ex vtraque parte originem duxerunt: Ideó per asperitatem ignis ab inuicem separantur, scilicet per combustionem naturæ imperfectæ, & per resistētiam naturæ perfectæ, vt bene cernitur. Sed cum coniungere volueris, facias medium per Mercuriū, q̄ dissoluit & aperit naturas, vt simpliciter vnū possit transire in aliud, & perfectā vim mittere in imperfectum, vt secum perficiatur. Et hi sunt labores viæ particularis, quib aurum & argentū fieri potest, sed vniuersaliter non. Nota. Mercurius crudus dissoluit corpora, & reducit ea in primā materiam, sed Mercurius corporū hoc facere nō potest. Est enim propter cruditatē sui sulphuris, quod in prima habuit alba terra, ex qua cum aqua clara fact⁹ est ab initio, quia illud crudum semper appetit corrodere, q̄ suæ naturæ vicinius est: primo aurum, secundo argentum, & sic

ſic de cæteris. Quare alter Mercurius corporũ ſic facere non poteſt, quia per congelationẽ illud crudum ſulphur, ꝙ antea fuit in illo, eſt alteratum in natura, & ideo non corrodit ſicut primum, nec ſeratum aperit, & ideo vna vis non mittitur in aliam, ſed vnumquodq; manet per ſe, quamuis confluctualitet ſint coniuncta, ſecundo naturaliter ex vtraq; parte ſunt ſerata. Quare in examinatione, & per aſperitatẽ ignis imperfectum comburitur, cũ vna natura alteri ſuccurrere non poſſit. Sed cũ arg. viu. crudũ hoc facere poſſit, ſcilicet naturas ſeratas aperire, vt vnaquæque res ſuæ naturæ vicinæ ſit adiuuamen: ideo ſi diſſoluerit argentum inueniet argenteam naturam, & ſi aurum, inueniet auream naturam, ſi plumbum plumbeam, & ſic de alijs, per ipſorũ ſulphur congelatur, vt dicit Philoſophus, & ſimile fit illis. Si vero iſta corpora quæ ſuam naturam participant, ſcilicet imperfecta non poſſunt ipſum perficere, minime iſta, quæ ſuæ naturæ non ſunt, nec in minerali cum eo participant, ſicut tu quæris in multis ſtercoribus. Et ideo eſt particulariter poſſibile ex eo fieri argentum & aurum, & in alijs corporibus non, vt audiuiſti. Nota: Duplex eſt ſolutio corporum in Mercurium, Per Mercurium ſcilicet in Mercurium, & in aquam Mercurialem. Prima ſolutio requiritur ad particularia, ſecunda ad vniuerſalia. Prima ſolutio corporum in Mercurium, non eſt aliud niſi congelati reſolutio, id eſt, quod per ſolam ſolutionem ſeratum aperitur, propter ingreſſum vnius naturæ in aliam, & iſta reſolutio eſt in particularibus. Secunda ſolutio eſt in aquam Mercurialem, & hæc eſt in vniuerſalibus: & iſta non fit per ſolam ſolutionem ſulphuris immaturi in Mercurium, ſed per putrefactionem corporis & ſpiritus in calido & humido. Cum putrefactio omnium rerum natura ad inuicem ligatarum, fit ſolutio & ſeparatio, & ſic ſeparentur partes ad inuicem ligatæ, vt vnaquæque pars ſeparetur ab alia. Et hoc fit per ſolutionem elementorum, quæ in generatione Mercurij ſunt connexa, ſcilicet aquæ & terræ. Et eædem partes cum purgatæ fuerint in natura per conuerſionem coniunguntur, & plus ſe diligunt propter ipſorum mundificationem quam antea: quamuis iſta ſeparatio fieri non poſſit in corporibus, niſi per ſpiritum. Et ſic ars tranſcendit naturam in vna via, quod artificialia ſubito fiunt, cum tamen naturalia ante prolixe facta fuerint. Non credas quod ſint elementa vulgaria,

ſicut

ſicut aqua nubis, & conſimilia: ſed humidum aqua, frigidum terra, calidum aer, ſiccum ignis. Et ſic ſunt in naturis rerum elementatarum, cum nequaquã ars poſſit partes ita naturaliter ſeparare, quod ſimpliciter in elementa ſecundum quod fuerint, transmutentur, cum primo natura mutauit vnam qualitatem in aliam. Taliter ars bene ſeparare poteſt, vt humidum à ſicco, frigidum à calido ſeparetur. Sed tamẽ vna qualitas adhuc de naturali commiſtione poſſidet naturam alterius in aliqua parte, per hoc poſſunt per artem viceuerſa coniungi, ſicut diuiſa ſunt. Si enim vna qualitas non participaret naturam alterius, ſcilicet aqua naturam terræ in frigiditate, & aer aquæ in humiditate, & ſic de cæteris: tunc ſequeretur, quod naturale opus eſſet totaliter deſtructum, cũ ſimplicia eſſent elementa, ſicut antea fuerant ante Mercurii generationem, & ars deſtruxiſſet naturam à capite incipiens, ſcilicet ab auro & argento, vſque ad primum, id eſt, argentum viuum: & vltra iſta principia ad ſimplicia elementa, ſecundũ quod antea fuerunt ante Mercurij generationem, quod tamen ita remote in arte eſt impoſſibile. Et ſi eſſet poſſibile, tunc ſequeretur, quod de nouo extra primam materiã, Mercurij ſcilicet metallorum, ars componeret elementa, & viceuerſa generaret Mercurium, ſicut deſtruxiſſet, quod eſt impoſſibile artificialiter fieri. Sed bene ars deſtruit à capite vſq; ad pedes, id eſt, Mercurium à pedibus ædificans vſque ad caput, in ſubtiliori forma naturalis ſubſtãtiæ, quam antea fuit. Sic diuiduntur ſpecies rerum, cum in aliam formam transmutantur, quam antea fuerunt, quod dicit Ariſtoteles: Sciãt artifices Alchemiæ, ſpecies rerum transmutari nõ poſſe, quod verum eſt, vt ipſe confirmat, niſi in primam materiam conuertantur, id eſt, in argentum viuum, & vltra hoc non conſulo, cum fieri ſit impoſſibile.

De ſecundo particulari, quod eſt in Luna.

CAP. XVI.

QVum ſuperius dictum ſit, quod Luna contineat in ſe ſulphur album, ſicut aurum, cum ignis ſpecies ſub albedine in eo obtecta ſit: ideo omne argẽtum eſt poſſibile fieri aurum, vt dicit Philoſophus: Non eſt aurũ quod nõ prius fuerit argentum. Sic argentũ cõtinet in ſe aliquas qualitas indigeſtas, quæ poſſunt ab eo purgari, ita quod per artem particulariter transeat in Mercurium fixum, id eſt, inuici-

viciniſſimam naturam auri, quia tunc omne illud continet in ſe, quod & aurum, per appoſitionem ſulphuris rubei Philoſophorum, per hoc plus digeritur, & citrinatio in eo cauſatur in adiunctione corporis perfecti, cum fuerint ſimpliciter vnius naturæ. Hoc autem in aliis corporibus fieri eſt impoſſibile, cum tantam vicinitatem naturæ perfectæ non habeant, ſicut ipſum: quia eſt impedimentum in generatione ipſorum per ſulphur aduſtibile & fœtidum; nec ipſa ſunt medium, de quo loquitur Philoſophus: Non fit tranſitus ab extremo in extremum, niſi per medium: id eſt, ex Mercurio non generatur aurum, niſi prius fuerit argentum, nec in ſe habẽt ſulphur ignis ſimpliciter non vrentis ſed ſulphur adurens, & ideo in Mercurium fixum particulariter transformari non poſſunt, cum ſemper prædictum ſulphur ea comburat per ignis examinationem. Et ſic habes rationes, quomodo particulariter aurum & argentum fieri poſſunt.

De Sophiſticis particularibus.

CAP. XVII.

ARiſtoteles dicit: Sciant artifices Alchemiæ, ſpecies rerũ transmutari non poſſe, ſed ſimilia illis facere poſſunt, & tingere rubeum citrino, vt videatur aurum, & album tingere, donec ſit multùm ſimile auro vel argento. Poſſunt quoq; plumbi immunditias abſtergere, vel alterius corporis, vt videatur aurum vel argentum: veruntamen plumbum ſemper manet plumbum, cum in ſe non habeat aurum & argentum, ſicut prius dictum eſt; vt hi, qui accipiunt ſalem ammoniacum, vel alia minora mineralia, vt in ipſis fallãt homines, ſed aurum & argentum ſophiſticum faciunt. Coniunguntur enim ſtannũ & cuprum cum Mercurio, vt appareat hominibus argentum, & aliquo modo fabricabile, & in igne examinabile, ſecundum eos qui in igne experti ſunt, qui tamen in hoc deluduntur, & in examinatione naturæ. Aduſtibile & fœtidum, ſecundum quod eſt, veram naturam argenteam non habet in ſe, ſicut apparet in colore & in examinatione aliqualiter. Prima ratio eſt, Cuprum continet in ſe Mercurium mundum aliqualiter, niſi in quantum in ſulphure exiſtit defectus, quia ſulphur fœtidum & aduſtibile habet, quod in quantum aduſtibile, comburit: & rubedinem non ratione digeſtionis habet, ſed ratione ſulphuris rubei & immundi, tamen Mercurius habet ſubſtantiam præ ſulphure, & ideo tardius

dius in igne deficit, quam plumbum vel stannum: quoniam Mercurius resistit, nisi in quantum violentiam patitur à sulphure sibi commisto. Et quod per plumbum citius comburitur, hoc est ratione Mercurij plumbi imperfecti, quia infectus Mercurius cum infecto sulphure, sicut plumbum est, quærit aliquid vicinum suæ imperfectioni, & cum argentum & cuprum commista sunt, in argento non inuenit aliquam rem infectam, sicut in cupro, vbi inuenit primo sulphur adurens, cui citius commiscetur. Et in commistione vniuersali Mercurius cupri magis inficitur, cum plumbum sit ex vtraq; parte, scilicet Mercurij & sulphuris infectum, & plus malum citius adhæreat malo, quam bono. Et in quantum maius malum malo cohæret, in tãtum debilius & peius erit. Et ideo citius coadhæret cupro, quam argento, inficiens, & comburens illud, cum natura cupri & argenti, vt audiuisti, ex vtraq; parte sint seratæ, peiori subuenire non possunt: & ideo comburitur cuprum ab argento, quæ fluctualiter coniuncta fuerunt. Naturaliter autem ex vtraque parte naturæ eorum sunt seratæ. Et sic bene plumbum comburit cuprum ab argento, quod tardius separatur sine plumbo: quoniam in quantum magis comburitur, in tantum debilius erit & combustibile. Sed in coniunctione stanni cum cupro & Mercurio, Mercurius aperit aliquo modo naturas seratas, & coniungit hæc duo, scilicet stannum & cupum. Nam cum ex vtraque parte aliquo modo mundum habeant Mercurium, & sulphur malum debiliter commistum, cõiungitur Mercurius Mercurio: sed quia habet potentiam sulphuris, variando colorem cupri, qui existit in sulphure, ita quod noua forma appareat, & iam ita cito sulphur comburi non possit, sicut ante ipsum Mercurium, & Mercurius crudus coagulatur per ea, & alteratur cum ipsis in natura, sic vt aliquo modo appareat argentum, quamuis verum argentum non est, cum in eo non fuerit debita digestio & decoctio, & sulphur non sit ita simplicis & virtualis naturæ, sicut ipsum argẽtum viuum, cũ aurum & argẽtum ex vtraq; parte sui Mercurij & sulphuris sufficienter sint digesta, & bonæ maturitatis, & in omni digestione perfecta. Sic habes argentum sophisticum ex stanno, cupro & Mercurio: & si tunc admiscerent aliquos pulueres minorum mineralium, tunc magis debilitarent sulphur, & sic non esset impossibile, quod Mercurius ageret super potentiam naturalem

ralem, sed semper in fine diminuitur, & comburitur in igne, cum sulphur non sit virtualis naturæ, sicut ipse Mercurius, sed semper occulte comburens, & inficiens Mercuriū, quamuis Mercurius sit suppeditatus, & sic postmodum in stercus redeat, secundum quod stercus fuit. Sic intellige, quomodo verum aurum & argentū differant ab auro & argento sophistico, quamuis plures sophisticationes fiant eodem modo per alia metalla in rubeo, vel in albo, adiunctis medijs mineralibus, vel aliquot ipsorum. Sunt vero ipsi laborantes delusi, æstimantes bonum secundum apparentiam, hoc facit ipsorum ignorantia, quod non cognoscunt naturas metallorum.

De via vniuersali, sermo generalis.

CAP. XVIII.

DEterminato Prologo huius artis, & particularibus eius, nunc dicemus de via vniuersali, in qua ars imitatur naturam. Est autem via vniuersalis, vt audiuisti superius, possibilis in naturis metallorum, plantare ramos, in quibus crescunt flores miri odoris, & rosulæ tam albæ, quam rubeæ. Primum autem incipere, est soluere lapidem in suam primam materiam, & est coniunctio corporis & spiritus, vt ex eis fiat vna aqua Mercurialis. Vnde Auicenna: Primumq; incipere, est soluere lapidem in suum Mercurium. Vnde Rasis Philosophus: Nisi corpora soluas, in vanum laboras, scilicet argentum & Mercurium, ad elixir album: & aurum & Mercurium ad elixir rubeum. Et hoc in balneo rorido, ratione putrefactionis, vt corpora viscositate aquæ Mercurialis soluantur. Vnde Parmenides: Cum coniuncta est in vnum permanens aqua, cum qua fuit ab initio, postea sequitur elementorum diuisio, & ipsorum purgatio. Vnde Albertus Magnus: Quatuor ex vno fiunt, & quatuor vnum: id est, ex aqua mercuriali. Tertium est terræ mundificatio, de quo dicit Morienus philosophus. Hæc aqua cum terra sua putrescit, per hoc magisterium totum dirigetur. Vnde Rasis philosophus, Iunge siccum humido: humidum est aqua, siccum vero terra. Postea sequitur terræ sublimatio, de qua dicit Parmenides philosophus. Ipsum dealbatum cito igne sublimate, vt exeat ex eo spiritus, quem in ipso inueneris, & terra maneat calcinata, de qua terra dicit philosophus Parmenides & Morienus, Sic cinerem qui est in fundo, ne vilipendas, quia est diadema corporis tui, & permanentium cinis. Sic sunt

quatuor elementa ſic præparata, vt ſuperius intellexiſti. Nec coniunxeris ea ante ipſorum mundificationem, cum propter eorum immunditiam ſeparentur, quod dicit Aſcanius: Spiritus non coniunguntur corpori, donec à ſuis immunditijs perfectè fuerint denudati. Et fermentum album & rubeum coniunguntur, ſecundum quod elemēta ſunt alba vel rubea. Si alba, tunc requiritur ignis: ſi rubea, tunc elementa per ignē rubificantur, vt ipſa digerat, maturet, conſolidet, & abſorbeat ſordes aquarum in coniunctione. Habeat proportionabiles virtutes quatuor elementorum, terræ in frigiditate & ſiccitate, aquæ in frigiditate & humiditate, aeris in humiditate & calidate, ignis in caliditate & ſiccitate. Ignis & terra extrema ſunt elementa. Aqua & aer ſunt media elemēta, quæ coniunge per debita & vera pondera, vt plus diligant ſe quam antea: primo terram cum aqua, ſecundo aerem cum igne. Et ſic conuerte naturas, & quod quæris inuenies. Tunc terra habilis eſt ad ſoluendum, aqua efficax ad mundandum, oleum vel aer in quo portatur ſpiritus ad miſcendum: ignis ad tingendum. Sic corpus retinet ſpiritum, ſicut ſpiritus retinet animam cum adiunctione fermenti.

LIBELLVS ALIVS ΠΕΡΙ' ΧΗΜΕΙ'ΑΣ VTILISSIMVS, ET RERVM METALLICARVM COGnitione refertiſſimus, Roſarius Minor inſcriptus, incerti quidem, ſed harum tamen rerum non imperiti Auctoris.

PRÆFATIO.

Ænigma de arte Alchemia, & de modo tractandi Auctoris. CAP. I.

INquit Auctor libri, qui Roſarius dicitur, Deſcēdi in hortum meum, vt viderem plantas diuerſorum naſcentium, & inter flores cæteros Roſarij mei, inueni roſam niueam, ſeu albam,* itemq; ſanguineam, ſeu rubedine decoratam, elegi pulcerrimam, & inſpexi quod paucæ & raræ, quia non germinauerant mala punica. Dixiq; voce non tacita: Reuertere, reuertere, Hortulane, reuertere & augmenta Roſarium meum, per totum hortum multiplica, ſeu de nouo conſtrue & planta, vt decoretur hortus albis & rubeis roſis ſplendentibus,

bus,superfluisque abstractis & reiectis, vtilibus & necessarijs diligenter intende. Ipse autem Hortulanus rosarum plantas separauit,& replantauit, augmentauitq; duplicando, triplicando, quadruplicando,& sic vicissim multiplicando,vsq; ad albedinem plenam,& deinde ad rubedinem perfectam. Sed hoc totum per augmentationem plantarum, quod mihi placuit. Innuebat autem adhuc non satisfecisse. Quicquid tamẽ circa hoc erat scibile,mihi plenarie demonstrauit: posuitque idem tempore debito rosas albas & rubeas in terra sua, dimisitque eas increscere in terram suam,dico propriam, vnde egtediebantur.Et in primo anno subsequenti egressa est planta,quæ annuatim mille millia rosarum produxit.Et ecce hortus meus iam rosarijs impletus est, educentibus sufficienter pro me rosis,& pro omnibus intrantibus annuatim. Deo itaque reddo laudes & gratias Hortulano gratas. Et in hoc codice,cæteris meliori, qui non sine causa Rosarius intitulatur, cuncta quæ vidi,& vera probaui,intelligentibus,sapientibus, & artifici idoneo perfecte scribam, vt quicunque per portas, Hortulano mediante, ad hunc Rosarium ingressus fuerit, non solum de rosis partem habebit, sed videbit etiam artes cunctorum operantium in Rosarium album, vel rubeum, & per consequens acquiret discretionem discernendi circa hoc, intentionem scripturarum omnium, vbicunq; magisterium obscurum videbitur & manifestum.Nam in hoc est veritas omnino nuda,& etiam vestita. Nuda scientibus & discretis in propinquioribus naturis minerarum: vestita autem stultis,in remotioribus,imo impossibilibus naturis vegetabilium, & animalium secundum solum textum magistrorum artem inuide obscurantium laborantibus. Perfectam enim vobis scribo veritatem,& operationes certas & veras,& integras,sine deuiatione aliqua.

Admonitio. Cauenda duo genera seductorum,& quod ars consistat in Mercurio fixo.

Cap. II.

Sed vere vere, multi venient pseudophilosophi post me, qui seducent operantes,quorum in genere tantummodo duos inuenio, scientiam istam cooperientes. Primus est ignorans artem, & sophisticus: secundus vero sciens & Philosophus inuidus. Primus componit libros deceptorios,

deceptiones suas & sophistica testificantes, & scribit super capita ipsorum titulos Philosophorum bonorum, vt videantur habere bonam artem, & elixir perfectum. Et vt magis credatur ab hominibus, ferunt pulueres lapidum, albi, vel rubei, & tractant aurum & argentum: sed sequentes deficiunt in operationibus, dum probant scripta illorum. Secundus est totus inuidus, & composuit libros de illis, quæ magis remota sunt à veritate, ad prologandum homines à via vera, quantum potest, studetque probare dicta sua per solas rationes, quæ videntur insipientibus esse certissimæ: ille ponit artem in herbis, & plātarum fructibus, & in multis vgetabilibus extraneis & remotis. Vel vt videatur nobis relinquere veram artem, magis philosophice loquitur, accipiens fundamentum super quatuor elemēta, quæ sunt materiæ philosophicæ, eaq; à multis extrahit, velut à vegetabilibus, & animalibus, & à multis aliis extraneis, videlicet ab ovo, à capillis, à sanguine, à stercore, ab vrina, à spermate, à bufonibus, & ab aliis multis, quemadmodum scripta illorum demonstrant, & declarant. Vel ponit vnum pro alio, vel similitudinarie, vel ad planum, & ponit totam artem vel in principiis prædictis, vel in mediis mineralibus remotis, vt est atramentum, salborax, alumen, marchasita, magnesia, tutia, & alia mineralia multa. Et quamuis prædicta iuuant ad festinationem quandoq;, & ad mundificationem, seu ad coloris augmentationem, tamen inuident, qui ea ponunt pro materia philosophica completa. Et sic detegunt artem, vel etiam operiunt, & seducunt insipientes, vt vilipendant artem: & qnamuis accipiant veram materiam, & naturam mineralem, tamen per diuersas eorum operationes fictas & impossibiles, seu ineptas, prohibent insipientem peruenire ad complementum, Et ô nouelli Alchemiæ artem comparantes per totum vt supra, creditis expectandum bonum & transmutationem bonam & veram, ab eo, quod cito ab ignis combustione destruitur, & in cineres redigitur? An non dicitur, quod sulphur & auripigmentum cito comburuntur? & ab ignis combustione cito consumuntur? Sed azot semper diutius manet incombustum.

Perfectum in metallis est argentum viuum, fixum, vt supra.

De

De eodem, quod Mercurius fixus perficiat, & diuisio operationum, & libelli in duas partes.

CAP. III.

IAm probaui aperte, & secundum rectam veritatem, quod defectus in metallis, est defectus argenti viui, fixi & puri, & quicquid eligitur in hac arte ad perficiendum, est causa illius: & ergo in ipso est perfectio, & non in aliquo alio. Scias hoc, ne trade obliuioni, vbicunq; inueneris ipsum, tene pro lapide maiori, qui nulla res similis existit, nec potest facere quod facit. Si est correctum, corrigit: si fixum, figit: si liquidū, soluit: si spissum, coagulat: si tinctum, tingit. ipsum enim p̃cellit cuncta corpora in puritate. Et qui posset pœnam sustinere ignis, faceret ex eo cum sulphure suo cōgelato elixir excellentissimum. Accipitur viuum & mortuum, sed purum est semper eligendum quod viuum est. Multæ operationes ex eo fiunt, quæ diuiduntur per duo. Prima fit cum adiuuamine: secunda ex se solo, sed natura ꝓcedit cum suo sulphure. In duobus verò capitulis binas operationes perfecte complebo. Et scribam quicquid probaui, vel feci, vel vidi. Ex dictis Philosophorum nihil teneo ad præsens, nisi quod affirmant dicta mea, quia veritatem dicam, & liber factus sum ab inuidia. Intelligat ergo qui vult dicta mea.

PRIMVM CAPVT.

Promissio & diuisio dicendorum de operationibus Alchemiæ.

IN primo capitulo dicam cunctas operationes, quæ egrediuntur de materia cum auxilio diuino, &c. Nullū sophisticum hunc librum intrabit: ponam semper regimen, ad perfectionem perducens. Multa siquidem sunt coadiuuantia. Dico breuiter, quod adiuuamen calcinationis est hoc. (& primo dicam de corporibus.)

De calcinatione Saturni & Iouis.

CAP. II.

SAturnus & Iupiter calcinantur cum adiutorio ignis primo, & cum industria artificis, & hoc igne non superante suam fixationem in vase terreo, forti, mouendo cum baculo ferreo, donec sint incinerata. Cineres imbibuntur, cum aquis acutis mundantibus. Ad rubeum valet vrina humana purificata aqua sanguinis, vel acetum rubeum. Ad album

album valet acetum album, aqua salis communis, & aluminis, & alia acerba multa: post imbibitionem desiccantur ad ignem vel Solem, donec peruenerint ad calcem albam vel rubeam. Item calcinantur cum adiutorio salium, & alia calcinatio bona est, & per adiutorium vitrioli & aliorum acutorum. Calcinantur etiam cum adiutorio sulphuris, seu auripigmenti, & illa est melior. Sed optime calcinantur cum Mercurio sic: Primo & amalgamentur, & terantur, & abluantur cum acutis, vsque ad emendationem perfectam, deinde misceantur cum salibus acutis terendo, & cum aluminibus & alijs acerbis, & exiccentur & erodantur, deinde deponatur salsedo cum ablutione. Sit tamen Mercurius, priusquam desiccetur, cum sale per sublimationem extractus, & sic remanet calx alba, qua melior esse non potest. Et regulam tibi do generalem, quod qualitercunque calcinetur Iupiter cum igne, facit calcem albam, Saturnus semper rubeam, nisi cum acutis fuerit dealbata.

De Calcinatione Veneris & Martis. CAP. III.

VENVS & Mars cum adiutorio ignis calcinantur, primo in furno reuerberationis, si ponatur intus limatura illorum: per flammæ reuerberationem calcinatur, & fit de Marte crocus ferri, quod dicitur ferri cementum. De Venere, æs vstum simplex, vel χαλκὸς κεκαυμένος. Calcinantur etiam per ignitionem & extinctionem in acutis, donec totaliter conuertantur in squamas, quemadmodum Iupiter & Saturnus calcinantur per abstractionem suæ scorię, deinde imbibitur calx cum acutis & salsis, donec fuerit rubeum & mũdum. Potest etiam Veneris calx dealbari & Martis. Calcinatur etiam cum sulphure & auripigmento, mistis cum laminis, vel, cum limitura illorum: quin etiam cum salibus, aluminibus, & alijs corrosiuis. Et præparatur calx cum ablutione, & desiccatione, donec fuerit ad libitum. Calcinantur etiam multum bene per ignitionem & extinctionem in Mercurio, & quicquid in qualibet extinctione abradi potest, abraditur cum cultello, & iteratur opus, donec sit ad libitum: & præparatur cum ablutione & desiccatione cum salibus, & abstrahendo Mercurium: & fiet calx optima. Et scias, quod calx corporis non figitur, nisi calcinetur cum igne. Et hoc dico, quia omnia corpora possunt calcinari super vapores acutorum, vel cum acutis. Sed melior calcinatio corporum fit cum Mercurio.

De calcinatione Solis & Lunæ.

CAP. IV.

SOl & Luna calcinantur ad modum Veneris & Martis, sed quod melius est: & optimum, per amalgamationem cum Mercurio, & ablutionem, & desiccationem, vel per abstractionem Mercurij per sublimationem, sicut est narratum. Spiritus vero non possunt calcinari, nisi prius sint fixi.

De calcinatione aliarum rerum & misturarum.

CAP. V.

CAlcinantur & aliæ res multæ ad extrahendam tincturã ex illis, & vt subtilientur illarũ partes & mundentur. Et scias quod quodlibet corpus per se calcinatur, & si aliqua coniungantur, & calcinentur simul, fit calx mirabilis in effectu. Ne obliuiscaris hoc, tenta, & optimum retine. Hoc de his sufficit.

De sublimatione spirituum.

CAP. VI.

SVblimantur & spiritus & media mineralia, cum adiuramine. Spiritus sublimantur vel a salibus, vel ab atramentis, vel ab aluminibus, vel à corporibus, vel ab istis mistis. Et nota quod sublimatio fit causa purificationis tincturæ. Si sublimantur spiritus cum immundis, immundantur: si cum adhærerentibus remanent magis fixi cum tinctura inferius, quod quærimus. Vnde de necessitate oportet vt mundentur p ius per acuta, & per lauacrum, aut per vnicam separationem impuri à puro. Cogitate diligenter super hoc. Nam illud medium est secretum. Spiritus mundificatos cum calcibus puris corporũ sublimate, donec figatur, & videbitis me verũ dixisse.

De sublimatione corporum imperfectorum.

CAP. VII.

SVblimantur corpora cum adiutorio ignis, & hoc expressione ignis. Et hoc fit ad habendam materiam munde tẽperatam. Nam quod nimis est volatile, & terrestreitas immunda, diuiduntur per sublimationem, & remanet substantia temperata, vt dixi, quam quærimus. Sublimantur etiam cum rebus eleuantibus cum sulphure, auripigmento, Mercurio, & alijs spiritibus. Et illud dico cum corporibus non fixis, vt sunt Iupiter & Saturnus, qui sine fæce, vel re aliqua possunt sublimari, & cum quolibet prædictorum: & Venus & Mars quæ sublimantur cum prædictis.

De sublimatione corporum perfectorum.
CAP. VIII.

SEd notandum præcipue, quod corpora fixa possunt etiam sublimari, scilicet Sol & Luna. Sed causa eleuationis est, vt hæc purificemus, vel sulphure vel auripigmento, vel argento viuo, quod ea facit ascendere citius per reiterationem, & velocius figuntur. Et hoc est secretũ intimum, quod dico pro certo, & omnes fere celant. Dico tamen: Corpora debent fieri incorporea in ascendendo, & incorporea corporea in descendendo. Maxima industria est, de corpore facere spiritum, & econuerso· Sed verum est, quod si summa volatilis superat summam fixi, finaliter reuertetur in corpus spirituale, vel album vel rubeum. Vere non sum inuidus, nam denudaui omnino.

De fixatione. CAP. IX.

FIgitur autem omne volatile cum mundatur per iuuamen ignis, videlicet decoctione diurna (& hoc est meum secretum) aut per alicuius rei fixæ adiutorium, hoc est per imbibitionem, & reiterationem prædictorum, vt in sublimatione narraui aperte. Et hoc est vnum de secretis meis magnis. Corpora etiam figuntur, vt præfiguraui calcinando vel coquendo solo igne.

De destillatione. CAP. X.

DEstillantur autem multa pro adiuuamine operis istius. Destillatur aqua à vitriolo viridi vel Romano, à sale petræ, & alumine plumoso, quæ maxime valet pro adiutorio istius operis: cum ipsa enim soluuntur mirabiliter omnia corpora cruda & calcinata, & spiritus calcinati vel fixi, solutione mirabili & pulcra. Destillantur & aliæ aquæ multæ, & olea, de salibus, atramentis, aluminibus, & alijs rebus multis, mineralibus, vegetabilibus & animalibus, sicut inuenitur in libris Philosophorum de hac arte tractantium.

De solutione. CAP. XI.

SOluuntur omnia corpora & spiritus cum adiutorio aquæ corrosiuæ supradictæ, vel cum alijs aquis corrosiuis, quæ multis fiunt modis, & quia talia in multis inueniuntur Philosophorum libris satis veraciter & aperte, excusamur de illis in hoc nostro Rosario tractare. Sed hoc teneas amice mi, ꝙ melior fit solutio in igne in fimi calore, & cũ Mercurio viuo, & aqua vitæ, dũ ablutus est, sed in primo dicitur venenum seu res mortifica.

De

De ceratione. CAP. XII.

CErantur corpora calcinata cum corporibus resolutis, & hoc imbibendo & cerando: & quamvis multæ sint imbibitiones corporum, tamen melior fit cum Mercurio, scilicet quando est aqua viua depurata. Et melior inceratio fit cum azot viuo, & gutta saponis. Nam aqua corporis, cum corpus redactum sit in Mercurium dicitur sanguis, & qualicumque modo aliquid cum oleis inceratur, non valet quicquam, nisi oleum prius sit fixum, & incombustibile factum: & istud oleum non habetur nisi ex metallis fixis: scias hoc excellentissimum secretum, & quod magis carum apud Philosophos inuenitur.

De coagulatione.
CAP. XIII.

COagulantur cuncta resoluta cum adiutorio ignis, & hoc in vasis firmiter clausis, sed tene à me hoc secretum, quod res perfecte coagulata est, quæ fluit cum ignitione conuenienti, & cum expectatione examinis ignis. Sin autem non, reitera opus, & peruenies per reiterationem ad propositum, domino annuente.

De Particularibus ad album in genere.
CAP. XIV.

ECce narraui tibi cunctas operationes veras & necessarias in opere huius artis ad laborem abbreuiandum, & adiuuandam naturam generaliter. Modo satisfaciam, specialia & particularia meliora enodabo in hoc capitulo. Primo ergo quomodo corpora augmentantur, & postea de abbreuiatione temporis & laboris, & elixir. Et quia nullo modo potest fieri rubeum verum, nisi præcedat album, talia vero ad augmentandas rosas albas, vt fiat Luna perfecta, tibi dono. Primo desiccandum est corpus Lunæ, & hoc per calcinationem quam narraui. Et ista est causa, vt humiditas istius, cum quo proponimus augmentare ipsam, radicabilius & firmius illi adhæreat sine separatione, deinde calcinandum est aliud corpus nõ fixum, cum quo proponis operari, & hoc vt per eam figatur. Nam volatile in ipsis euolat per calcinationem ignis, & remanet terra azyma & munda. Per eandem etiam calcinationem deletur vnctuositas glutinosa, & immunditia de corpore, & reducitur in statum pristinum, & remanet terra munda, non adurens, nec denigrans corpora. Deinde resolue calcẽ

Lunæ in aquam mundam & claram, sicut demonstraui tibi in Cap. Dissolutionis. Secundo calcem azymam cuiusvis corporis similiter resolue, aquas coniunge, & illam bene cōmistam congela in massam albam, & in fine congelationis descende per botum. Et melior modus est iste, quam vnquam probaui. Accepi vnam partem corporis fixi, & tres partes non fixi. Item resolutam calcem Lunæ, & aquam etiam corporis non fixi, iterum coniungebam istam aquam, coniunctam composui cum prima massa prædicta iterum calcinata & resoluta, & erat tunc augmentata prima pars, & tres sui partes: illud totum congelatum feci secundo descendere, illud opus reiteraui quindecim vicibus, nec meliorem Lunam Deus vnqum creauit, tenui ipsam auro cariorem. Inueni etiam alium modum leuiorem multum, videlicet imbibendo calcem corporis non fixi, cum aqua calcis Lunæ, terendo vel cerando super marmor, bene desiccando, & descendendo. Et iterum secunda vice nouam calcem non fixi, imbibendo, cum resoluto calcis nouæ Lunæ, apponendo calcem primæ massæ, videlicet vnam partem istius cum tribus partibus alterius, deinde desiccando & descendendo, & reiterando per quindecim vices. Sic enim perueni ad Lunam multo meliorem naturali. Propterea probaui & alium modum adhuc multo leuiorem, videlicet resoluendo Lunam calcinatam in aquam, & imbibendo cum illa aqua calcem corporis non fixi, terendo & desiccando, & descendendo. Iterum reiteraui hoc opus de noua materia, & quando desiccatum erat, posui super tres partes de nouo desiccato, cum parte vna massæ præcedentis generatæ, nihil tamen de reiterationibus omisi, & inueni in decima quinta vice Lunam bonam æquipollentem naturali. Homo etiam bene potest transire, si vult melius, cum decem reiterationibus, vel circiter, quanto plus tamen reiteratur opus metallicum, tanto melius. Et scias quod prædictæ resolutiones optime fieri possunt cum aquis corrosiuis, sed semper melior resolutio fit cum Mercurio. Scias hoc, O quam multa bona procedunt ex corporibus cum Mercurio amalgamatis. Hæc iam dixi in generali, nunc vero de quolibet corpore simpliciter tractabo.

De Particularibus ad album in specie.
CAP. XV.

Accipe

Accipe vnam partem Lunæ, & quinque partes vel sex Martis, & descende simul per botum, vt prætactum est, & habebis bonam Lunam. Accipe vnam partem Lunæ, & duas partes, vel tantundem de Venere, & descende per botum simul, vt prædictum est, & habebis bonam Lunam. Accipe partem vnam Lunæ, & tres partes Saturni, & fac descendere per botum simul, per modum prædictum, & habebis meliorem Lunam. Accipe vnam partem Lunæ, & tres partes Iouis, & fac descendere ista ad inuicem per botum, sicut narratũ est ante, & est Luna optima, æquipollens naturali in omni examine sine fine. Si fidelis est sermo meus, estote memores animæ meæ, propter ea, quæ dixi. Item, aliter etiam fieri potest optima operatio per amalgamationem Mercurij. Lunam desiccatam amalgama cum Mercurio, ana, sed sint in duplo, Mercurij vel amalgamationis Martis, & pone sex partes istius cum vna parte primæ: totum amalgamatum simul decoque, donec Mercurius sit separatus, & descende, & reitera hoc opus quindecim vicibus, & erit Luna bona. Amalgamatur etiam Luna cum Mercurio, sicut prædixi, & Venus etiam amalgamari debet ad modum Martis, duæ partes istius, & vna amalgamationis sublimetur, & descẽdatur per modum iam dictũ, & cum opus iam quindecies reiteratum est, erit Luna bona. Amalgamatur Luna præcipue cum Mercurio, & Saturnus cũ eodem ana, & tres partes ipsius cum Luna pone, sublimando & descendẽdo, & reiterando per præscriptum modum, & peruenies ad Lunam meliorẽ. Amalgamatur præcipue Luna cum Mercurio, & Iupiter cum eodem, ana, & sint de ipso tres partes cum vna parte Lunæ, & per reiterationem sublimationis, pro Mercurij separatione, & per reiterationem descensionis operis peruenies ad Lunam meliorem de mundo. Prædicta vero sufficiunt in albarum rosarum augmentatione.

De Particularibus ad rubeum in genere.

Cap. XVI.

Ad augmentandas rosas rubeas procedamus. Prima regula generalis est: Pone in omni opere rubeo Solem, quemadmodum Lunam in azymo. Sed notandum, quod calces quorundam corporum solo ignis adiutorio rubificantur, quorundã non. Quorũ rubificantur, sunt hæc: calx Martis, Veneris, & Saturni. Calx vero Lunæ, Iouis, & Mercurij si-

rij fixi, non rubificatur solo adiutorio ignis, in hoc capitulo primo, sed in capitulo nostro secundo, & vltimo in magno videlicet magisterio, calx illorum rubificatur ad libitum & tingunt sine mensura. Ecce thesaurus philosophorum. Rubificantur tamen in hoc capitulo primo, cum rebus tingentibus, sicut sunt sulphur, atramentum, aqua ferri, & oleum rubicundum Philosophicum à mineralibus seu vegetabilibus, vel animalibus extractum. Et talis modus est operandi, sicut in albo Lunæ, sed in hoc opere Sol est calcinandus & dissoluendus. Soluantur & omnia corpora non fixa calcinata. Et per eandem calcinationem rubificata in aquis corrosiuis vel dissoluentibus, dico rubicundioribus, aquas coniunge, & congela, & descēde in massam rubeam, vt de albo fecisti, & reitera hoc opus, vt de azymo fecisti, per quindecim vices, & habebis operationem perfectā. In hoc enim opere seruare poteris omnem modum operandi, quem in albo narraui, & istud est in his quæ rubificari possunt cum adiutorio ignis. Et quod omnes calces corporum rubificari possunt, cum adiuuamine multarum rerum tingentium, restat hic nobis declarare. Sed quia de talibus, quiam plurima bona & vera reperiuntur in lib. Philosophicis istius artis, & aquæ rubedine tingentes, pulueres, & olea, cum quibus calces tam sæpe imbibuntur, desiccantur, soluuntur, & congelantur, & descenduntur vsque ad rubedinem: ergo videtur nobis superfluum de illis tractare: Solis tamen tincturam specialem, ad satisfaciendum, à me accipiatis.

Particulare ad rubeum in specie.

Cap. XVII.

IN aquam salsam calidam, postea in dulcem calidam, finaliter in acetum multoties, puta viginti vicibus limaturam Martis lauate quousque sit clara, bene munda, & ponite eam in vase vitreo, vel vitreato, cum optimo aceto albo, per plures dies, quousque per hoc multum rubescat, quod erit cito. Tunc ponatur in destillatorium vitreum, & destilletur sæpius, quousque illa limatura totaliter euanescat. Nam sublimabitur proculdubio cum aceto iam dicto, & transibit tota illa limatura in aquam rubeam, sterque præterea in quiete per aliquot dies: hæc aqua Lunam præparatam & fusam tingit mirabiliter in colorem rubeū, & in qualibet reiteratione

ope-

operis, calces cum hac aqua imbibe, & exicca, solue, congela & descende, donec tinctura sit sufficiens, & ista aqua est mineralis & corporea.

Fit & alia bona per hunc modum: Sumatur de vitellis ouorum libra vna, & de sanguine humano recenti libra vna, & duæ libræ de capillis humanis bene mundis, permiscue ista in vitreata rotunda. Deinde recipe salis armoniaci bene triti, duas libras, & commisce omnia simul, & illa vitreata ponantur in illa cum cinere cribellato, & accendatur sub ea ignis lenis, & cum totum resolutum fuerit in aquam, tunc proijce de sulphure citrino super illud, quantum est medietas omnium medicinarum: remoueatur tunc vas ab igne velociter, mouendo totum simul, postea proijce totum in cucurbitam ad destillandum, & toties destilla super fæcibus, commiscendo cum aqua, quæ ab eis destillatur, donec omnia remaneant in fundo sicca. Istud mistum & tritum cum calcibus dissolutis congelatum, tingit peculiose: & ista est tinctura vegetabilis, seu animalis.

Apostrophe ad Lectorem, & oratio ad Deum.

CAP. XVIII.

ECce Amice mi dilecte, ecce quam multa bona iam narraui, ex his quæ in Rosario meo continentur. Non vales tamen adhuc per prædicta, ex illo aliquas accipere rosas. Nam fossatis profundissimis, murisque fortissimis, ac propugnaculis multis Rosarius meus tam fortiter est firmatus, quod nemo per aliquod ingenium intrare valet, nisi per septem portas firmissimas & metallicas, multis clauibus mirabiliter clausas. O clementissime Deus ac misericors, si iam aliquid peccaui, respice super me oculis benignitatis tuæ, quia tu solus cognoscis corda hominum, & me iam istud dixisse ex fonte misericordiæ solo. Et deprecor te humiliter & deuote cælestis pater, vt non intret in corda iniquorum: sciant autem filij sapientiæ & intellectus, quod Hortulanus meus, gratia Spiritus sancti paracleti infusus & repletus, solam mihi clauē demonstrauit, per quam cunctæ portæ in ictu oculi mirabiliter, & quasi miraculose aperiuntur, in mei Rosarij capitulo primo. Et gratiam, quā mihi Hortulanus meus fecit sua benignitate, pie & amicabiliter scribā omnib. doctis intelligentibus.

Com-

Compositio Aquæ fortis, quæ est clauis Rosarij.

CAP. XIX.

ACcepit enim Hortulanus tres herbas, quas generatas inuenit in loco Rosarij ex eadem terra, de qua Rosarius est egressus, & erant Chelidonia, Portulaca marina, & Mercurialis. Ex his tribus composuit clauem prędictā, quem modum componendi, vobis perfectissime enodabo. R. duas libras vitrioli viridis, & duas salis petræ, & vnam libram aluminis plumosi, terendo quodlibet per se. Deinde coniunge. Postea habeas aludel vitreum bene lutatum exterius circumquaq; luto sapientiæ, & pone in eo puluerem prædictorum, & alembicum desuper vitreum, iūcturas firmiter cum bono luto sigilla, vt respirare non valeat, & pone super furnum destillationis dando illi lentum ignē. Destillatur enim prima aqua primo, quam recipias in phialam vitream cum longo collo, sitq; phiala cum alembico sigillata cum luto prædicto: continua ignem lentum, donec alembicus intus colore citrino sit coloratus, & istud est signum aquæ secundæ. Primam deinde aquam cum sua phiala depone, & obstrue cum cera, & appone nouam phialam, quam firmiter sigillabis augmentando ignem, donec alembicus intus rubescat, quod signum est aquæ tertiæ fortissimæ. Depone phialam cum aqua secunda, & sigilla, & appone nouam phialā spissam cū collo multum longo, sigillando firmissime cum luto optimo, & augmentando ignem semper, donec tota aqua fuerit egressa, quam depone, & sigilla firmiter os cum luto figulorum, & vsui reserua.

Laudes Aquæ fortis prædictæ.

CAP. XX.

ISta est aqua fortis, pretiosissima, virtuosa, quæ dicitur aqua corrosiua, & vere clauis est, per quam solam cunctæ septem portæ metallinæ, videlicet Rosarij mei aperiuntur in momento. Cum ista claue minerali potes reserare septem portas prædictas, & intrare Rosarium, & accipere rosas albas vel rubeas de quacunque planta volueris, secundum velle tuum. Et indubitanter qui clauem istam secum habuerit, cūcta in Rosario existentia, ipsi cognita erunt. Intellige quod dico, & prępara ei hospitium in medio cordis tui, vt intus per æuum hospitetur. Cum ista aqua laudabili corrosiua potes in momento,

mento resoluere cuncta corpora, tam cruda quam calcinata, omnes spiritus, & omnia mineralia, necnon lapides preciosos, & congelare quando volueris, vt prædictum est in vna hora. Ista enim aqua tales habet effectus mirabiles & laudabiles, quod resoluit solidum, & reddit liquidum, mundat immundum, corrodit superfluum, fugit figitiuum, consolidat disgregatum, augmentat tincturam azymam optime, & rubeam, omnia penetrat, durum mollificat, & molle indurat, & discordantes concordat, & est clauis totius huius artis in hoc capitulo nostro. Quid dicam de ipsa? Eius laudes inueniuntur interminabiles. Valet & aqua prima & secunda ad multa in hac arte: coniunge ambas simul, nec meliorem rem habere potes in mundo ad abluendum calces corporum quascumque. Quia omnis immunditia, nigredo, corruptio, & sulphureitas adurens, per eam tollitur. In fæcibus vero est maxima tinctura, studeas in ipsis: nam in eis est magnum arcanum. Imbibe fæces cum tota aqua prima & secunda, & dimitte stare & incorporari per quatuor dies, iterum destilla per præscriptum modum, & habebis plus de aqua forti corrosiua, quam prius habuisti, & hoc est finale secretum. In hac enim aqua resoluuntur cunctæ tincturæ coadunandæ: earum enim aqua tunc admisceri potest cum aquis corporum calcinatorum & resolutorum: in ea enim resoluuntur Saturnus & Iupiter, Mars & Venus, Mercurius, Sol & Luna. Per ipsam etiam melioratur ziniar, & multa alia, cum quibus opus abbreuiatur, coloratur, augmentatur. Et hæc de prima parte primi capituli sufficiunt. Ad ipsam tamen complendam, de secunda ipsius parte & vltima tractabo. Nam bene sequitur elixir cum iuuamine, post omnium corporum perfectam augmentationem.

Reclusio Rosarij per eandem aquam.

CAP. XXI.

Corpus putrefactum, & deinde cum calore temperato, cumque retentione, seu reseruatione suæ humiditatis radicalis philosophice calcinatum dissolue. Sitque tamen prius mundatum ab omni re corrumpente, & hoc principio operis, & istud est de azymo, sitque calx alba corporis vicinioris imperfecti, fermentum quoque azymum bene mundatum, & calcinatum azymum resolue,

vt

vt primum. Aquæ mundandæ sunt ab immunda fæce, tunc coniungendo in phialam vitream cum stricto collo & alto, cuius os firmissime sigilletur. Pondus etiam est notandum, suntq; semper partes quatuor imperfecti, & vna perfecti. Ponēda est autem phiala cum aqua in furno coagulationis, donec totum coaguletur in lapidem coagulatione bona, & fixa. Et habes tunc plantas Rosarij tui vnius anni. Item secunda vice resolue nouam materiam, vt prius, in eadem proportione, lapidemque coagulatum iterum solue, fitque ana de istis. Aquas resolutas coaduna, & vnitas congela per prætactum modum, & habebis plantas duorum annorum. Tertio resolue de materia noua, vt prius in pondere lapidis anni primi, & coniunge cum lapide duorum resoluto, congela vt prius, & habebis Rosarium tenerrime florentem, & decem rosas producentem. Quarto, nouam resolue materiam, vt prius, semper in proportione æquali lapidis primi anni, & coniunge aquas anni tertij lapidis, & congela vt prius, & habebis lapidem quadriennij viginti flores rosarum producentem, & hoc fac quinto, & Rosarius quinquennis triginta producit rosas. Sexto, producet centum rosas. Septimo, ducentas rosas. Octauo, trecentas rosas. Nono, mille. Decimo, duo millia. Vndecimo, tria millia. Duodecimo, centum millia. Decimotertio, ducenta millia. Decimoquarto, trecenta millia. Decimoquinto, mille millia. Et sic in die decimaquinta, habebis opus Lunæ perfectum. In rubeo, siue ad rubeum, semper operaberis in calcibus corporum rubificatis, & resolutis, & cum resolutione Solis. Sed tene hoc meum finale secretum. In quantum plus tinctura cum adiutorijs augmentatur, tanto altius tingit. Stude & proba in arte prædicta, & eris breuiter fortunatus. De cunctis autem iuuantib. & auxilijs huius artis manifeste satis in prima parte istius capituli primi dictum est, ideo mei Rosarij capitulum finio.

SECVNDVM CAPVT.

Perfectionis causam solum Mercurium esse.

DIctum est superius, quod huius artis pretiosissimæ finalis intentio est meliorare metalla imperfecta, & ad gradum perducere supremum. Et imperfectio & corruptio

ruptio eorum progreditur ex defectu boni & puri argenti viui fixi, ficut multoties dixi, & omnes dicunt Philoſophi periti. Relinquitur itaque ipſum ſolum eſſe perfectiuum. Eligamus ergo ipſum, & perficiamus, quemadmodnm tunc fecerunt Philoſophi, qui perfectionem habebant. Ipſum ſolum, quicquid ſcribitur, eſt lapis, quem Philoſophi laudant vbique, quem occultant in infinitis parabolis, & ſcripturis fictis, & ſimilitudinibus, & detegũt eum cũ magnis ſuis philoſophijs. Et iam talem inſpirauit mihi Spiritus Dei gratiam; quod cum duobus verbis eius omnes libros philoſophicos, de arte exponam. Ecce verbum Spiritus Sancti: Mercurius eſt lapis quem honorant Philoſophi. Diuiſum eſt cor meũ, & ſicut librũ aperiens legat quilibet & intelligat. Solũ argentũ viuum quærimus. In ipſo enim totũ eſt ꝙ deſideramus: ergo ſuam in ſe continet tincturam. O quam precioſa creatura eſt illa, & delectabilis: Deus enim meliorem non creauit, prę ter animam rationalẽ. Habet in ſe corpus, animã & ſpiritum. Corpus ſtat, anima viuificat; ſpiritus tingit. Iſta ſunt in Mercurio ſolo ex aquæ groſſitie, vi ſulphuris puri non vrentis congelato. Mercurius ergo lapis noſter eſt, nec alia res eſſe poteſt, quem aquam ſiccam nominamus, eo ꝙ vi ſulphuris azymi, vel rubri vniformiter eſt inſpiſſatꝰ, à quo cuncta corpora trahunt originem, ex ipſo enim fiunt, & in ipſum reuertuntur. Verbi gratia: Sol ex Mercurio viuo puro fit, & iterum reuertitur in argentum viuum per ingenium, & ſic de cunctis corporibus habet fieri.

De differentia Mercuriorum. CAP. II.

SEd dico vobis iſtud; quod argentum viuum ex Sole factum, maioris eſt virtutis incomparabiliter, & velociociorem dat fixionem, quam illud quod non erat corpus: ſemper tamen eſt argentum viuum de argento viuo, & eſt calidum & humidum, & maſculinum. Argentum vero viuum ex Luna factum, dat fixationem velocem, quod eſt frigidũ, ſiccum, & femineum. Argentum verò viuum quod non erat corpus, ex quo tamen generantur corpora, non differt ab alio argento viuo, niſi in ſola digeſtione, & per ipſum ſolum, non aliter omnia corpora in argentum viuum reuertuntur.

Similitudo viam vniuersalem insinuans.

CAP. III.

CVncta nascentia seu plantæ ex terra egressæ, nonne semper ad terram reuertuntur? & hæ postquam in eadem terra fuerint, iterum per tempus putrefactæ, tunc totum est terra. Sed non qualem virtutem illa terra habet. Videmus enim quod ex terra frumentum nascitur, habens stipulam & grana multa: & si tunc artificialiter stipulæ in terram reponuntur, cum fimus factæ fuerint, videmus quod totus fimus reuertitur in terrã per putrefactionem. Sed grana reseruata, si iterum ponantur in eadem terra stipularum suarum prædicta, multo magis augmentantur, quod expertis agricolis cõstat. Sic corpora submersa in Mercurium per cõuenientem putrefactionem reuertuntur in argentum viuum, quod prius fuerunt, & postea grana metallica in eadem terra putrida proiecta multiplicantur, & innumerabiliter crescunt.

Practica caligine obducta. CAP. IV.

MOdus vero agendi talis est ad modum naturę. Argentum viuum nostrum vi sulphuris azymi vel rubei nõ vrentis congelatũ seu inspissatum, in primis est mundandum ab omni sorde & superfluitate, quæ per ingenium deleri potest: & illud ingenium est sublimatio, quæ sic fit: Ponatur lapis in vase aperto super mediocrem ignem, agitando ipsum Mercurium, vt tota humiditas superflua euolet, quę est in eo accidentalis, ex qua opus corrumperetur, & hoc nõ omittas, & tunc remanebit (postquam totum aquosum & indigestum, quod nimis erat volatile, erit depositum, cum igne non superante suam radicalem fixionem) substantia temperata inter fixum & non fixum, apta pro opere isto complendo. Sitque semen seu fermentum mundissime purgatum, cuius vna pars sufficit ad duodecim lapidis purgati: fiat amborum ingeniosa amalgamatio: deinde totum amalgamatum ponatur in vase fortissimo, vitreo, cum collo stricto, aut in terreo, vitri densitatem seu compactionem sustinens, quod melius est, sitque os firmiter sigillatum: fiatque furnus magnus philosophicus, & spissus, in cuius medio ponatur vas fortissimum, amplum, terreum, potens in igne dura-

durare, in illo sunt locanda cuncta vasa, materiam continentia, & tunc cooperiatur furnus, sitque superius cum spisso cooperculo clausus, sintq; in illi⁹ summitate foramina tria, vel quatuor ad fumum delegandum, subijciatur ignis lentus perseueranter. Ignis lentus dicitur, qui lapidis fixationem nequit superare, & ignis regimen tale debet esse, quod plumbum in ipso continue remaneret fusum. Et hoc solus manifesto. Per tale namque regimen habebis in centum viginti quatuor diebus completam putrefactionem. Nigredo quoque est signum putrefactionis approbatum. Adhuc per prędictum regimen, habebis secundum signum, quod erit rubedo durans per triginta dies: in illis vero diebus complebitur perfecte. Tertium autem signum est viriditas, quod in caliditate complebitur prædicto regimine in septuaginta diebus. Inter tertium vero signum, & inter quartum, apparebunt omnes colores qui excogitari possunt, tunc fit ibi matrimonium, copulatio, & spiritus & animę coniunctio: tunc enim dominātur simul, & quodlibet prius p se sub suo signo, scilicet in primo signo dominabatur corpus, in secundo signo spiritus, in tertio anima. Tempus coniunctionis regimine modicum augmentato, erit completum in septuaginta diebus omnino: & superueniet signum quartum, quod erit azymatio vtilis, transibuntque cum augmentato regimine centum quadraginta dies, & erit completum albedinis signum quod diximus. Si postea continuaueris regimen cum augmento, videbis inter quartum & quintum cineres discoloratos, sint tamen chari apud te: nam Deus reddet illis liquefactionem, infundendo Spiritum suum igneum, & videbis, cum Deus voluerit, signum quintum, claritate & rubedine splendida inenarrabiliter docoratum. Time Deum, & honora eum de tua substantia.

De tinctura perfecta proprietatibus.

CAPVT V.

MVlta quidem in hoc Rosario meo narrata sunt ad operis cognitionem habendam, & ignorantes ad magisterium veritatis introducendos. Et quia nihil in eo ponitur superfluum, nec ipsum volo mittere diminutum * Respice rubeum completum, & rubeum à sua rubedine diminutum, & omnem rubedinem fixi, & non fixi, mortui

& viui, mineralium, vegetabilium & animalium: respice viuum viuificantem, & mortuum mortificantem, album albificantem, & rubeum rubificantem, atque imperfectum perficientem. In quantum autem albedo perfecti augmentatur, in tantum tingit in albedinem, & sic de rubeo. Sed nota, & considera qualia sint corpora, & quid eis in sua liquefactione adhiberi possit, & secum perseueret, & permaneat in examine: neque enim omne azimum, nec rubeum tingit corpora in Lunam & Solem. Tinctura corporis talis esse debet, quod ipsa cum corpore liquefacto commisceatur, & ipsum liquefactum ingrediatur, quemadmodum ipsummet corpus faceret cum eodem. Tinctura ergo debet esse substantia corporea, ex corporibus extracta, vel per beneficium mediorum mineralium, vegetabilium, seu animalium augmentata, in re semper corporea. Verissima ergo tinctura albedinis est sulphur, ex Luna vera albissimum: & perfectissima tinctura rubedinis est sulphur, ex Sole vero rubicundissimum. Est ergo vnum possibile sicut & aliud. Hoc scit artifex prudens & discretus.

Epilogus seu recapitulatio omnium dictorum.

CAPVT VI.

SI per iuuamen argenti viui crudi, frigidi & humidi, & per ipsius beneficium extrahitur sulphureitas calida, sicca & munda, comburens omnia causa suæ virtutis adurentis, remanet argentum viuum purum & coctum in corporibus, vi sulphuris congelatum. Sic per iuuamen alicuius argenti viui extrahitur à Luna vel Sole sulphur purissimum, & remanet sulphur azimum, vel rubeum, tingens nigredines & fixum. Cuius vna pars tingit duas, vel tres, vel quatuor, vel sex partes cum iuuamine primę partis in Lunam. Pars vero vna rubei tingit argenti viui cocti in I. cap. secundum puritatem ipsius argenti viui partes duas, vel tres, vel quatuor, vel sex, vt de albo. In 2. vero & vlt cap. tingit vna pars sulphuris Lunæ vel Solis partes mille corporis, id est, argenti viui cocti, & vis istius sulphuris per artificis industriam in tantum augmentatur cum igne, vel cum iuuamine, ꝙ post complementũ tingit super mille, vel mille millia, & vltra, tamen solo igne cuncta perficiantur. Nã omnis tinctura alba vel rubea debet recipere colorem ab igne, aliter

igne

non valet. Iuuamenta autem sunt lapides tales, cum quibus tincturę puritas & fixio augmentatur, videlicet oua, capilli, sanguis, argentum viuum, sulphur, auripigmentum, sal ammoniacus, atramentum, alumen, sal nitri, tinkar, tutia, marchasita, magnesia, &c. Non tamen putes aliquod istorum sufficiens pro opere per se solum complendo. Sunt enim adminicula, & quasi adiutores, cum quibus, & cum quorum iuuamine corpora mundantur & rectificantur, tinguntur & complentur, & sunt quasi coadiutores & mediatores corporum coniungendorum, quorum preciosiora & meliora apud nos semper sunt inuenta, oua & capilli, & sanguis iuuenis masculi, ex quibus quatuor extrahuntur elementa, quæ postquam rectificata sunt, supplent defectum elixiris ex metallis pręparati, nec metalla per se, nec lapides perficiuntur. Sed ex his quatuor elementa extracta pro oleo ponuntur in lapide, aut pro anima tincta. Calx vero corporum metallorum præparata, pro corpore azimo vel rubeo. Spiritus vero albus vel rubeus ex corporibus extrahitur, vel figitur, & præparatur ab ipsismet spiritibus. Si cæteris autem lapidibus abluitur lapis & mundatur, figitur & tingitur, & rectificatur in operis festinatione. In cōmistione vero proportionata prædictorum præparatorum resultat noua forma, & sic fit elixir, inquantum materia plus quam Sol naturalis est digesta & tincta.

FINIS ROSARII MINORIS, incerto Auctore.

MAGISTRI ALBERTI MAGNI EPISCOPI RATISBONENSIS, De Alchemia Præfatio.



OMNIS sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Quicunque ergo diligit sapientiam, apud ipsum quærat, & ab ipso petat, quia ipse dat omnibus affluenter, & non improperat. Ipse enim est altitudo, & profunditas omnis scientiæ, & thesaurus totius sapientiæ: quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia: & sine eius volūtate nihil potest fieri: ipsi honor & gloria in secula seculorū. Amē.

Vnde in principio mei ſermonis inuoco eius auxilium, qui eſt fons & origo omnium bonorum, vt ipſe per ſuam bonitatem & pietatem dignetur paruitatem ſcientiæ meæ ſupplere per gratiam ſui Spiritus ſancti, vt per meam doctrinam lumẽ quod in tenebris latet, manifeſtare valeam, & errantes ad ſemitam veritatis perducere: quod ipſe præſtare dignetur, qui ſedet in excelſis, Amen.

Cum multas regiones & plurimas prouincias, nec non ciuitates & caſtella cauſa ſcientiæ, quæ vocatur Alchemia, maximo labore perluſtrauerim, & à literatis viris & ſapientibus, de ipſa arte ab ipſis diligenter inquiſierim, vt ipſam plenius inueſtigarem: & cum ſcripta omnia perſcriberem, & in operibus ipſorum ſæpiſſime perſudarem, non inueni tamen verum in his, quæ libri eorum affirmabant. Aſpexi ergo libros contradicentium & affirmantium, & inueni eos vacuos eſſe ab omni profectu, & ab omni bono alienos. Inueni enim multos prædiuites literatos, Abbates, Præpoſitos, Canonicos, Phyſicos & illiteratos, qui pro eadem arte magnas fecerunt expenſas, atque labores, & tandem deficiebant, quoniam artem inueſtigare non valebant. Ego vero non deſperaui, quin facerem labores & expenſas infinitas, vigilans, & de loco ad locum migrans omni tempore, ac meditans, ſicut dicit Auicenna: Si hæc res eſt, quomodo eſt? & ſi non eſt, quomodo non eſt? Tandem perſeueraui ſtudendo, meditando, laborando in operibus eiuſdem, quouſque quod quærebam inueni, non ex mea ſcientia, ſed ex Spiritus ſancti gratia. Vnde cum ſaperem & intelligerem quod naturam ſuperaret, diligentius vigilare cœpi in decoctionibus & ſublimationibus, ſolutionibus & diſtillationibus, cerationibus, & calcinationibus, atque coagulationibus Alchemiæ, & in multis aliis laboribus, donec inueni, Eſſe poſſibilem transmutationem in ſolem & lunam. Quod multo melius eſt omni naturali, in omni examinatione & malleatione. Ego vero minimus Philoſophorum intendo ſcribere ſociis & amicis meis veram artem, leuem & infallibilem: ita tamen, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Vnde rogo, & adiuro vos per Creatorem mundi, vt occultetis librum iſtum ab omnibus inſipientibus. Vobis enim ſecretum reuelabo, aliis vero Secreta ſecretorum recludo, propter inuidiam huius nobilis ſcientiæ. Stulti enim eam de-

ſpiciunt, quod ad eam pertingere non poſſunt: vnde exoſam eam habent, nec poſſibilem eſſe credunt: ideo inuident illis qui in ea operantur, & dicunt eos eſſe falſarios. Caueatis ergo ne in iſta operatione alicui ſecreta noſtra reueletis. Iterum moneo, vt ſitis cauti: & perſeuerate in operationibus, & nolite faſtidium habere, ſcientes quod poſt operationem veſtram magna ſequetur vtilitas.

De diuerſis erroribus.

NVnc autem qualiter ad tanti operis laborem accedere debeatis in hoc meo Opuſculo breuiter & ſimpliciter vos informabo. Oſtendam tamen vobis primo omnes deuiationes & errores, & offendicula huius artis, in quibus multi & fere omnes errant. Vidi enim quoſdam, qui cum magna diligentia quaſdam ſublimationes faciebant, & vlterius procedere non valebant, quia fundamentum non habebant. Vidi & alios bonum principium habentes, ſed propter nimiam potationem, & alias vanitates, opus facere non valebant. Vidi alios qui decoctionem, deſtillationem & ſublimationem bonam fecerunt: ſed propter nimiam prolongationem operis opus reliquerunt imperfectum. Vidi & alios qui veram artem habuerant, & diligenter operibus præfuerunt, ſed in ſublimationibus perdiderũt ſpiritus propter vaſa poroſa, vnde & dubitauerunt, & vlterius artem non curauerunt. Vidi & alios qui artem inueſtigare cupientes, tempus ſtatutum non valentes expectare, nimis veloces fecerunt ſublimationes, deſtillationes, & ſolutiones: & ideo ſpiritus infectos, rubiginatos inueniebant, & aquas ſolutas, & deſtillatas, turbulentas: vnde & illi etiam dubitauerunt. Vidi quamplures, qui cum diligentia operi inſiſtebant, & tandem deficiebant, quia res pro ſubleuamento non habebant: vnde verſus:

Cum labor in damno eſt, creſcit mortalis egeſtas.
Multa licet ſapias, re ſine, nullus eris:

Vnde pauperibus non valet ars iſta, quia ad minus vult habere expenſas duobus annis. Et ſi contingat in opere errare, vel prolongare, quod non perueniat ad egeſtatem, vt in pluribus ſum expertus. Vidi alios qui ſublimationes faciebant puras & bonas ad quinque ſublimationes: & quum

plures facere non valebant, sophisticabant, & Venerem dealbabant, addentes quintam vel sextam partem Lunæ, & seipsos & alios decipiebant. Vidi alios qui spiritus sublimabant & figebant volentes cum eis tingere Venerem vel Martem, & quum impressionem non fecerunt, neque ingressionem habebant, dubitauerunt. Vidi quoq; quosdã qui spiritus fixos habebant, & ipsos cum oleo ingrediente cerabãt, donec ingressionem in corpora habebant, addentes tamen aliquam partem Lunæ, & ita figebant Venerem in album, quod simile erat Lunæ in malleatione & examinatione, & albedine, & quod pertransiuit bis aut ter examinationẽ, & tamen non fuit perfecta: quia Venus non fuit calcinata nec purgata a sua corruptione. Vnde dicit Aristoteles: Non credo metalla transformari posse, nisi reducantur in primam materiam, id est in calcem per ignis adustionem: & tunc possibile est illud. Vidi tamen & alios sapientes, qui ad plenum spiritus & pulueres sublimabant & figabant, solutiones & destillationes ex pulueribus parabãt, postea coagulabant, & postea metalla calcinabant, corpora dealbabant ad album, rubificabant ad rubeum, postea calcem reducebant in solidam massam, & ipsa tingebant in Solem & Lunam, quæ melius erant omni naturali in omni examinatione & malleatione. Videns ergo tot errare, iam decreui scribere vera & probata opera, & meliora omnium Philosophorum, in quibus laboraui, & sum expertus: nihil aliud scribam, nisi quod oculis meis vidi.

Vnde oriantur metalla.

Alchemia est ars ab Alchimio inuẽta, & dicitur ab archymo Græce, quod est massa Latine. Per hanc enim artem reducuntur metalla, quæ in mineris sunt corrupta, & imperfecta ad perfectionem. Et notandum, quod metalla differunt inter se accidentali forma tantum, non essentiali: ergo possibilis est spoliatio accidentium in metallis. Vnde possibile est per artem nouum corpus constitui: quia omnia metallorum genera generantur in terra ex sulphure & argento viuo commistis, vel etiam propter terram fœtidam. Sicut enim puer in ventre matris suæ ex corrupta matrice contrahit infirmitatem ex causa loci per accidens, & corruptione, quamuis sperma fuerit mundum, tamen fit puer le-

leprosus & immundus causa matricis corruptę. Sic est in metallis, quæ corrumpuntur, vel sulphure corrupto, vel terra fœtida: vnde hæc est differentia omnium metallorum, qua differunt inter se. Quando enim sulphur mundum rubeum occurrit argento viuo in terra, inde aurum generatur tempore breui vel longo per assiduitatem vel decoctionem naturæ sibi subseruientis. Quando vero mundum & album occurrit argento viuo in terra munda, inde generatur argentum, quod differt ab auro in hoc, quod sulphur in auro rubeum, in arg. album fuerit. Quando autem sulphur rubeum, corruptum & vrens occurrit arg. viuo in terra, inde generatur cuprum, & non differt ab auro nisi in hoc, quod in auro non fuit corruptum. Quando vero sulphur album, corruptum & vrens occurrit arg. viuo in terra, inde generatur stannum: & quia stridet inter dentes, & velocem habet liquefactionem, ideo est, quia arg. viuum non fuit bene commistum cum sulphure. Quando vero sulphur album, corruptum & vrens occurrit arg. viu. in terra fœtida, inde generatur ferrum. Quando sulhpur nigrum & corruptum occurrit arg. vi. inde generatur plumbum, de quo dicit Arist. quod plumbū est auru leprosum. Iam satis dictum est, vnde metalla habeant originē, & quomodo inter se differant forma accidentali, & non essentiali. Restat nunc videre, de probationib. Philosophorum, & auctoritatibus, quomodo probent esse verā hanc artem, vt obuiare possimus alijs, qui contradicunt eam non esse veram.

Probat artem Alchemiæ esse veram.

VOlunt ergo quidam contradicere, & quamplures, & maxime illi qui non intelligunt aliquid de arte, nec metallorum naturas cognoscunt, & nesciunt quid sit eorum intrinsecum vel extrinsecum, & dimensiones & profunditates metallorum minime cognoscentes. Istis igitur, quum obijciunt Aristotelis verba dicentis, Sciant artifices Alchemiæ rerum species permutari non posse: respondendum, hoc dixisse de ipsis qui credunt & volunt metalla adhuc corrupta transsubstantiare: quod sine dubio vix fieri potest. Audiant ergo verba Aristotelis quæ sequuntur: Quod experientia destruit formam specierum, & maxime in metallis: & hoc est verum, quando aliquod metallum est calcinatum, & inde

inde fit cinis & calx, quæ teritur & lauatur, & ceratur, cum aquis acutis, donec fiat alba & viua: & sic per calcinationes & medicinas diuersas amittunt humiditatem corruptam, & adustiuam, & acquirunt hnmiditatem aeream viuificantem ipsa corpora, & calx mundata reducitur ad solidam massam: quæ massa potest recipere tincturam albam & rubeam. Vnde ait Hermes, Quod spiritus ingredi corpora non possunt, nisi purgata, & non ingrediuntur, nisi aqua duce. Aristoteles dicit, Non credo quod metalla possint transsubstantiari, nisi reducantur ad primam materiam, id est mundificētur à corruptione sua per ignis adustionem. Adhuc contradicentibus, & non credentibus melius obuiare volo, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: videmus species diuersas recipere formas diuersas diuersis temporibus: sicut patet in Arsenico, quod est rubeum, & per decoctionem & assiduitatem erit nigrum, per sublimationem erit album, semper tale. Et forte aliquis diceret, quod tales species de facili possunt transmutari de colore in colorem, sed in metallis impossibile. Quibus respondeo ex euidenti causa per diuersas probationes & euidentias, eorum errorem penitus destruens: Videmus enim ex argento generari azurum, quod dicitur transmarinum: quod tamen cum natura sit perfectum, carens omni corruptione, facilius videtur, & est destruere accidentale quam essentiale: videmus enim cuprum recipere colorem citrinum ex lapide calaminari, quum tamen neutrum sit perfectum, neque cuprum, neq; lapis calaminaris, quia in ambobus agit ignis. Videmus quod ex stanno fit lithargyrium, & stannum per nimiam decoctionem vertitur in colorem auri, quod tamen possibile esset conuerti in speciem argenti, cum de natura eius sit. Videmus & ferrum conuerti in argentum viuum, quod videtur quibusdam impossibile: & quare sit possibile iam rationem dixi superius, quod omnia metalla generantur ex arg. viu. & sulphure: vnde cum arg. viu. sit origo omnium metallorum, etiam possibile est vt ferrum redigatur in arg. viu. Nōne, verbi gratia, aqua liquida tempore hyemis per nimiam frigiditatem induratur, & fit glacies, nonne glacies à calore Solis soluitur & erit aqua, vt prius? Ita est de arg. viuo vbicūque est in terra, & si ibi est sulphur, tunc ista duo coadunantur simul, & per decoctionem temperatissimam longo tempore

pore indurantur, & erit lapis mineralis, de quo trahitur metallum. Videmus etiam quod ex plumbo fit cerussa', ex cerussa minimum, ex minio plumbum. Ecce iam satis manifeste probatum est, quomodo species permutantur de colore in colorem vsque ad tertiam vel quartã formam. Vnde nullo modo dubitandum est, quin metalla corrupta possint reduci ad sanitatem per medicinas suas. Iam positum est fundamentum ad artem istam: videamus quod superædificemus. Si enim superædificauerimus fœnum, vel lignum, vel stipulam, ignis consumet omnia. Inueniamus ergo lapides, quos ignis non destruat, neque corrumpat: tunc securi erimus ab omni perturbatione. Et sciendum quod ea quæ diximus de impedimento artis, & principio, & postea de probationibus eiusdem, ideo dicta esse, vt artem veram esse stabiliamus, &c. Nunc videndum qualiter agendum sit, & quo tempore, & quo loco. Et primo incipiendum est firmare etiam pręcepta. Primum ergo præceptum est, vt artifex huius artis sit tacitus & secretus, & nulli reuelet suum secretum, quod nulla ratione vlterius manifestet: sciens pro certo, quod si plures scirent, nullo modo pertransibit, quin diuulgetur: & quum diuulgatum fuerit, pro falsario reputabitur: & ita erit in perditione, & opus imperfectum remanebit. Secundnm præceptum est, vt artifex habeat locum, & domum specialem extra hominum conspectum, in qua sint duæ cameræ vel tres in quibus fiant operationes ad sublimandum, solutiones, & destillationes faciendũ, sicut in posterũ docebo. Tertiũ est vt obseruet tempus in quo sit operandum, & horas ad sublimationes, & solutiones, & destillationes: quia non valerent in hyeme sublimationes: solutiones vero & calcinationes omni tempore fieri possunt: hæc autem omnia in operibus lucide docebo. Quartum est, vt artifex huius artis sit sedulus & frequens circa operationes, & non sit tœdiosus, sed perseueret vsque in finem. Quod si inceperit, & non perseuerauerit, res & tempus amittet. Quintum, vt secundum artis institutionem operetur: primo in contritionibus, secundo in sublimationib⁹, tertio in fixionib⁹, quarto in calcinationib. quinto in solutionib. sexto in destillationib⁹, septimo in coagulationibus: & sic per ordinem. Si autem tingere præter sublimationem, & coagulare, & soluere per destillationem voluerit, perdet pulueres suos: quia quum proiecti fuerint, non

reti-

retinebit ex eis quicquam, sed reuolabit citissime. Vel si cum fixis pulueribus, qui non sunt soluti nec distillati tingere voluerit, nō ingredientur nec permiscentur corporibus. Sextum est, vt omnia vasa, in quibus debent poni medicinæ, vel aquæ, vel olea, siue super igne vel non, debent esse vitrea, vel vitreata. Si enim in vase cupreo ponantur aquæ acutæ, fient inde virides: Si autem in ferreo vel plumbeo, denigrantur & inficiuntur: Si in fictili penetrabunt, & destruentur omnia. Septimum est, quod cauere debes ante omnia, ne apud principes vel potentes intromittas te de aliquibus operationibus, propter duo mala: si enim intromiseris te, tunc de tempore ad tempus requirent à te, & dicent, Magister quomodo succedit tibi? quādo videbimus aliquid boni? Et non valentes expectare finem operis, dicent, nihil esse, truffam esse, &c. & tunc habebis tædium maximum. Et si ad finem bonum non perduxeris, indignationem perpetuam ex hoc acquires. Si autem ad finem bonum perueneris, cogitabunt perpetuo te habere, nec permittent te abire: & ita illaqueatus eris verbis oris tui, & sermonibus proprijs irretitus. Octauum præceptum est, nec aliquis intromittat se de operationibus, qui non habeat expensas plenas ad minus, & vt omnia possit comparare, quæ ad artem sunt necessaria, necnon & vtilia: & si intromiserit se, & expensæ defecerint, tunc res & omnia amittet.

Quod furni sint necessarij, & quales, & quanti.

NVnc videndum est, quomodo fiant furnelli, & qui, & quot sunt necessarij. Ad quod sciendum est, quod furnelli debent fieri ad quantitatem operis. Si enim res tibi sint sufficientes, & opus magnum volueris inchoare, tunc eo maiores construendi sunt. Si autem exiguum tibi fuerit, furnellos secundum quantitatem pulverum & medicinarum construes. Volo tamen ponere doctrinam furnellorum, & quantitatem secundum quod expedit tam diuitibus, quam pauperibus. Primo ergo dicendum est de furnello philosophico. Statuatur furnus prope parietem, vbi ventus accedere possit: furnus vero distet a pariete per longitudinem brachij in hunc modum. Fiat fouea in terra ad vlnæ profunditatem, in latitudinem duarum spānarum vel paulo

plus

plus, quę circumliniatur argilla magisterij, super quam constituatur murus per circuitum de eadem argilla.

De qualitate vel quantitate furni.

Recipe de argilla simplici & appone ad quatuor partes quintam partem argillæ figulorum, & contere optime, & adde parum de arena, & iterum contere (aliqui apponunt consulto fimum equinum, aut saltem aquam, in qua ille fimus fuerit dissolutus) quo facto, fac murum, vt dixi, super foueam in altitudine duorum pedum, vel parum minus, & ad spissitudinem spannæ vnius, & permitte siccari, & tunc habeas rotam factam de argilla figulorum, quę ignem fortem sustinere possit, quæ vndique sit perforata, habens 50. vel 60. foramina, secundum rotæ quantitatem, ad modum digiti superius arcta, inferius vero ampla, vt liberius possit descendere cinis: inferius vero in terra fiat meatus per terram & parietem, antequam rota superponatur, & ille sit arctus circa foueam, extra vero parietem amplus quasi ad vnam spannam, vt ventus intrare possit: qui meatus debet liniri argilla: quo facto superponatur rota, ita vt amplitudo foraminum sit subtus: & tunc iterum fiat murus super murum, & rotam ad spissitudinem spannæ: murus vero sit in altitudine super rotam vnius brachij: furnus vero habeat foramen in medio super rotam, vbi carbones imponantur. Superius vero habeat foramen, vbi vasa calcinatoria imponantur: quod foramen cooperiatur postea, cum coopertorio sibi apto. furnus quoque habeat subtus (alibi supra) foramina parua quatuor vel quinque in amplitudine trium digitorum. Et hæc est forma furni.

Præterea sciendum est, quod super rotam debes ponere tripodem de argilla factum, super quo ponantur vasa calcinatoria, vt desubter ponantur carbones.

Quod & quales sint furni sublimatiui, & vnde.

Nunc videndum est de furnellis sublimatiuis, qui ad minus debent esse duo vel quatuor, & fiant per omnia cum rota, & meatu, & foraminibus, sicut furnus philosophicus, excepto quod non debent esse tantæ capacitatis: & isti debent simul stare, vt omnibus possint ministrare.

Qua-

Quales sint furni destillatorij.

FVrnelli destillatorij sic faciendi sunt: fiant vt supra de argilla: fiat murus rotundus super terram ad spissitudinem quatuor digitorum, in latitudinem vero trium palmorum: & habeat fornax per circuitum foramen in amplitudine trium digitorum: furnus vero sit amplior superius, quam subtus in hunc modum, vt eius figura demonstrat. De istis furnis fiant tantummodo duo, qui sufficiunt ad destillandum. Vasa vero sint furnellis apta, alia ad destillandum, alia ad calcinandum, alia ad coagulandum, quorum formam ponemus in fine libri. Reperies in Cælo philosophorum Vlstadij, &c.

De furno vitreariorum.

FVrnus vitreariorum fiat cum cæteris in fine, qui satis est necessarius ad vitreandum.

Quomodo vasa fictilia deuitreantur.

REcipe quodcunque vas volueris deuitreare, scilicet vas de argilla bene combustum, & linito bene cum minio sic temperato: recipe aquam & impone de fermento ceruisiæ vel vini quantum ad decimam partem aquæ, & misceas simul, & postea impone minium quantum volueris, & misce bene simul, & inde lineas vas cum penicillo, vel cum manu, & permitte siccari. quo desiccato pone in furnum, concauitatem subtus vertendo, ita quod iaceat super duo ferramenta fortia, quę in medio fornacis sint posita. Et si vis plura vasa imponere, melius est vt claudas os fornacis cum lapide & argilla, & fac ignem lentum primo ad spacium vnius horæ, postea vigora ignem, quousque videas minium defluere sicut ceram: tunc cessa & permitte infrigidari, & tunc aperi & inuenies vasa tua optime vitreata. Hoc tamen nota, ꝙ minium factũ de cerussa decuplo plus valet ipsa cerussa, quam minium factum de cinere plumbi. Data doctrina de furnellis, iam dicendum est de spiritibus & medicinis.

Quod quatuor sunt spiritus metallorum qui tingunt.

Scien-

SCiendum ergo quod quatuor sunt metallorum spiritus, scilicet Mercurius, sulphur, auripigmentum, vel arseni cum, & sal armoniacum: isti quatuor spiritus tingunt metalla in album & rubeum, id est in Solem & Lunam: non tamẽ per se, nisi prius præparentur ad hoc cum medicinis diuersis, & non effugiant ignem: & cum steterint in igne faciunt mirabilia opera: faciunt enim de Marte vel Ioue Lunam, de Venere vel Saturno, Solem. Et vt breuiter dicam, omnia metalla transsubstantiantur in Solem & Lunam, quę paria sunt omni naturali in omnibus operibus, excepto quod ferrum Alchemiæ non trahitur ab adamante: & aurum Alchemiæ non lętificat cor hominis, nec curat leprã, & vulnus ex eo factũ tumescit, quod non facit ex auro naturali: In omnibus .n. alijs operibus, scilicet malleatione, examinatione, & colore durat in ęternum. De his quatuor spiritibus fit tinctura, quę dicitur Elixir Arabice, fermentum Latine.

Quid sit Elixir, & quod massæ metallorum transsubstantiantur per hos quatuor spiritus.

EST autem Elixir nomen Arabicum, Latine vero significat fermentum: quia sicut panis fermentatur & leuatur per bonum fermentum, ita massæ metallorum trãsubstantiantur per hos quatuor spiritus in album & rubeum, & maxime per Mercurium, quia ipse est fons & origo omnium metallorum.

De generibus medicinarum & nominibus earum.

DE spiritibus vero alijs & medicinis, quę sint, & quomodo nominentur, sic est intelligendũ, scilicet sal cõmune, sal alkali, sal nitri, sal borax, alumen zucharinum, alumen iameni, tartarum, atramentum, viride æris, lapis calaminaris, cuperossa, tutia, cinnabrium, minium, cerussa, oua gallinarũ, testę ouorũ, acetũ, vrina, cadmia, marchasita, magnesia & aliæ res multæ, de quibus in hoc libro non habemus necesse. Ista vero non tingunt, sed sunt adiuuantia spiritus vt citius præparentur, & citius soluantur, & cũ aquis ipsorũ terantur calces metallorũ, & acquirant humiditatẽ rectificantem ipsa corpora. Hæc autẽ quomodo præparentur, & vbi inueniantur, & calcinentur, & soluantur, & destillentur, per ordinem in sequentibus ostendemus.

Quid

Quid sit Mercurius, & vnde nascatur.

EST autem Mercurius aqua viscosa in visceribus terrę, substantiæ subtilis terræ albæ per calorem temperatissimum vnita tali vnione æqualiter: ideoque fugit in superficie plana de facili; & propter aquositatem non adhęret, licet viscosam habeat substantiam, propter suam siccitatem, quæ illi obtemperat, & illam adhærere non permittit. Est etiam materia metallorum cum sulphure, scilicet lapis rubeus de quo extrahitur arg. viuum, & inuenitur in montibus, maxime in cloacis veteribus in multa quātitate. natura ei9 est frigida & humida, & est fons omniū metallorū, & ab eo procreantur omnia, vt supra dictū est. Creatur vero cum omnibus metallis, & miscetur ferro, & sine ipso nullū metallū deaurari potest. Additio. Arg. viu. cum sulphure & sale armoniaco sublimatum conuertitur in puluerem rubeum splendentem: & iterum vstum in igne, redit ad substantiam humidam & fluentem.

Quid sit sulphur, & quid operetur, & vbi inueniatur.

SVlphur vero pinguedo terræ est in minera terræ per temperatam decoctionem inspissata, quousque induretur, & fiat spissa: & cum indurata fuerit, vocatur sulphur. Fortissimam sulphur operationem habet, & est vniformis substantiæ in partibus suis: & ideo non aufertur ab eo oleum eius per destillationem, sicut ab alijs rebus oleum habentibus, sed per aquas acutas sulphur in ipsis decoquendo: inuenitur in terra, aliquando in montibus, aliquando in paludibus: est etiā multiplex, scilicet albū, rubeum, viride, citrinū, nigrum: & etiam quoddam mortuum. Viuum est illud quod de terra extrahitur mundum fusum, & valet contra scabiem. Mortuum vero est quod fusum est in cannis, & inuenitur in apothecis. Additio. Sulphur igneam habet naturam, ipsum liquefit vt gumma, & totum fumus est.

Quid sit auripigmentum, & vnde nascatur.

AVripigmentum est lapis mineralis, & sic fit. Sterquilinium terrestre in cauernis terræ per longam decoctionem transit in substantiam auripigmenti. Duplex est in eo viscositas: alia subtilis, alia grossa: vna tollitur per ablutionem

& de-

& decoctionem eius in vrina, alia per sublimationem, vt inferius dicetur. Additio. Auripigmentum est calidum, comburens, nisi candidetur. Auripigmentum sublimatum, cuprum in argenti speciem dealbat: idque super salis gemmæ partes quatuor, duabus salis armoniaci appositis; superius inferiori superpone: habens itaque tertio commutationem, videbis optatum.

Quid sit Arsenicum.

ARsenicum est de materia subtili, colorem habens sulphureum, & est lapis rubeus: natura eius est sicut auripigmenti: flos eius erit albus & rubeus: de facili sublimatur. Duobus enim modis albificatur, scilicet per decoctionem & sublimationem.

Quod sal armoniacum sit duplex.

SAl armoniacum duplex est, scilicet naturale & artificiale. Naturale est quod inuenitur in terra duplex, scilicet album & rubeum: quorum tamen vtrumque extrahitur de minera dura & clara, saporem habens vehementer salsum, natura eius calida & sicca. Est etiam lauatiuum, mundificatiuum & subtiliatiuum. Artificiale est melius naturali in opere nostro: & ipsum est nobilius omnibus salibus, & conuertit Mercurium in aquam, quando cum eo assatur & teritur, & mittitur in aliquo loco humido ad soluendum: & cum ipso ferrũ & plumbum soluitur. Ipsum quoque est oleũ, ꝙ cõgelauit siccitas ignis. Natura eius est calida & humida, & est spiritus subtilis ad elixir: nã sine ipso nec soluent̃ nec ingrediẽtur. Et sciendum est, quod per ipsum nõ dealbantur corpora, nec rubificantur, nec transubantiantur sicut per alios spiritus: sed ipse dat alijs introitum, & purgat, & mundificat corpora à nigredine: tunc relinquit ibi spiritus cum corporibus permistos, & coadiuuat eos, & postea recedit. Additio. Aqua salis armoniaci sublimati, vel non, sed per filtrum, vel pluries per pannũ subtilem & spissum colati cuilibet corpori calcinato in aliud corpus fusile præbet ingressum, si illud calcinatum sæpe in eo imbibatur, & postmodum congeletur, & vltimo pulueriz etur & dissoluatur. Vnde crocus ferri hoc modo præparatus, argẽto [illegible] optimi tincturam præbet.

Quid valeat sal commune, & quomodo præparetur.

SAl commune est clauiger huius artis, quia claudit & aperit omnia, & sine illo nullum opus Alchemiæ perfici potest. Præparatur autem sic: Accipe de eo quantum vis, & solue ipsum in mortariolo cum aqua calida mouendo, donec solutum sit, tunc cola per pannum spissum in vas lineum, & quod remanet supra fundum, iterum cum aqua calida, sicut prius, solue, donec totum sit solutum. Tunc aquam illam coque in vase vitreo, aut plumbeo, aut cupreo, donec aqua euanescat, & sal reuertatur in priorem statum. Tunc accipe illud sal, & pone in ollam nouam ad furnum calcinationis (olla debet claudi) & sicca optime, & serua vsque dum doceam te qualiter debes soluere & destillare. Additio. Non debet fieri in metallo, quia non est bonum, vt expertus sum, sed in vase terreo plumbato, vt dicit Geber in libro de Perfectionis Inuestigatione in particula prima. Dissolue sal in aqua calida, dissolutũ destilla per filtrum, destillatum congela in vase apto cum lento igne. Alij postea ponunt in furno calcinationis aut panis, & siccant optime, & seruant.

Aqua salis cuiuslibet.

FIt autem sal fundens sic: Recipe sal de Pictauia, & tere minute in mortario cupreo: postea imple quatuor vesicas mutoninas, & liga illas cum corda per collum vt non respirent: postea habeas cacabum plenum aqua pluuiali, & pone vnum baculum in transuerso cacabi, ad quem suspendes tuas vesicas & submerge in aqua vsque ad collum, & ibi dimitte per diem naturalem, deinde extrahe & cola aquam, extra quam intus reperies, & quod non est dissolutum, repone in cacabo per alium diem vt prius, & tot vicibus facias, quousque totus sal resoluatur in aquam, postea destilla & congela: postea congelatum pone in potto terreo super ignem carbonum vndique accensum, bene tamen prius lutato, & tunc dimitte in igne aut furno quousque ignis extinctus sit: & postquam infrigidatum est, aperi tuum sal quod erit vt metallum, & hoc fiat septem vicibus & non minus.

Quid valeat sal alkali, & quomodo præparetur.

SAl alkali est qui spectat ad artem istam, & quãdo bene præparatus est, tunc soluit omnes calces corporum in solidam massam. Natura eius est calida & humida. Fiat autẽ sic: Recipe cineres quercus putridæ in magna quantitate, vel cineres clauel-

uellatos proprie, quæ habentur ad pannos abluendos, & contere minutissime, & accipe sextam partem de calce viua, & misce simul, & pone pannum spissum super tinam, & desuper pone cinerem cum calce mistum, quantum pannus capere potest, & funde desuper aquam feruentem, & cola in lixiuium, donec totam amaritudinem extraxeris: & tunc deijce istum stratum, & pone alium, & huic fac sicut priori. Habita autem tota aqua, mitte residere in eodem vase vsque mane, & destilla per filtrum: tunc decoque eam in caldario, donec aqua euanescat, & non det fumum: tunc permitte infrigidari, & erit lapis durus, quod dicitur Akali, id est, fæx amaritudinis: & tunc accipe hunc salem, & pone in ollam vsque ad medium, & pone non clausum in fornacem, & dato ei in primo lentum ignem, quousque bulliendo non insaniat (siue saliat) postea da illi fortiorem, quousque totum rubescat & liquescat, sicut cera: tunc defunde cum forcipe in aliam ollam incontinenti, quia si aliquid tardaueris, non poteris effundere, quia cito indurabitur: & tunc habebis salem alkali album, quem pone in vase vitreo in loco calido & sicco, quia si in loco humido poneres, solueretur. Additio. Fiat autem aliter sic sal alkali. Recipe de cinere cuiusdam herbæ, quæ dicitur Soda, & bene mole, & bulli in ollam cum aqua, & fac transire per caligam, sicut claretum, semel aut bis: deinde destilla per filtrum, postea pone in potto terreo nouo, & ad lentum ignem congela primo, deinde augmenta ignem, quousque bene congeletur: tunc ponatur in loco mundo & sicco. Alumen faseolum dicitur alumen alkali, alosor, & cinis clauellatus, aut ex eo factum. Alumen iameni tere & solue in tribus libris aquæ vrinæ destillatæ, deinde destilla per filtrum nouum, deinde congela album, postea tere super marmor, deinde rota aliud marmor cum aceto destillato, & pone alumen illud tritum desuper inclinando marmor ab vna parte, vt cadat in vase vitreo aqua clara, & terrestreitas maneat super marmor vt terra alba, & hoc fiat in loco frigido & rorido, & ponatur in vase vitreo bene obturato: hanc aquam potes congelare in leuissimo igne humido: & cum hoc alumine fixatur spiritus, & cum hac aqua lauantur corpora calcinata.

Quid valeat sal commune, & quomodo præparetur.

ACcipe de alumine quantum vis, & pone vſque ad medium vel minus in ollam, & claude vas, & pone in furnum, & primo da ignem lentum, & poſtea fortem, & permitte ſiccari per diem integrum in tali igne: poſtea extrahe quum fuerit infrigidatum, & inuenies alumen albius niue, quod ſerua, quia ex ipſo fit aqua ad album, ſuper lapidem marmoreum in loco frigido & humido. Additio. Hoc modo dicto poteſt reſolui alumen quodlibet in aquam, vel terendo cum pauco ſalis armoniaci ſublimati, vel poſitum ad diſſoluendum ſuper marmor, aut in fimo, aut in vapore aquæ calidæ, aut aliter.

Quomodo atramentum rubificatur, & ſoluitur in aquam.

ATramentum eſt terra nigra, odorem habens ſulphureum, cum crematur in igne: mutatur eius color niger in rubeũ per calcinationem, quem nunquam amittit de cætero. Recipe atramenti triti quantum vis, & pone in ollam vſque ad medium, vel ad ſummum, & claude cum coopertorio, & argilla linias, & deſiccatum pone in furno calcinationis, & da ignem primo lentum per tres horas, poſtea fortiorem tribus horis, donec tota olla rubeſcat, & in tali calore ſtare permitte per diem & noctem, & caue ne liquefiat, poſtea permitte infrigidari & extrahe, tunc habebis atramentum rubrum, quod vocatur flos atramenti. Reſerua ergo: nam quando ſolutum eſt in aquam, tunc rubificantur ſpiritus & corpora cum eo colore rubeo, quem nunquam amittent. Additio ad caput ſuperius de Alumine. Alumen plumbæ ſic præparatur: Tere minute, & coque in vrina purgata & imponas tantum aquæ vrinæ, quod ſuperet alumen de duobus digitis, & coque quouſque alumen ſit diſſolutum in aqua, poſtea deſtilla per filtrum, deinde congela & ſicca inter duas patellas terreas ſuper lentum ignem. Et ſic debes ſiccare res, quas non potes ad Solem ſiccare, niſi ſint ſpiritus: quia eorum exiccatio eſt alia, & ſic fit: Pone eum in vaſe vndique clauſo, præterquam ſuperius, vbi ſit paruum foramen ad quantitatem piſi, & vas cum materia pone in furno ſiccari, dum panis fuerit extractus, vel factus ſit modicũ calidior, & ibi dimitte per totam noctem, & in mane reperies ſiccum: & hæc præparatio dicitur Exiccatio. Quære in Ariſtotele de Perfecto magiſterio.

Quæ-

Quomodo præparatur tartarum, vt oleum fiat ex illo, quo calces soluuntur.

TArtarum est res quæ multum valet ad istam artem, quod sic præparatur: Recipe tartarum crassum rubei vel albi vini, & imple ex eo ollam, & claude: postea pone in furnum, & da ignem primo lentum, postea fortiorem: hoc fac tribus diebus & noctibus, ita quod olla rubescat, postea extrahe & reserua, & docebo oleum facere ex eo, cum quo soluere poteris omnes calces corporum & spirituum in aquã, & ipsa est vnum de retinaculis. Additio. Non est bonum implere ollam in forti igne, & hoc sum expertus pluries.

Quomodo viride æris fit, & quomodo rubificatur, & super omnia valet ad artem istam.

VIride æris fac sic: Laminæ æris primo cum sale armoniaco & melle resolutis inunctę suspendantur super vapores aceti fortis in olla forti, & claude valde bene ne aliquo modo respiret, & ponatur in loco calido, vt acetum euaporet, & permittatur stare tribus hebdomadibus, vel quatuor, postea aperi, & inuenies viride æris adhærere laminis, quod abrade & serua, & iterum suspende laminas super acetum sicut prius, donec totaliter conuertantur in viride æris: postea ad ignem positum calcina per omnia, sicut de attramento docui, & erit color rubeus, qui nunquã destruetur: qui quãdo solutus est in aquam, cum ipso corpora & spiritus rubificantur colore perpetuo: & ipsum est vnum de retinaculis spirituum: & in ipsa aqua sunt secreta multa. Additio. Vel sic fit æs viride: Recipe limaturæ Veneris libram vnam, vitrioli, salis armoniaci, ana libram semis, de omnibus cum forti aceto fac pastam, pone in vase vitreo in fimo equino: ibi putrefiet: & efficietur viride æris nobile. Flos. Tolle patellam mundissimam de æramine, & suspendas super acetum acerrimum, & pone ad Solem immobiliter: post quatuordecim dies aperies, & tolle ipsam patellam, colligesque florem, & facies iarim mundissimum. Nota quod Geber dicit in lib. Fornacum, in cap. Lunæ, quod Venus debet esse purgata & dissoluta, & ex ea extrahi ur sulphur mundissimum, tingens & fixum.

Quomodo fiat Cinnabrium, & de quo.

CInnabrium est res nobilis, quę ad artem spectat, & vocatur Vsifur: fitque ex argento viuo, & sulphure, sic: Recipe Mercurij partes duas, & sulphuris tertiam partem, & contere ad modum vermilionis, & pone in vas vitreum, angustum habens collum, & bene linias vbique cum argilla ad spissitudinem vnius digiti, & desiccatum pone super tripodem, & obstrue os vasis bene, & da ignem lentum fere per dimidium diem: post vigora ignem melius, & sic assa per integrum diem, donec videas superius fumum rubeum exire, tunc permitte infrigidare, extrahe, & frange vas, & inuenies cinnabrium fixum, bonum: exercitare ergo, & inuenies veritatem. Et nota, quod cum in cinnabrio tibi visum fuerit, quod vas incipit superius sudare, aperi valde caute, & videbis fumum croceum exhalare, qui post modicam horam transformabitur in colorem rubeum siue cinnabrij: postea accipe lignum & in ampullam mitte, & extrahe, & videbis: si satis sit, tunc permitte infrigidare. Additio. Sed primo lauetur Mercurius cũ cinerib. & sale, & per transitum rari panni. Similiter etiam suphur bulliatur in vrina, & aceto, auferendo nebulam supernatantẽ, & post exiccetur, scilicet per vnũ diem in aceto, & secundo in vrina decoquatur. Sed vidi in scriptis istam: Recipe duas partes Mercurij, tres partes sulphuris, quatuor partes salis armoniaci. Hæc Hermes.

Quomodo & vnde fit Azurium.

ETsi Azurium non sit necessarium in arte nostra, tamen de eo ponam doctrinam: Recipe duas partes Mercurij, & tertiam partem sulphuris, & quartam partem salis armoniaci. hæc contere sicut docui de cinnabrio, in vase vitreo positum: assa per omnia vt cinnabrium: & cum videris per fumum vitrum blaueum, tunc satis est: & cum infrigiditatum fuerit, frange vas, & inuenies azurium nobile: tunc contere super lapidem sine aqua, & habebis ex eo expensas tuas. Additio. Aliqui dicunt, quod vas vitreum debet manere apertum, donec materiæ humiditas exhalata fuerit super ignem. Vidi in quodam tractatu circa pondus azuri 12. pondera Mercurij, 8. sulphuris, & 4 salis armoniaci. Item vidi in alio tractatu poni vnum pondus salis armoniaci, duplũ sulphuris viui, triplũ Mercurij:

curij: lutato vase ponatur in fimo triduo, postea decoque, vt supra Hermes. Adhuc alius modus: Recipe lib. 1. Mercurij, sulphuris vncias 4. salis armoniaci vncias 2. contere & sublima, & fiet azurium vltramarinum lento igne. Alius modus: Recipe Mercurij drachmas 12. sulphuris viui drachmas 4. salis armoniaci drachmas 3. Aliter: Recipe duas partes Mercurij, tertiam partem sulphuris, & octauam partem salis armoniaci: puluerizentur & ponantur in vitro lutato, & strictum collum habente, detur mediocris ignis per dimidium diem: & tunc fortis, & lutetur foramen, & si blauius fumus exiuerit, satis est, &c. Alibi 22. pondera Mercurij, sulphuris 8. salis armoniaci 4. & fiat per omnia sicut visum.

Quomodo fit cerussa, & vnde.

CErussa sic fit: Recipe laminas plumbi, & suspende eas super vapores aceti fortis in olla forti, & claude vas, & pone in loco calido, & per omnia fac sicut fecisti de viridi æris, & inuenies cerussam laminis adhærere, quam collige & serua donec habeas magnam quantitatem, & inde fac minium.

Quomodo fit minium de cerussa.

MInium de cerussa sic fit: Cerussam tere bene super lapidem cum aqua, & fac inde quasi pastilla, & pone in vas fictile formatum ad modum bacini non habentem rotunditatem vel longitudinem, sed prius pone ollam magnam super lapidem, vel super duos parietes ex argilla, ex altitudine vnius spanæ, & super illos pone ollam, ita quod os ollæ super vnum parietem iaceat, & fundus super alium, & tunc depone vasculum cum cerussa in medium ollæ, & illud cooperi cum alio vase sibi apto, & da primo lentum ignem, & postea fortiorem per dimidium diem: tunc permitte infrigidari, & inuenies cerussam aliquantulum rubeam. Iterum fac sicut prius, terendo per dimidium diem, tunc extrahe, & inuenies minium bonum.

Quomodo fit minium de cinere plumbi.

ACcipe ollam & pone super duos parietes, sicut docui supra, & plumbum impone, & da ignem fortem: cum liquefactum fuerit, habeas cochlear ferreum longum, cum quo moueas continue, & cito incineretur: & hoc fac tamdiu donec incineretur totum: quod infrigidatum per pannum lineum, vel per strictum cribrum extrahe quod re-

manserit: iterum proijce in ollam mouendo vt prius, donec totum redigatur in puluerem subtilem, quem iterum cribratum super lapidē iterum tere cum aqua, & de ipso per omnia fac vt docui de cerussa, terendo, assando, donec habeas minium.

Additio. Minium etiam sic fit: Accipe quinque aut sex libras Saturni, in quolibet potto, & facias fundi bene calidum, & mole ferrum intus cannam, vsquequo veniat totum in puluerem, & dimitte quiescere duas horas, tunc distempera in vrina, & pone tres horas super ignem in potto bene calidum per octauam partem vnius horæ, & dimitte ignem diminui per se ipsum, tunc habet rubeum colorem: & postea oportet iterum terere super vnam mensam, & iterum mittere in cannas, & ibi dimittere per vnum diem ad lentum ignem competenter: & factum est. Aliter: Recipe tertiam partem salis gemmæ, duas partes arsenici rubei, & tandundem argenti viui, & miscebis simul, & facies minium inde.

Quid sit sublimatio & quot modis potest fieri.

Sublimatio autē est rei siccæ per ignem eleuatio cum adhærentia sui vasis. Sublimatio vero diuersificatur secundum diuersitatem spirituum sublimandorum. Quædam vero fit cū ignitione, vt marchasitæ, magnesiæ & tutiæ: quædam vero cum ignitione mediocri, vt Mercurij & arsenici: quædam cum igne remisso, vt sulphuris. Quædam vero sublimatio Mercurij est, vt fiat despoliatio terrestreitatis illius, & aqueitatis mutatio. Est autem ingenium separata terra superflua sæpius commista cum rebus, cum quibus affinitatem non habet: & sublimationem ipsius ita reiterare sæpius: & horum genus est calx corticum ouorum, & marmoris albi, & vitrum tenuissime tritum, & omne genus salis præparati: ab istis vero mundatur, ab alijs vero non, nisi fuerint in perfectione corpora: sed corrumpunt potius, quia sulphureitatem habent omnia talia, quæ cum ipso in sublimatione ascendentia opus corrumpunt. Et propter hoc, si sublimas à stanno vel plumbo, post sublimationem ipsum conspicies nigredine infectum: ergo melior est sublimatio per ea, cum quibus non conuenit: melius autem esset cum eis, cum quibus conuenit, si sulphureitatem non conuenit. Modus autem remotionis aqueitatis est, vt quando commiscetur cum

calci-

calcibus cum quibus ſublimari debet, teratur & commiſceatur cum illis, donec de eo aliquid non appareat, & ſuper ignẽ lentum aqueitas remouetur: qua recedente, & ſecum aqueitas mercurij recedit, ſicut in ſequentibus ſublimationibus ſpirituum docebo.

Quid ſit calcinatio, & quot modis fiat.

CAlcinatio autem eſt cuiuslibet rei per ignem puluerizatio ex priuatione humiditatis partes cõſolidantis. Calcinantur autem corpora à ſua perfectione diminuta. Calcinationes etiam ſunt diuerſæ. Calcinantur corpora, vt ſulphureitas illa defœdans & corrumpens deleatur: comburitur enim omnis ſulphureitas ex quacumq; re aduſtiua, quæ ſine calcinatione deleri non poſſet. Specialis enim mollium ſcilicet corporum per eam ea indurare, ſed manifeſtius imprimitur, & citius induratur. Cauſa vero calcinationis ſpirituum eſt, vt melius figantur & citius ſoluantur in aquam: quia omne genus calcinati fixius eſt, & facilioris ſublimationis, quam non calcinati. Corpora ergo mollia per ignem de facili poſſunt calcinari: corpora vero dura per ignem vehemẽtem, ſicut in fine docebo. Additio. Luna calcinatur ſic: Recipe vnciam vnam Lunæ puriſſimæ, aut plus, quantum vis, de qua fac laminas tenues ſicut vngues manus, & tertiam partem ſalis communis, communi præparatione præparati, & calcinati, & quartam partem de Mercurio ſublimato, & fac puluerem de dicto Mercurio & ſale ſimul tritis: poſtea cemẽta dictas laminas in ſublimatorio, ponendo primum lectum de dicto puluere, & ſecundum lectum de laminis dictis, & conſequenter lectuatim: deinde fac ſublimationem cum igne lento donec tota humiditas dictarum rerum miſtarum euaneſcat: deinde claude bene orificium, & augmenta ignem per diem naturalem; & caue ne remoueas vas ab igne immediate, ſed dimitte infrigidari per tres horas, & noli aperire vas donec ſit frigidum, quia exhalarent ſpiritus, & dum vas eſt frigidum, remoue, & extrahe mercurium ſublimatum clarũ vt cryſtallum, & pone ad partẽ, poſtea extrahe Lunam tuam cum ſale communi relictam ſemicalcinatam, & tere ſimul ſalem & Lunam ſemicalcinatam ſuper paropſidẽ, ſi fieri poſſit: ſi teri non poſſit, pone in caſſola vitrea, & cum aquis feruentibus ſepara totum ſal, donec nihil ſalſedinis ad linguam ſentias: tunc deſicca calcem relictam in fundo paropſidis, &

calcina iterũ cum nouo ſale & Mercurio ſublimato quinquies vel ſexies. Et in qualibet vice poſt calcinationem laua calcem Lunæ, donec nihil ſalſedinis in lingua ſentias, & luna tua calcinata ſit albiſſima & mundiſſima, vt radij ſtellarum, taliter ꝙ ſi fundas partem dictæ calcis cum borace, vel nitro, vel cum bono ſale alkali, inuenies lunã tuam cõuerſam in aurũ albũ.

Quid ſit coagulatio, & ad quid fiat.

COagulatio autem eſt liquoroſæ rei ad ſolidam maſſam per humiditatis priuationem reductio. Cauſa vero inuentionis eius eſt Mercurij induratio, & medicinarum ſolutarum ab aqueitate illis admiſta ablutio: coagulatur autem Mercurius ex frequenti illius præcipitatione cum violentia ad ignis aſperitatem. Aſperitas autem ignis illius aqueitatem remouet, & hoc fit in longo vaſe & arcto.

Quid ſit fixio, & quot modis figantur corpora.

EStautem fixio rei fugientis ab igne conueniens aptatio: Cauſa vero inuentionis eius eſt, vt omnis tinctura, omniſque alteratio perpetuetur in altero, & non mutetur: figuntur enim corpora à perfectione diminuta per calcinationem, quando ſoluuntur à ſulphureitate volante & corrumpente: figuntur enim ſulphur & arſenicum duobus modis: vno modo per iterationem ſublimationis ſuper illa in alijs, vel quouſque ſtent. Figuntur etiam ſpiritus alio modo, ſcilicet cum aquis metallorum, vel cum oleo tartari, ſicut dicam inferius. Additio. R. Mercurij ſublimati, ſalis armoniaci ana, ſublima ſepties, vel quouſque fundatur, tunc in fundo manebit lapis: illum tere & ſolue in loco humido, & fiat aqua: cum iſta aqua imbibe arſenicum metallinum, tunc ſolue cum aceto deſtillato, & deſtilla ſeptem vicibus, aut congela, & ſolue. fiet lapis:

Arſenicum autem fit metallinum fundendo cum duabus partibus ſaponis albi, & vna arſenici. Aliter fit in libro Fornacum apud Geberum: ibi vide, ſi vis. Sublima Mercurium, aut ſulphur, aut arſenicum præparata, aut plura illorum ſimul cum ſale tartari, aut ſale pettæ, aut armoniaco, & hoc fiat toties; quouſq; ſtent fixa, deinde extrahe ſal cum aqua calida.

Quid ſit ſolutio, & quot modis fiat.

SOlutio autem eſt cuiuſlibet rei calcinatæ in aquam reſolutio: cauſa vero inuentionis eius, vt ſuum intrinſecum fiat ex-

extrinsecum, & è contra: & vt conueniens sit ad destillandū: sic enim purificatur omnis eius corruptio. Fit autem solutio aut caliditate, & humiditate, vel frigiditate & humiditate, sicut in sequentibus docebo.

Additio. Aliqui soluunt postquam fuit calcinatum, cum tanto sui pondere is de sulphure in crucibulo clauso cum aqua aut succo limonum.

Quid sit destillatio, & quomodo, & quare.

DEstillatio autem est vaporum aquosorum in suo vase eleuatio: diuersificatur autem, quia quædā est sine igne, quædam vero cum igne: quæ cum igne est, duorum generum inuenitur: Quædam vero est per eleuationem vt illa quæ fit per alembicum: quædam vero est per descensum, vt ea quæ fit per cannam, & per ignem vasibus superpositum, &c. Causa vero generalis cuiuslibet dilationis est purificatio liquorum à fæce sua. Videmus enim rem destillatam puriorem effici: Causa specialis aquæ puræ fuit imbibitio spirituum & medicinarum mundatum: vt si quando egemus imbibitione, aquam puram habeamus, quæ fæcē post illius resolutionem nō habeat vel dimittat, qua medicinæ nostræ, & spiritus mundati infici possunt: causa vero inuentionis destillationis est quæ per descensum cannæ fit, olei puri in natura sua extractio, quando per sensum oleum in natura sua combustibile haberi non poterat, vt patet in petroleo. Destillationis autē q per filtrū pficitur inuentionis causa est, solius aquæ serenitas.

Additio. Sublimatur Mercurius sic. R. vitrioli exiccati, salis communis calcinati ante vnciam vnam: puluerizentur & misceantur, addatur vice post vicem vncia vna Mercurij, conterantur ad inuicem superaspergendo acetū destillatum parum, vt melius fortificetur vel, quod melius est, parum aquæ fortis: qa melius fortificabitur, postea pone in sublimatorio. Et si sublimatorium fuerit de vitro, fiat mediantibus cineribus, & lutum sit de creta puluerizata cum farina distemperata cum albumine ouorum: Et si sublimatorium fuerit terreū fiat super carbones, & sit lutū de argilla, calce viua cū stercore equorum, cum aqua salis & papyro optime madefacto.

Quid sit ceratio, & quomodo fiat.

CEratio autem est rei non fusibilis & siccæ mollificatio. Ex hoc patet, quod causa inuentionis eius est, vt quod in-

ingressionem non habebat ex priuatione liquefactionis in corpus ad alterationem (seu incerationem) mollificetur, vt fluat, & ingressionem habeat. Putauerunt quidam cerationem ex oleis liquidis & aquis debere fieri, sed erroneum est: in nullis enim tota humiditas inuenitur melius quam in sulphure & arsenico. Modus autem cerationis per illos est, vt toties per rem cerandam multiplicetur eorum sublimatio, quousq; in illud humiditatem inuenientes, fusionem bonam præstent: hoc autem non fiet ante illorum perfectam mundationem ab omni re corrumpente. Sed melius mihi videtur, vt eorum olea prius figantur per oleum tartari, & cum illis oleis fiat omnis ceratio competens: & hæc de his sufficiant.

Additio. Ceratio quidem est necessaria in omnibus Elixiribus tam spirituū quam lapidum, quam corporum: in hoc concordant omnes Philosophi. Modus cerationis est talis: Ceretur corpus donec appareat vt cera mollis, & natet desuper aqua: solue in phiala sub fimo, post destilla semel, & remoue fæcem, quia est aliquantulum nigra: deinde gela in fornace parua. Signa transmutationis sunt, si sumatur parum de illo Elixir post congelationem, pone in crucibulo super ignē si fundatur, est bonum: si non, redeas ad regimen.

Quomodo Mercurium præparabis, & super niuem dealbabis.

Recipe de Mercurio libram vnam, & contere super lapidem sic: R. calcem corticis ouorum, siue calcem marmoris albi, siue viride æris, & pone ex eo super lapidem, & superfunde acetum forte, & contere in pastam: postea appone de Mercurio parum, & contere donec nihil appareat, & iterum parum appone de Mercurio & contere simul sicut prius, & appone parum de sale armoniaco: vel tere omnia simul, donec non appareat Mercurius: tunc facies ex hoc frustula ad modum pastillarum, & pone in vas donec nihil appareat. Tunc fac ex eo pastilla, & pone in vas factum ad modum scutellæ, & pone ad siccandum in fornacem mediocriter calefactam, ne per nimium calorem Mercurius euanescat. De Mercurio sit libra 1. de Calce sit lib. 1. de Sale armoniaco est mensura vt semper sumas tantum quantum de calce, & quantum de Mercurio: & debet conteri donec nihil appareat de Mercurio. Quum autem bene desiccatum fuerit, iterū contere sicut prius cū aceto, donec nō appareat, & pone

ad

ad ficcandum. Hoc autem est signum perfectæ contritionis, quum ipsius parum madefactum cum saliua super argenteum denarium inde linitum non adhæserit Mercurius: si autē adhæserit, non est bene tritum. Quum autem satis fuerit, contere minutissime sine aliqua defectione, & positum in sublimationem, coopertorium superpone. Hoc tamen non est prætermittendum, quum imposueris medicinam, quia superficiem eius æques cum penna pectinādo; Et sic vas clausum cum argilla in coniunctione vasorum optime linias ne respiret, & positum super furnum sublimationis da ignem per dimidium diem lentum; donec ista humiditas euaporet: quod probabis superponēdo laminam, donec exiccetur: cum exiccatum fuerit claude cum argilla bene, & da ignem fortiorem, & in vltimo da fortissimum: & cum nox est permitte infrigidari: mane aperi, & quicquid de eo viuum fuerit, apparebit in superiori parte aludel: altera vero pars iacebit supra fæces sicut nix, pulverizabile circa parietes inferioris vasis, aliquando in superiori vase, illud collige & reserua: viuum sicut prius contere cum fæcibus, & sublima donec habeas ipsum totum mortuum & pulverizabile, & ita contere totiens & sublima, donec habeas ipsum totum mortuum & pulverizabile. Tunc vlterius ne apponas ei aliquem liquorem, quia statim reciperet suam viuacitatem, & labor tuus esset inanis. Recipe tunc de sale præparato vt docui, & bene pura & siccata parte vna, appone partem dimidiam Mercurij sublimati, & cum manu misce simul, & pone illud in vas ad sublimandum, & plana superius & claude, & sublima sicut prius: mane extrahe, & quod sublimatum est collige & proba, si in fæcibus aliquid remanserit, hac nota, accipe de fæce, id est, de sale parumper, & pone super carbones, si fumigat, tunc secunda die idem sublima sicut prius per diem, & postea collige diligenter valde omnia ista sublimata: & tertio cum nouo sale pone ad sublimandum: & sic fac sicut prius, & inuenies super niuem dealbatum. Tunc proba si adhuc in fæcibus aliquid remanserit: & si aliquid remanserit, sublima donec totum habeas: tunc accipe iterum nouū salem, & fac sicut prius quater vel pluries vsque ad fixionem, & serua.

Additio. A Talco etiam optime calcinatur. Magister Ide Meun in suo magno opere apponit etiā viride æris, quod tamen est contra Geberum in capitulo de sublimatione

Mer-

Mercurij: quia dicit, quod sublimari debet cum his, quæ sulphureitatem non habent, &c. Modus sublimandi Mercuriũ melior omnibus: Rasis in libro Diuinationis qui est 23. de 70. Sume sal gemmæ partem vnam, attramenti Ægyptij partem aliam, quas bene teras: Deinde super eas iace arg. viui quantum ipsæ sunt. & totum simul bene teratur, deinde ponatur in fundo alludel pergamenu, & super ipsum ponatur salgemma assatus, cui superponatur medicina, postquam illa desiccata fuerit, quod nihil humoris sit in ea relictum: & accẽdatur sub eo prius ignis paucus: deinde augmentetur, donec argentum sublimetur viuum: postea ipsum sume, & optime tere, & sublima ipsum: sitq; caput aludel in primis amplum, postea arctũ successiue & magis angustũ, donec redeat sicut palma manus: Sublimabitur enim sicut crystallus in partib. alludel sub scuto. De eo vero quod est super scutum, nõ fit lapis, sed erit puluis albus: & hoc erit septem vicibus. Si ergo firmatum fit super ignem, & tabulam ignitã, erit bene, & si non, reitera sublimationem cum atramento & sale, ita quod super caput angustetur: ipsum enim curret (vel hæret) & facit tabulam albam, & argentum merum.

Si sæpius sublimaueris Mercurium, in qualibet vice debes minuere quintam partem fęcum: si cum vitriolo & sale sublimes vt supra, debent assata esse.

Lutum quo iuncturæ claudantur fit ex cinere, argilla, sale communi dissolutis in vrina. Aliqui cum albumine oui & calce viua.

Quomodo soluitur, albificatur, & figitur sulphur.

Primo decoquatur sulphur in aceto forti per diem integrum, sitque bene prius tritum super auferendo nebulam quæ supernatat: postea permitte siccari, & tere ipsum & pone tantundem aluminis præparati vt docui, & projce in vas ad sublimandum sicut Mercurium, sciens quod tantus ignis non est faciendus sicut Mercurij, sed remisso & lento igne sublima per diem integrum: mane extrahe & inuenies sublimatum & nigrum: Sublima secundo & erit album: sublima tertio & appone sal, & erit albissimum: itera eius sublimationem tertio & quarto, & vsque ad fixionem, & serua. Additio. Sublimatur sicut arsenicum, sed maiore indiget decoctione & longiori.

Quo-

Quomodo albificatur auripigmentum.

AVripigmentum debes terere & decoquere vno die in aceto, & alio die in vrina: postea appone ei tantundem de fuligine ferri, & misce bene simul, postea sublima ipsum, per omnia faciẽdo, vt de sulphure docui, & erit album: Additio: Auripigmentum dicitur arsenicum citrinum. Auripigmentum aceto & sale pręparatum quoad serenum sit exaltatum: quantum enim ad munditiem nullum melius, Rasis idem alibi: Sal super omnia præparat ipsum.

Quomodo albificatur arsenicum.

ARsenicum vero est eiusdem naturæ cum auripigmento, sed non est necesse decoqui: tere igitur bene & imbibe, cum aceto forti (Rogerius dicit aceto destillato, videas vbi loquitur de corporum calcinatione) bis vel ter, vel quater, & toties desicca, & tũc potest seruari in puluere quod erit aptum ad calcinandum corpora: si vero vis sublimare, tere bene per se, & appone sibi tantum de fuligine ferri, & sublima septies vel pluries per omnia, vt de Mercurio docui, & erit albius niue.

Quomodo præparatur sal armoniacum.

SAl armoniacum sic sublima: tere ipsum bene cum tanto salis communis bene præparati sine omni liquore, & pone ad sublimandum cum lento igne per tres horas, postea cum forti igne per diem: mane extrahe, & quod sublimatum est reserua, & per omnia fac vt de Mercurio docui: cum eisdem (alibi nouis) fæcibus sublima bis vel ter, & serua ad partem.

Additio. De sale communi præparato dissoluto incera salem armoniacum, & post incerationem desicca: & hoc toties fac incerando & desiccando, quousque sal armoniacus recipiat de aqua salis quantum ipsum est: tunc eo vtere. Sali armoniaco soluto in aceto & destillato per filtrum, & siccato ad Solem appone tantundem salis combusti in cluteo & cineribus calidis, & simul terantur, absq; alia imbibitione sublimetur, & erit sufficienter præparatum ad omnem dispositionem: quod ꝓbatur si liquescat absq; fumo super laminã ignitam. Hæc Roger. Bacon. Alij sublimant cum sale gemmæ: sed illud sal debet esse optime siccatũ ante ignẽ, & cum sale armoniaco subtilissime tritum. Alij sublimant cum sale cõmuni, & Talco præparato insimul tritis strato de sale cõmuni pręparato, & in circuitu sublimatorij, & sublimatur bene quater

aut

aut quinquies. *Præparatio salis armoniaci secundum Rasim.* R. de sale armonico crystallino, tere cum tanto spumæ maris & sale nitro, & ipsum sublima, (in fundo alludel pergamenum pone, & super stratum salis assati) & sume sublimatum, coque ipsum positũ in cannis in aqua, soluetur enim: destilla ipsum, aut solue ipsum in vesica, vel in kistifeliis super aquam & destilla ipsum, & ex eo operare.

Salem armoniacum fixum soluere est difficile: imbibe ergo ipsum ex aceto & inhumato in fimo, soluetur enim, destilla ipsum. Et caue tibi ne totam assumas aquam sed tantum quantum posuisti de spiritu quem soluere voluisti, &c.

De qua substantia fiat ignis.

HAbita doctrina de sublimatione spirituum, restat iam videre de ignis substantia: dico ergo quod ignis debet esse de carbonibus duplici de causa: prima est, quia minor est labor subijcere carbones quam ligna: secundo, quia ligna dant fumum multum, & propter fumum non bene posset cõsiderari, & vasa finderetur à calore ignis, vt sæpius cõtingit, quando argilla nõ est bona, & quando vasa non sunt bene combusta, & cum scinduntur, statim erit fumus albus quod facile videtur super ignem, qui fit de carbonibus, & quum vasa fumigant, statim deponantur ab igne, alias amitteretur sublimatio. Vnde cauendum est ne fiat. Nota quod superius vas, scilicet aludel, debet esse diuitreatum, inferius vero non est necesse. Solet etiam quandoq; medicina in scutella indurari, quæ non potest sublimari: vnde non est dubitandum, sed secundo teri debet & apponi parum plus de fæcibus, & subtiliter sublimari, & erit bene sublimatum.

De fixatione spirituum, caput additum.

FIxatio sulphuris: Pulueriza illud, & liga in panno lineo, & bulli in aqua cum calce viua, primo ponendo calcem vsq; ad medium vasis, & residuum implendo cum aqua communi, & fac quod sacculus non tangat fundum vasis, sed stet in medio, scilicet bene ligando superius & inferius, apponendo paruum lapidem vt descendat & bulliat sic 24. horis, vel circa, semper nouam aquam calidam superponendo, dum aqua defecerit: deinde extrahe tuum sulphur, & fac bullire in aqua dulci, vt purgetur à calce, & factum est.

Aqua

Aqua fortissima ad fixādum omnem spiritum. Primo rectifica aquam lapidis occulti albi, scilicet libras quatuor cum libra vna calcis corticũm ouorum inhumando & destillando, & hoc fac sæpius: deinde in illa aqua, scilicet in vna libra cum dimidia appone vncias duas salis communis præparati in secundo gradu, & vncias duas salis alkali optime præparati, & vnciam vnam salis armoniaci quater sublimati, & vnciam vnam albuminis plumæ coagulati post suam præparationem: & omnes isti sales dissoluantur in ista aqua, & cum ista fixa omnes spiritus in cucurbitis duplicatis vasa bene lutando. Hæc Arnoldus. Tamen cum istis salibus fit multa destillatio, & salium sublimatio, & cum fæcibus reductio, & in aquam ab eis destillatam resolutio, & hoc cum spiritu, & absque illis vasis duplicatis: & aliquotiens in septima sublimatione spiritus erit fixus cum aqua virtute salium in fundo cucurbitæ, vt lamina ignitionem sustinens: & aliquotiens in quarta sublimatione aqua erat fixata pro quarta parte sui, & oportebat addere aliam pro fixatione spiritus complenda. Aliqui dicunt, quod ponendo Mercurium sublimatum super laminam stanneam vel ferream in cellario statim vertetur in aquam, quam per dissolutiones & congelationes rex facilius fixatur. Aqua abstracta ab albuminibus ouorum, & deinde rectificata à calce corticum: alumine iameni, & sale armoniaco ana vnciam vnam, est summe fixatiua spirituum super omnes aquas, vt infra sequitur. Mercurius item fixabitur hoc modo,, Tere in mortario Mercurium sublimatum cum tartaro & sale communi crudis, & tunc sublima, & iterum tere & sublima, & continua vsque decies, vel pluries, renouando in singulis contritionibus sal & tartarum: & exinde fixabitur Mercurius. Fixatur quoque Mercurius in cuburbitis duplicatis in vno die cum oleo tartari superfuso, faciendo lentum ignem duabus horis primis, postea fortificando continue per diem, quousq; nihil liquoris ascendat, quod probatur discooperiendo cucurbitam aut aperiendo foramen, aut desuper imponendo virgulam corili ad tentandum si in fundo sit adhuc liquor: quia si sit durum, tunc est fixatum: quod si non sit, fortifica ignem tribus horis, postea dimitte infrigidari, extrahe, tere, imbibe, & coque septies.

Aqua Mercurii: Sume de sale armoniaco, & de maris spuma partes æquales, quas bene teras, & asperge de eis in cucur-

bita vna. & pone arg. viuum desuper, & quod ex eo remanserit inuolue ipsum & destilla cum igne debili: & destillabitur in primis aqua alba, in qua non est vtilitas: postea ignem parumper vigora, & destillabitur aqua argen. viui, siue fuerit in principio viuum, aut sublimatum. Omnes sales fixat, fixat Mercurium, similiter & sal armoniacus fixat simul sublimãdo, quousq; Mercurius fundatur. Fixatur aũt Mercurius cum sale alkali, & cum calce corporũ, aut cũ vtroq; , & hoc in igne temperato, & vase ad hoc apto; quia ignis temperatus est humiditatis cõseruatiuus ad fusionem: excessiuus vero, fusionis turbatiuus, seu impeditiuus. Fixari potest Mercurius sublimando inter duas scutellas bene sigillatas, alternatim vertẽdo, & ponendo scutellam inferiorem superius, & superiorem inferius quatuordecim aut quindecim vicibus, & tunc fixabitur. Aliqui dicunt, quod hoc debet fieri in vase ferreo, & iste modus est per ordinem ignis. Si vis spiritus sublimatos fixos facere, solue calces corporum cum aqua salis armoniaci, & ex hac aqua imbibe eos, quia erunt fixi: quia ratione calcis figuntur spiritus, vt inquit Baccon. Fixatio salis armoniaci Calcem viuam impasta cum albo ouorum, & fac q. 2. crucibula, & conclude in eis salem armoniacum in precijs defractum, & circunda cum dicta pasta, & desicca: postea fac sibi aliam tunicam de luto sapientiæ, & desicca, & sepeli in cineribus calidis per duos dies & noctes, & erit fixum: tunc dissolue in aquã calidam, & si vis cola & congela, & erit purum.

Hic incipit aperire & docere secreta huius artis.

IAm docui te colligere diuersos flores plenos odoramentorum bonorum, in quibus redolet sanitas & pulcritudo cum gloria huius mundi: hic est flos florum, rosa rosarum, & lilium conuallium. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & collige flores, quia introduxi te in hortum Paradisi: facias ergo ex ipsis coronam capiti tuo, vt gaudeas & fruaris delitijs huius mundi. Aperui ergo tibi nunc sensum: nunc faciam te intelligere secreta huius artis, & quod diu celatum est, nunc manifestabo in lucem. Superius ergo sublimare & colligere flores ipsorum docui: nunc vero docebo ipsos plantare, vt fructum multum afferant, & fructus ipsorum in æternũ permaneat. Docebo te figere pulueres sublimatos, vt in igne possint permanere & corporibus adunari & permisceri, & hoc duobus modis.

Hic

Hic docet figere pulueres, & cum corporibus permiſceantur.

ACcipe ergo de quoquo horum volueris libram vnam vel duas ſine omni alia re, & pone in vas fixionis, quod ſit formatum ſuper foraminibus ex argilla bona vitreariorum ad ſpiſſitudinem digiti, & non ſit vitreatum, & claude rimas cum argilla bona, ſcilicet luto ſapientiæ: quo facto pone ſuper furnum ſublimationis, & da ignem per diem integrum: & ſi ſit æſtas, quãtitas ignis ſit ſicut Mercurij ſublimati poſt meridiem: mane autem facto verte quod eſt ſuperius deorſum: hoc fac ad minus duabus vicibus: tunc aperi & vide ſi puluis eſt fix⁹ hoc modo: Pone de ipſo parum ſuper carbones, ſi dat fumum, nondum eſt fixus, ſi autẽ nõ fumigat, tunc eſt fixus: & hoc eſt ſignum de omni ſpiritu. Si autem nõ eſt fixus, repone ſuper furnum, claudendo ipſum vas ſicut prius, & da ignem per 5. dies: vel tandiu quouſq; audias ſonum in vaſe, quaſi lapillos cadẽtes, quod ſæpius contingit, quando eſt nimis exuſtum. (alibi dicitur, vt probetur ſuper laminam ignitã ſi fundatur & currat, vel non det fumum.) Secundus modus eſt cum imbibitione olei tartari. Fit autem ſic: Recipe arſenicum ſublimatum, vel ſulphur, vel auripigmentum, & contere ſuper lapidem cum oleo tartari, quouſq; totum liquidũ fiat: poſtea pone in phialam vitream, & pone ipſam in cineribus cribratis per cribrum bene, & pone vas cum cineribus ſuper furnum deſtillationis, & da ignem primo lentum valde, quaſi vorando, ne vas frangatur. Poſtea cum calefactum ſit vitrum, fac maiorem ignem, & ſic deſicca medicinam in vaſe aperto, ſi vis: ſed melius concluſo, quod ſuperponas alembico recipiens aquam ab eo deſtillatam, quia ad multa valet. Deſiccata medicina frange vas, quia alio modo non poteris excipere, & inuenies pulueres induratos vt lapidem, quem tere bene vt prius, cum oleo ſuper deſtillando, iterum frange vitrum, & excipe, & tere bene, & pone in aliam ampullam, & pone in fimo equino calido per ſeptem dies, & tunc ſoluetur in aquam: tunc pone vas in cineribus calidis & coagula lento igne donec induret, & habebis ſpiritus fixos, & erit tinctura firma & permanens. Proiice ergo de hoc puluere vnam partem ſuper quinquaginta partes Martis calcinati, vel Veneris, & erit bonum in omni malleatione & examinatione.

Qualiter vno modo soluuntur spiritus in aquam.

SOluuntur etiam spiritus duobus modis: vno modo docui cum oleo tartari, sed post septimam congelationem debet poni super lapidem marmoreum in cellarium valde humidum, ita vt inclinatus sit lapis, vt quicquid resoluerit, statim descendat in vas vitreum superpositum.

Soluuntur alio modo spiritus in aquam, scilicet per aquã salis armoniaci, quæ sic fit: Pone ipsum, vel quemcunque alium salem præparatum super lapidem in foueam resolutionis, vel in cellarium vitreum, & statim resoluitur in aquam: cum hac aqua pulueres sublimatos soluendos tere. Hoc nota, quod postquam sublimatus fuerit Mercurius, nunquam misceri debet cum aliquo liquore, nisi cum aqua salis communis, vel armoniaci, vel oleo tartari. Tere ergo puluerem cum hac aqua septies, & toties desicca: postea pone puluerẽ tritum super lapidem, & sine dubio cito soluetur in aquam, quam reserua ad destillandum: corpora vero calcinata eodẽ modo soluuntur, vt spiritus, scilicet flos æris, & flos atramenti, de quibus per omnia vt de spiritibus est faciendum, & quẽlibet per se ad destillandum. Additiones. Rursum (ad capitis principium refer hoc) ad omnem solutionem sal erit necessarium. Rasis. Oleum aquilæ sic fit: Recipe libram vnam salis armoniaci, & mole super lapidem cum vrina quantum sufficit ad modum pastæ: tunc fac stratum primo de calce cõmuni, secundo de sale armoniaco, tertio de calce: & super salem pone calcem ouorum in parua quantitate, & ad ignem pone ad fundendum, & cum fusum fuerit, depone ab igne, & super lapidem pone, & dissolue oleum infra quatuor dies, & pone in vase vitreo & serua. Aliqui impastãt sal armoniacum, albumen oui & calcem, faciunt pomum, & lutant, desiccant, & figunt in igne. Argentum vero viuum nunquam soluitur, donec super ipsum ingrediatur sal bonus, desiccatus, aut tritus, aut alkali, & extingue ipsum septies, & postea viuifica ipsum cum aqua calida, & tunc solue ipsum: & nisi ita feceris, non soluetur. Rasis: Sumatur aqua salis armoniaci sublimati ter vel quater, & imbibatur Mercurius sublimatus ex hac aqua paulatim & paulatim, & post quãlibet imbibitionẽ desicca ad Solẽ, vel ad ignẽ debilẽ: post claude os vasis firmiter, & pone in fimo, & stet ibi septẽ dieb.: ꝙ si nõ sit solutũ, renoua fimum

fimum per 7. dies, donec fit aqua clara. *Oleum ad incerandum:* Recipe salis armoniaci, salis communis ana partem vnam, & duas partes calcis viuæ non extinctæ cum pauco suminis porci, & in vase vitreo pone & destilla ad lentum ignem: & quando completa est destillatio, iterum repone ad destillandum, & hoc ter: & hoc est oleum album ad incerandum elixir, & ad dulcificandum, seu mollificandum calces metallorum, & omnia quæ seruiunt ad opus album: sed hoc nō debet hic esse.

Aqua Mercurij fit ad vnam vnciam Mercurij cum duabus vncijs aquæ fortis, facta de duabus partibus aluminis puta iameni & altera parte salis petræ. Aliter sic fit: Coagula Mercurium sublimatum fundendo septies aut octies stannum bulliens super ipsum, qualibet vice cooperiendo crucibulum, ne fumus exeat, & efficitur nigrum, aut coloris olei: deinde tere optime super marmor cum pauco aquę salis armoniaci, & pone in fimo: & cum solutum fuerit destilla, aut per filtrum, aut in destillatorio: & cum hac aqua fit elixir cum calce Lunæ, & arsenico sublimato, & oleo albo Philosophorum.

Sulphuris dissolutio: Accipe mūdati libram vnam albi amizadir (sublimati) tantundē aceti candidi sublimati, quod quinque partibus sulphuris sit æquale, in cœuo ponatur, transmutando semper die tertio. Rasis. Habes ad longum in Aristotele de perfectione, in capitulo Separationis sulphuris. Amizadir partem vnam, spumæ marinæ partes tres, duas salis, vrinæ partem vnam, tere, cribra, in cucurbita repone, adiecto viuo argento quod satis est: deinde quoque leue & spaciosum adhibito incendium: quū candida manauerit aqua, ipsam operi necessariam serua: inhumatio semper necessaria: cœnum quoque ad quatuor dies transmutandum, donec quod quæris ad oculum deprehendas. Sed puto istud Rasim dixisse, corporis dissolutionem faciendam pro maiori opere: ergo nota. Mercurius secundo vel tertio destillatus ab alumine iameni vel rochæ soluitur per se ipsum super marmor in loco rorido vel humido: & melius credo si cum crudo poneretur. [illegible]

Quomodo rubificantur spiritus in aquam rubeam.

NVnc videndum est qualiter rubificantur spiritus. Recipe ergo aquam rubeam atramenti destillatam, & cum ipsa imbibe spiritus (fixos) quos volueris rubificare, se-

pties terendo, imbibendo, assando, & tunc pone ad soluendum super lapidem, & soluetur in rubicundissimam aquam. Additio. Aqua rubea non debet destillari per destillatorium, nisi sit illa cuius color est fixus super ignem, alias destillaretur alba.

Qomodo aqua destillatur duplici modo.

DEstillatio sic fit: pone aquam quã volueris destillare in vas destillationis, & pone vas in cineres, vt supra, & destilla, & hoc fit caliditate & siccitate. Si autem vis caliditate & humiditate destillare, pone aquam in vas, in quo cineres prius fuerint, siue in caldariũ super furnum destillationis, & in ipsam aquam pone fœnum, & desuper vitrum, & firma ne declinet ad aliquam partẽ, sed stet directe. Et summopere præcaue, ne vnquam frigidum vitrum ponas in aquam calidam, vel è contra: alioquin frãgeretur, & amitteres laborem tuum. Et nota, quod quando vas vis excipere debes permittere infrigidari cum aqua, facta destillatione. Hoc autem caueas in destillatione, ne aqua bulliat in destillatione. Et per hanc doctrinam destillationis omnes aquas reserua: hoc totũ reserua quod sequens doctrina & forma ostendit. Additio. *Aqua corporum:* Recipe calcem Solis aut Lunæ, & salis armoniaci sublimati ana, & insimul contere super lapidem: deinde sublimetur à calce corporum sal armoniacus, & reitera septies cõterendo & sublimando: tunc pone super lapidẽ ad soluendum. Aliqui tamen antequam subliment imbibunt materiam, & conterunt cum aqua boracis dissoluti: & hoc faciunt septies. *Ad corpora soluendum in aquam*: Corpora calcinata tere cũ ana salis armoniaci & calcis corticum ouorum: tunc pone in phiala vitri ad lẽtum ignem, donec totũ sit vna massa: infrigida, & frãge phialam, deinde puluériza, & pone puluerẽ in loco dissolutionis. Sic etiam possunt spiritus sublimati in aquam resolui super marmor, vel in fimo eum sæpe renouando. Si vero vis reducere in sua corpora, congela ad lentum ignẽ, & funde cum attincar. Aurum calcinatum cum sale, per acetum acidissimum soluitur in aquam rubeam.

Ad oleum destillandum.

DEstillatio quæ fit per descensum cauũæ talis est: Sume fictile vas formatum tali forma, & impone cineres, vel radices, vel ligna, vel lapides, ex quibus oleum vis destillare, & fac fossam in terra, & in ipsa vas pone subtus sculptum, & de-

& desuper vas cannæ, & claude bene ne respirent, & permitte desiccari: tunc obstrue vas desubtus cum terra: postea fac superius ignem lentum per vnam horam, postea fortiorem augēdo ignem de hora in horā donec dimidiā diem cōpleueris, & permitte infrigidari, & aquam, & oleum destillatū reserua.

Coagulatio omnium aquarum sic fit.

COagulatio vero omnium aquarum sic fit ex caliditate & siccitate. Pone ergo aquam, quā desiccare volueris, in vas vitreum, habens angustum collum, & pone in cineribus super ignem lentum, & coagulabitur infra sex horas in laminam albam vel rubeam.

Quomodo calcinantur Sol & Luna.

DE calcinationibus omnium metallorum videndum est. Et primo de calcinatione Solis & Lunæ. Recipe ergo limaturas, cuius eorum volueris, & positas in aceto per nouē dies extrahe, & exiccatum tere in puluerem: postea affunde aquam armoniacam terendo & siccando sexies: & tunc pone super lapidem, vt docui ad soluendum, & destilla, & serua: & de hac aqua pone ad aquas pulueru. Hoc autem nota, quod aquas Solis debes ponere ad rubeam aquam, & aquas Lunæ ad albam.

De cucurbita.

CVcurbita est vas quod debet stare in aqua, vsq; ad iuncturam firmatum in caldario, vt non moueatur: nec cucurbita debet tangere fundū, quia frāgeretur, & cū aqua minuitur, infundas aliā scilicet calidā & nō frigidā, quia vas frāgeretur.

Quomodo calcinantur alia metalla.

ACcipe laminas & calefac eas, postea linias cum aqua salis, quia sal corrodit omnem humiditatem corruptam, quæ est in corporibus, & pone ibi vas fictile formatum in hunc modum: & imple laminis, & pone in furno calcinationis super tripodem, & suppone carbones, & fac ignem fortem, & sit furnus clausus: & cum rubescunt, tunc extinguatur, ita tamen ne fluāt: & in tali calore permitte stare, quousq; per ignē destruantur: mane extrahe, & quod calcinatum est abrade & serua, & quod remanserit, iterum linias cum aqua salis, faciendo donec calcinatum sit. Additiones. Calcinatio Solis & Lunæ fit per amalgamationem cuiusvis, cū partibus Mercurij & salis communis ana, ponendo super ignem lentum continue mouendo, quousque Mercurius euolarit: deinde laua

cum aqua tepida, & per filtrum destilla, & inuenies corpus tuum in calcem redactum. Calcinatio alia Solis & Lunæ, & aliorum corporum habentur in Aristot. de Perfect. magist. Itē calcinatio Solis & Lunæ duplex habetur in libro fratris Rogerij Baccon. q intitulatur, de Modo cōponendi medicinam per æquationem elementorum, in capitulo de Calcinatione corporum, vbi etiā ponit calcinationes aliorum corporum.

Calcinatio auri: Funde ipsum, & facinde laminas tenues, & imple crucibulum ferreum, & cooperi, & dimitte fundere cum sale communi, vel armoniaco aliquantulum præparato, & aceto mali granati, quia per acuitatem saliū & aceti teritur in puluerē: deinde pone in furno panis per diem & noctem, & extrahe calcem rubeam citrinam, cui non est par.

Calcinatio argenti: Funde ipsum, & facias inde laminas, & imple crucibulū ferreum, tum pone in crucibulo salē cōmunem tritum aliquantulū, præparatum, donec sit plenum: cooperi & funde, quia cito funditur beneficio salis, postea tere, quia etiam bene teritur per salē, & pone in furno panis per diem & noctem vnam, & extrahe calcem Lunæ, cui nō est par.

Calcinatio plumbi: Plumbum funde, & extingue in aqua salis communis, & aceto acerrimo albo, ita quod sal sit aliquantulum præparatus & solutus: postea extingue in hanc aquam quadraginta vicibus plumbum fusum, deinde pone (tritum) in ollam oppilatam, crudam, argillatam: sicca in furno panis per diem & noctem: mane extrahe calcem niuei coloris ponderosam vt sal.

Calcinatio stanni: Funde & extingue decem vicibus in aqua salis cōmunis soluti in aceto acerrimo albo, misto cum duabus vnciis mellis apum, deinde tere & pone in ollam in furno panis per diem & noctem: extrahe calcem Lunæ.

Calcinatio ferri: Tere & imbibe de aqua salis communis & aceto sorbarum, & mali granati, in quo soluatur sal, & sicca decem vicibus in cinere: post natet cum trituratione forti aqua desuper ad mensuram quinque digitorum, & pone sub fimo decem diebus, & soluetur: postea congela aquam per diē vnā, & erit tincta, deinde tere & pone in furno panis per diem & noctem vnam, & habebis calcem rubeam sicut sanguis: & est calx Solis, quæ dicitur Crocus ferri.

Calcinatio æris: Fac æris laminas, suspende in aceto forti cū tinaculis in olla posita in fimo decē diebus, extrahe & rade

quod

quod inuenies,& hoc fac,donec finiantur laminæ:deinde ablue cum aceto,& frica suauiter,& quando videris aquam aceti optime viridem,cola per pannum,& fæcē proijce,quæ est eius crassitudo: deinde dimitte residere & cola, & accipe subtilitatem viridis æris. Calcinatio argenti viui ponitur in capitulo Sublimationis.

Quomodo laminas Veneris calcinabis.

LAminas Veneris incide ad latitudinem denariorum, & linias cum aqua salis, & pone vnum ordinem ad fundum crucibuli,sed prius inuoluas,& reuoluas ex vtraque parte cum arsenico præparato cum aceto, & ita pone stratum super stratum,donec vas impleatur, & claude cum argilla ne respiret,& permitte desiccari, & tunc in furno calcinationis pone, & ibi bene per quatuor horas stet, ita vt totum vasculum bene rubescat: caue tamen ne Venus per nimium calorem fundatur & liquescat,quod sæpius contingit. Postea permitte infrigidari,& excipe,& inuenies totam destructam; ita quod bene teretur in mortario,vel lapide. Tere ergo puluerem & reserua, residuum vero quod non est calcinatum, iterum illinias,& melius calcina. Additio. Ablutio æris rubei est,vt assetur cum medietate sui de auripigmento, deinde abluatur donec fiat purum,& fac ipsum descendere donec descendat ita album vt argentum: & mole, & vtere eo: si non ita fuerit, tere ipsum & laua,& fac ipsum descendere donec sic perueniat.

Quomodo calx corporum reducitur in massam. Require etiam in libro Fornacum Geberi.

REductio vero calcis corporum in solidam massam sic fit:Recipe calcem cuiuscumque metalli volueris, & tere optime super lapidem, postea laua cum aqua calida bis vel ter,& turbulentum eijce:cum aqua pura descenderit,tunc satis est:tunc desiccatum optime tere, & appone aquam aluminis iameni mistam cum aqua salis communis, & tere fortiter, & imbibe cum aqua illa totiens imbibendo & desiccando, donec fiat calx viua & alba:(& hoc ad album)& ita remoueātur omnia sulphurea accidentia ab ipsa, quæ contraxit in terra:postea tere semel cum aqua alkali, & cum desiccatum sit, pone in vasculum,scilicet crucibulum,& claude bene cum ar-

gilla,& fac foramen paruum in vna parte,vt exeat massa quãdo fusa est: & pone in furnum, & sufflando da ignem vehementem,vt cito fundatur:& cum fusa fuerit,aperi foramen,& effunde materiam in canale ferreum, vbi sit sepum infusum, & videbis massam albam,& gaudebis. Et hæc massa potest recipere tincturam albam vel rubeam, quia mundata est ab omni,corruptione.Si autẽ ad rubeum laborare volueris, imbibe calces metallorum cum aqua rubea ex flore æris, siue ex atramento,siue minio facta: & fac per omnia vt supra dictum est,vltimo cum aqua alkali,& effunde sicut docui:& erit massa rubea,& gaudebis. Additio Aliqui dissoluunt nitrum & alumen in aceto,& cum illo lauant nigredinem calcis. Alij reducunt Venerem sic:Recipe salem alkali,& salem nitri, & dissolue in vrina puerorum,& cum hoc impasta calcem Veneris, & pone ad ignem lentum, donec sit aliquantulum siccum: postea fortifica ignem, donec sit reductum:deinde ignias, & in oleo communi extingue quatuor vicibus,& habebis Venerem similem Lunæ,aut saltem fixam. Calx autem Veneris fit cementando cum sale communi, donec teri possit & lauari.

Hic incipit primo operari.

REcIpe ergo in nomine Dei pij vnam partem Mercij albi, & secundam partem sulphuris, & tertiam partem arsenici: hæc omnia misce simul,& appone dimidiam partem aquæ argenti, & pone in vas vitreum, & calefac ipsum superius cum ferro candenti, donec vitrum liquescat & congeletur: tunc pone in cineribus super ignem,& congela: quum autem congelatũ fuerit, erit tinctura fixa ingrediẽs per mistam coagulationem coniunctiua,adunatiua,perseueratiua. Pone ergo de hac tinctura vnam partem super centum partes ferri vel cupri purgati,& erit semper bonum sine dubio,in omni malleatione & examinatione,& durabit in æternum. Additio, Nota hoc,quod tinctura debet dissolui & admisceri corpori calcinato, & in aquam conuerso: & dum aqua miscetur aquæ, nunquam ab inuicem separantur,quemadmodum modicum vinum rubeum multam tingit aquam.Vidi alios tractatus, vbi hoc caput non erat,sed sequens solummodo.

Quali-

Qualiter ex supradictis omnibus perficitur Sol & Luna.

Recipe vnam partem Mercurij sublimati & fixi, & aliam arsenici fixi, & tertiam partem calcis Lunæ, quæ super lapidem bene tritura, & imbibe cum aqua salis armoniaci, & hoc ter vel quater terendo, imbibendo, assando, vt supra: & pone similiter ad soluendum, & quod soluitur reserua: & quando non est solutum, tere melius, & appone modicum salis armoniaci, & ita soluitur totum. Quum autem totum solutum fuerit, pone ad destillandum, & destillabitur totum, sicut docui, in aquam calidam. Caue tamen ne in cineres ponas ad destillandum, quia induraretur pro maiori parte, & iterum oporteret te soluere vt prius. Cum autem rota sit destillata, pone in cucurbitam vitream, & coagula, & erit substantia alba, dura & perspicua in modum crystalli liquescens super ignem vt cera, ingrediens & permanens. Pone ergo de ipso vnam partem super centum partes cuiuslibet metalli purgati & calcinati, & erit bonum in omni tempore. Consulo autem ne tingas cum illo aliquod metallum non purgatum, quia tinctura euanesceret post duas vel tres examinationes.

Additiones. In libro Aristot. de Perfecto magisterio dicitur: Sublimati Mercurij & calcinati, quod puto idem esse quod fixi: quia calcinari non potest, quin primo sit fixum: & nisi esset calcinatum, non posset solui. Circa finem aliqui dicunt debere apponi aliquod oleum album Philosophorum ad incerandam illam medicinam. Si spiritus fixus non possit ingredi, adde de suo simili non fixo, & dissolue, & congela & intrabit &c. Sic etiam si corpus calcinatum non possit reduci in corpus, adde de suo simili fundendo cum illo, & sic reducetur. Ouum Philosophorum diuide in quatuor partes, quarum quælibet habet vnam naturam, deinde compone ipsum æqualiter proportionaliterque, ita quod non sit in eo diuisio nec repugnantia, & habebis propositum Domino cõcedente. Iste modus est vniuersalis: sed ego diuidam tibi illud in operationes speciales: diuiditur itaque in quatuor: & duobus modis fit bene & sine corruptione. Quando ergo habueris aquam ex aere, & aerem ex igne, & ignem ex terra tunc habebis. Dispone ergo substantiam aeream per discretionem, & dispone substantiam terream per humiditatem & caliditatem,

tatem, donec conueniant & coniungantur, & non discrepent, nec diuidantur: & tunc adiungas ei duas virtutes operatiuas, scilicet aquã & ignem, & tunc complebitur opus: quod si permiscueris aquam solam, fiet Luna: si coniunxeris ignem, rubefaciet, Domino concedente.

SCRIPTVM ALBERTI SVPER *arborem Aristotelis.*

HÆc est figura cæli, quæ sphæra cæli nuncupatur, quæ quidem sphæra continet in se octo nobilissimas figuras, scilicet figuram primam, quæ primus circulus appellatur, & est circulus deitatis, quia continet in se verba diuinitatis. Secunda figura continet in se septenarium numerum planetarum. Tertia figura, corruptibilia & generabilia in se continet quatuor elementa. Quarta figura Draconem sæuissimum continet emanantem a prædicto septenario numero planetarum. Quinta figura caput & mortem ipsius Draconis continet euidenter. Sexta figura quæ tangit arborem, sex facies continet, & duo animalia, videlicet ciconias. Septima figura quæ tangit arborem cum planetis, vbi sunt literæ albæ, sextus circulus nominatur. Octaua figura ad instar fulgoris Solis arborem auream cum eis radicibus in se continet radiãtem. Harum figurarum primæ figuræ, videlicet circuli diuinitatis, expositio hæc est, quod ideo tali nomine appellamus: quia diuinitatis nomina, id est sacræ paginæ instituta, & iura legalia & naturalia, quæ à Deo infallabiliter creduntur emanasse, sunt ibidem circumscripta. Secundę figuræ videlicet Saturni & aliorum planetarum explanatio, hæc est: Nam Saturnus sua frigiditate & siccitate format Draconem. Iupiter vero præstat Draconi suam caliditatem digerendo ipsum in quandam substantiam lutosam apparentem, quæ est plena caliditate & igneitate: & ideo non adhæret tangenti. Mars vero sua caliditate & siccitate diuidit ipsum Draconem, & facit ipsum transcurrere per cælum. Sol vero colligit ipsum, & facit ipsum aliquantulum viuere, quia ipse est pater creaturarum, & Draco prædictus diligit ipsum propter suam caliditatem, ac tincturam, & suauissimum odorem, qui redolet in eo. Venus vero sua caliditate & siccitate congregata, disiungit hinc inde membra

membra Draconis transmittendo punctionibus multis per omnes iuncturas eum pungendo, & ipsum Draconem quasi mortuum dimittendo Mercurius vero & Luna eorum humiditates super ipsum infundentes, viuificant ipsum, quia faciunt ipsum viuere, currere, ambulare, & sibi colorem mutare in speciem sanguinis. Et in principio nigrum apparet, & in medio declinans ad albedinem, & in fine rubicunditas est declinans in colorem capitis sui. Tertiæ figuræ quatuor elementorum corruptibilium & generabilium declaratio hæc est: quod ideo ipsa corruptibilia & generabilia nominantur: quia semper corrumpuntur & generantur, & quia alternantur ad inuicem propter caliditatem & siccitatem, frigiditatem & humiditatem. Et ideo ars & artifex materiam istorum elementorum disponit, ea diuidendo, & ad inuicem coniungendo, remouet ea ab eorum mortifera natura, & tunc mutata est qualitas eorum: quia calidum & humidum est nutritiuum, propter caliditatem & humiditatem, quæ in eo est. Frigidum & siccum quæ in eo erant, & frigidum, & humidum, sitibundorum est refrigeratiuum, & infirmorum curatiuum: quia aperit oculos cœcorum, & aures surdorum, & mundat leprosos, & extendit neruos, & venas aperit, & mortuos resurgere facit. Quarta figura est Draconis emanantis à prædictis septem planetis, quia ipse procedit per subtilissimas influentias decurrentes in elementa: & deinde in cælis sua materia sparsa, in nubibus habet suum ergastulum: deinde cum aqua pluuiali, & grandinibus iterum descendit in terram, conglutinat se cum ea, facitque sibi nouam pelliculam. Et sic incipit serpere in cauernis terræ, & semper tendit ad ima si aliquid eum non impedierit, vaditque vsq; ad aquas marinas: exinde egreditur, si nullum sibi impedimentum fuerit occursum, quousque ipse videat polum secundum: & exinde remouetur & reuertitur ad primum. Sic nunquam desistit ambulare, quia odit lucem, & semper quærit se abscondere à radijs Solis, & propterea venenosum est, & non potest homo ipsum interficere sine maiori veneno. Quintam figuram nominamus de capite eius, & de morte ipsius Draconis. Caput eius viuit in æternum & ideo caput denominatur vita gloriosa, & angeli seruiunt ei. Et hanc imaginem posuit Deus in paradiso deliciarum, & in ea posuit suam imaginem & similitudinem, & ibi Draco pugnauit cum imagine Dei, quousque fecit eam incidere in mor-

tem:

tem : & ideo Deus dedit tantam potestatem ipsi imagini, vt ipsa possit interficere istum supra dictum Draconem : & ideo talis imago fuit inserta serpenti, & est caput eius, quia totum corpus sequitur caput, & ipsum caput odit corpus, & interficit ipsum incipiendo à cauda cum dentibus ipsum corrodere, quousq; totum corpus intret in caput, & in eo permanet sempiterne. Sexta figura continet sex facies & duas ciconias cum proprietatibus suis ibi apparentibus : quarum prima facies quæ permanet in sublimibus, colorem optimum ostenditur habere: secunda quæ in aquis natat, diminutionem naturæ à prima declinat. Tertia quæ in antro, carbonis similitudinem habens, malam digestionem significat cum superflua humiditate, & pessima fæculentia quæ in ea est. Et ideo manu artificis oportet eam lauare cum elemento aquæ in ventre ciconiarũ igne supposito, donec aer in ore & in capite ciconiarũ ascendat, & per rostrũ faciat eum euomere, quousq; caput nigrũ æthiopis portans similitudinẽ, fuerit bene lauatum, & inceperit albescere: & tamdiu hoc faciat, quousq; rubicunditas suprema appareat. Septima figura, quæ sextus circulus nũcupatur, quidquid circulus tangit arborẽ cum figuris septem planetarũ, vbi sunt literæ albæ: melius est tacere quã loqui insipientibus de ea : quia in ea manet illud arcanum preciosissimum, thesaurus omnium Philosophorum sapientum. In ea est transmutatio omnium corruptibilium & generabilium omnium lapidum preciosorum. Ibi sunt thesauri absconditi innumerabiles, & nemo scit nisi cui Deus voluerit reuelare. Ibi inuenitur lapis duello, onychinus, carbunculus, topatius, amethystus, beryllus, & panthera: & est quoddam cœlum vitreum simile crystallo, ductile sicut aurum. Et ideo Reges terræ portant ipsum in capitibus suis : sapientes mulieres abscondunt illud : virgines fatuæ publice portant illud, quia deprædari desiderant. Pontifices & sacerdotes religiosi, & moniales lacerant ipsum, quia sic fuit eis imperatum à lege diuina. Mercatores terræ & agricolatores cum eo diuites facti sunt : & nautæ portant illum ab Oriente vsque in Occidentem: & in Insulis quæ sunt in Meridie magis viget. Octaua figura quam supra nominauimus, arborem auream est continens cum septem ramis & radicibus apparẽtibus: quam quidem arborem figuram solis nuncupamus, quia Reges glorio-

gloriosi tenent illam, & pugnant propter eam, & multi afficiuntur morte. Et ideo ille magnus Alexander Imperator Philippi Macedonum Imperatoris filius in itineribus suis inuenit eam in vltimis regionibus, & ibi inuenit sepulcrum Hermetis patris omnium Philosophorum, plenum omnibus thesauris non metallicis, sed literis aureis scriptis in tabula Zaradi; quæ quidem scriptura continetur in vltimis libris, quos Galenus composuit, & inuenit quandam arborem sitam ab extra intus tenentem viriditatem gloriosam: super eam ciconia pulcerrima ibi sedebat, quasi se appellans circulum Lunarem: & ibi ipse ædificauit sedes aureas, & posuit terminum itineribus suis idoneum. Faciamus finem in nostra figura cæli. Sciat lector, quod talis figura magis est in existentia, quam in apparentia.

FINIS.



ARS

ARS ET THEORIA TRANSMVTATIONIS METALLICÆ CVM VOARCHADVMIA, proportionibus, numeris, & iconibus rei accommodis illustrata.


IOANNE AVGVSTINO PANTHEO VENETO AVCTORE.

Ad Lectorem Præfatio.



Vamvis silentio nostram incultam indaginem potius præterire debuissemus : quã talis, ac tam admirandæ metallicæ mixtionis verbum aliquod loqui, monentibus antiquis patribus : Nolite arcana propalare mortalibus. Attamen annuente causa prima:trutinata immensa supernaturali, ac omnibus fere occulta materia,non sine optimis institutionib. à primæ Causæ inspiratione iamdudũ acceptis:quibus omnia nos debere fatemur. Operæ pretiũ duximus sub vmbraculo Solaris reflexus compendio veritatem ostendere: & grauißimã hanc transmutandi metalla prouinciam electis penitus elucescere. Verum quia sub ænigmatis pallio fortasse delitescere virtus illius videbitur (vt par est) id cognoscatur, velimus:nec alia de causa appositum fu sse Schema,nisi propter Ingratos, Indignos,Sontes, Alienigenas, Prophanos, Adulatores, Apostatas, Anathematizatos,Maledicos, Infideles, & tristes Hypocritas.Totũ nũc recte: & breuiter: & aperte dicetur.Cum copiosius in portione Diuisionis: & in Speculo nostræ mentis intuitus narretur. Vt Lucentes lux adueniens in luce clarificet: & Aberrantes hac accedente luce emendentur: & compotes gratiæ dono fruantur vnitate.

ARTIS METALLICÆ SCHEMA.



EXPOSITIO LITERARVM Schematis.

CONDITOR omnium rerum Deus sua maxima omnipotentia ex Hyle creata Cælos, & Terram formauit. Et ex limo ipsius Terræ plasmauit Adam, ac factum transtulit in paradisum. Ibique de costa: non de capite: nec de pedibus Adæ dormientis Evam illi sociam extraxit. Eva postmodum à callido serpente decepta: Adam delusit: quo pariter postea fuerunt à Paradiso eiecti.

יהוה
חמל
ושאר
τετρα-γράμμα-τον.

Motus & alterationes artis Metallicæ.

ὕλη ACceptum prodi non debere in arcanis arcanorum legi-
tur: tamen literas, siue elementa A V: & E dicimus esse
Mixtiones æquales Materiæ, Formæ, & Medij dispositiui.
C: vero Primum motum.id est, Occisionem: Corruptionem:
Calcinationem, vel Putrefactionem. G: secundus motus
est: & est Generatio. H: vero tertius motus videlicet Augmē-
tatio. D: dicitur Disiunctio: Diminutio, vel Separatio: & est
א quartus motus. F, & B, sunt elementa alterantia: quæ dicun-
ω tur Fixio: Beatificatio: & Vita.

πρωτο- *Vnitatis Metallicæ sermo.*

γράμμα- IN principio est omnipotentia: Naturarum Natura: Tem-
τον. porum tempus: Dominus æternus: vniuersalis: supernus:
ὕλη. & est vnus solus Deus. Solus Pater: Filius: Spiritus sanctus: &
יהוה Trinitas vna. Sola vnitas: Substantia: Diuinitas: Gloria: Ma-
iestas: Essentia: Exemplar: Thronus: Tabernaculum: & To-
tum. Tonus: Ditonus: Tritonus: Diatessaron: Diapete: Dia-
חמר pason: & Harmonia. Hyle: Circinus: Punctum: Linea: Me-
ראש tros, Diametros: Circumferentia: Triangulus: Quadrangu-
רן lus: Pentangulus: Sexangulus: Septangulus: Octangulus: &
Nonāgulus. Numerus: † Vnus: Duo: Tres: Quatuor: Quin-
ב que: Sex: Septem: Octo: & Nouem. Caritas: Intelligentia:
פרית vniuersalis Animarum: Corporumque, Capacitas: Cælorum
כסף vniuersalis Operatio: Puritas: Simplicitas: Ignis: Aer: Aqua:
חי & sola Terra. Solum Chaos: Elementorum mixtio: Abyssus,
Tenebræ: Lux: Dies: & Nox. Solum Firmamētum: aquarum
חתא Separatio: ac Congregatio. Terræ Apparitio, & Virtus ge-
חדור neratiua. Solum Sulphur: Argentum viuum: spirituum V-
חרף nio: & Res vna sola. Solus Sol: Luna: Stellarum congrega-
א tio: Signorum: Dierum: Mensium: ac Annorum Ordo. So-
חות la Præceptorum series: Virtutum: Sacrificiorum, animali-
דבר um: vegetabilium: & metallorum Congregatio. Solus Mo-
אחר tor: Vita: Transsubstantiator: Prima causa Medium, &
Finis.

† θεῖον ἀργύριον ζωτικὸν ἕνωσις τῶν πνευμάτων ἓν πρᾶγμα.


ARTIS METALLICÆ Elementa.

AER.

IGNIS. AQVA.

TERRA.

PRIMARVM QVALITATVM Metallorum Schema.



THEORICA AC PRAXIS.

TErminatio, recipientium est mutatio naturarum receptarum per ineffabilem mixtionem calidi. id est, Ignis חק cũ Frigido: humidi, id est, Aquæ cũ Sicco dispositione בלים perpetua. Hæc perpetua dispositio est fum⁹ alb⁹: & est Aqua albificans Indicũ lapidẽ, vt ait Maria. Hæc res est aqua albificans indrademũ lapidẽ. i. Indicũ. Et ista aqua est aqua viua, q̃ ἀναλασόι sicca dicitur, vt omnes asserunt. Et est Argentũ viuum Sapi- των. entum, de quo dixit Hermes, Custodite hoc Argentum viuum coagulatum, quod est in intimis thalamis, in quibus

coagulatum eſt. Ipſum enim Argentum viuum eſt de CORDE SATVRNI, & eſt ſecretum Scolię, & dicitur Terra reſidua. Qui igitur verba audit, ipſe inquirat. Sed teſtamur per illum, qui nullius male perpetratum opus iuſtificat, & nullius recte ac bene exaratũ condemnat, quod omne quod cælauimus de hac ſapientia, iam deteximus, & maximum arcanum, ſcientiam & intellectum habẽtibus patefecimus. Qui vult ergo proficere in hac ſapientia, oportet iſtam admirabilem mixtionem, ſeu arcanum maximum componere, & poſtea ipſum mutare de natura in naturam, Lúca ſic dicente in Turba. Pluribus rebus non indigetis, niſi vna tantũ. Et iſta res vna in vnõquoque gradu operum noſtrorum in aliam vertitur naturam. Nam vt teſtatur Geber, Ars talis nõ conſiſtit in pluralitate rerum, cum dicit. Eſt enim Lapis vnus, Medicina vna, in quo magiſterium noſtrum conſiſtit, cui nõ addimus rem extraneam aliquam nec minuimus, niſi quod in præparatiõe eius ſuperflua remouemus. In vna ergo re conſiſtit totum magiſterium iſtud. ſ. in Argento viuõ. Et hoc expreſſe dicit Alphidius filio ſuo. Scito fili, quod hic lapis, qui eſt radix, de quo omnes Sapientes tractauerunt, Argentum viuum eſt. Et eſt quoddam Argentum viuum Albi coloris, & plusquam ſpeculum ſplẽdens. Item fertur in Turba. Initium totius operis eſt albedo, id eſt Argentum viuum. Ruborque ſuccedit. Notetis ergo quod Acetum, Agnus, Aibacheſt, Albedo, Alborach, Album plumbum, Anima, Aqua, Aqua albificans, Aqua grauis, Aqua mercurialis, Aqua mundificata, Aqua ſicca, Aqua talchi, Aqua viua, Aqua viſcoſa, Aqua vitę, Aqua vrinę, Argentum viuum ſapientum, Argentum viuum coagulatum, Argyrion zotichon, Arſenicum, Auripigmentum, Azoch, Cain, Cambar, Caput corui, caſpachaia, Cælum, Cheſſeph hai, Cor ſaturni, Compar, corpus album, corpus contrarium, Filius, Fumus albus, Gumma, Hermaphroditus, Hyems, humiditas aduſtiua, Humiditas aquoſa, Inimicus, Lapis vnus, Magneſia, Medicina vna, medium diſpoſitiuum, menſtruum, MERCVRIVS, Occidens, Ollus, Ouum, Phlegma, Plumbum, Primus, punctum, radix, Saturnus, ſecretum Scoliæ, Senectus, Serinech, ſeruus fugitiuus, ſocius, Spiritus, ſtagnum, Sublimatum, ſuccus, ſudor Solis, Terra reſidua, Ventus, veſpera, vrina puerorum, vultur, Zibach, & Ziua, idẽ ſignificant. Quorũ omnium, & multo-

Notandum.

☿

torum aliorũ nomina prolixitatis vitãdæ gratia omittimus. In compositione autem huius admirabilis mixtionis, seu maximi arcani, oportet nos sequi naturam. Nam (vt ait Geber) natura per se agit. Nos autem oportet tria scire, videlicet quid est natura, quot sunt naturæ, & qualiter natura operatur.

SEcundum autem Aristotelem secundo physicæ auscultationis, Natura sic diffinitur. Natura est Principium, & Causa mouendi, & quiescendi in illo in quo est primo, & per se, & non secundum accidẽs. Item secundum Auctorem perfecti magisterij. Naturæ, & complexiones primarũ qualitatum sunt quatuor, videlicet caliditas, & Siccitas, vt in Igne. Caliditas, & Humiditas, vt in Aere. Humiditas, & frigiditas, vt in Aqua. Frigiditas., & siccitas, vt in terra. Omnes autem istæ complexiones inæquales sunt, nec est vlla istarum, quam quærimus. Nam nos quærimus æquale, de quo dicit Ioannicius, ꝙ ęqualis mixtio est vna, quando cum moderatione incolume dicitur corpus. Notetis ergo, quod dicit cum moderatione .f. prædictarum naturarum, videlicet caliditatis, humiditatis, frigiditatis, & siccitatis. Nam quãdo aliqua istarum naturarum aliam non excedit, tunc dicitur corpus æquale, quia tantum est de vna, quantum de alia. Item notetis, quod incolume dicitur sanum, vel mundum ab omni causa corruptionis. Et secundũ Geber. Stagnum est plumbum purissimum, & est in eo æqualitas fixionis, vel spissitudinis duorum componentium argenti viui. f. & sulphuris, non autẽ ęqualitas, quantum in mixtione argenti viui. Item Hermes inquit. Filij philosophorum corpora sunt septem, quorum primus est Sol, eorum optimus rex, & caput, quod nec terra corrumpit, nec res comburens cõburit, nec aqua alteratur, eo quod complexio eius est temperata, & natura directa, in Caliditate, Humididate, Frigiditate, & Siccitate. Nec in eo quid superfluum est, vel diminutum. Et ideo Philosophi prætulerunt ipsum, & magnificauerunt, & dixerunt, quod sic se habet Sol in corporibus, quemadmodam Sol in Stellis. Suo enim lumine, & splendore omnia commutabilia germinat, & omnes fructus perficit nutu Dei.

Notandum.

Notandum.

Quid plura, si ad hoc peruenire possimus? Habemus porportionatum fere totum iuxta Socratem dicentem. Iam

ergo Albi plumbi dispositionē vobis demonstraui, quo genito nihil aliud est, quam op⁹ mulierū, & ludus puerorū. Item notetis, quod Ingressio, Summersio, Cōiunctio, Connexio, Complexio, Compositio, & Mixtio, idem significant in hac arte. Nihil enim ingreditur, summergitur, coniungitur, cōnectitur, complectitur, componitur, quando miscetur. Ergo videamus quid sit mixtio, quia ipsa cognita per diffinitionem omnia alia cognoscentur.

Notandū.

Secūdum ergo Philosophum primo de generatione. Mixtio est miscibilium alteratorum per minima coniunctorum Vnio. Notetis miscibilium, id est, elementorum. Nam ipsa sunt prima principia vnius cuiusque mixti, nec ipsius mixti manifestam, nec occultam scire possumus naturam, nisi sciamus ipsa elementa cōmiscere, seu componere, vnde Hermes dicit: Intellige fili quatuor elemētorū scientiam, quæ suis posita sunt rationibus in sua abscondita apparitione. Eorum.n. abscondita apparitio, nequaquam significatur nisi componatur, eo quod non perficiuntur donec sui colores peragantur. Notetis etiam per minima, id est, per indiuisibilia. Nam si quid posset diuidi, non esset minimum, cum omnis pars minor sit suo toto. Apparet ergo quod per minima, id est, per indiuisibilia fit mixtio Elementorum. Et quod Elementum sit minimum corporum apparentium, patet per diffinitionem eius. Elementum enim minima particula corporis est.

Notandū.

Notandū.

Tertio, videamus qualiter operatur Natura. Et certe quatuor modis. s. secundum quatuor motus, qui sunt Corruptio, Generatio, Augmentum, & Diminutio. Alteratio enim est secūdum qualitatem mutatio. Agit ergo natura corrumpendo. Sed quia Corruptionis multæ sunt species, tentemus solum de vna, quæ vertitur in propositum nostrum. Et certe vna est Putrefactio. Vnde Hermes in allegoria sua. Scitote, quod artis origo est caput Corui, qui in nigredine noctis, & in claritate diei sine alis volat, & amaritudine nostra in suo sanguine exeunte coloratio accipitur, & à suo dorso mera accipitur aqua. Non est aliud caput Corui, nisi nigredo noctis. Quia sicut ista sunt nigra, & obscura respectu diei, sic corpus putrefactum respectu corporis mundi, quod ex putrefactione oritur, seu per nostrum artificium extrahitur.

Sed

Sed cuius coloris debet esse istud corpus mundum? Certe albi coloris. Vnde Hermes. Scitote rumorum inquisitores, & Sapientiæ filij, quod Vultur supra montem extensum in cacumen voce magna clamat, inquiens. Ego sum Albus nigri, & citrinus albi: & Rubeus citrini, veridicus sum certe, & non mentior. Notetis ergo albus nigri. Nam ipsum album, ex nigro extrahimus. Item Alphidius. Argentum viuum quod ab eo. s. corpore nigro extrahitur, est humidum, album, à corticibus mundum, ne opus pereat. Viso ergo quod primus motus naturæ est putrefacere, videndum est qualiter fit. Et vt perfecte sciamus facere, oportet nos habere cognitionem principiorum tam naturalium quam Artificialium. Nam qui principia ignorant, finem non inuenient. Notandum

PRimum ergo principium naturale est materia, seu causa materialis terræ, aquæ, ignis & aeris, sub nutu Dei, vel Marthek, quod Græce neusi theu dicitur, & Hebraice Recon heloim, positis in literis, & numeris: notatis per lineam perpendicularem vt infra, ac diuisis per æquales, & inæquales partes, tali videlicet modo.

N	. .	13	M	. .	12
V	. .	20	A	. .	1
T	. .	19	R	. .	17
V	. .	20	T	. .	19
			H	. .	8
	. .	72	E	. .	5
			K	. .	10
D	. .	4			
E	. .	5		. .	72
I	. .	9			
			D	. .	4
	. .	18	E	. .	5
			I	. .	9
	. .	90			
				. .	18
				. .	90

9		9
2		2
18		18
9		9
8		8
	Putrefactio. 42	
72	Generatio. 30	72
18	Alteratio. 18	18
90	90	90

Ν	50	200	ר
Ε	5	90	צ
Υ	400		
Σ	200	6	ו
Ε	5		
Ι	10	700	ן
	670	996	
Θ	9	1	א
Ε	5	30	ל
Ο	70	5	ה
Υ	400	10	י
	484	600	ם
	1154	646	
		1642	

Putrefactio.	539	Putrefactio.	772
Generatio.	386	Generatio.	544
Alteratio.	229	Alteratio.	326
	1154		1642

Secun-

SEcundum est Calor id est Ignis alienus, qui est instrumẽtum mouens ipsam materiam ad putrefaciendum, & non aliud agens in mundo.

Vnde inquit Alphidius. Scito fili, quod substantia agens in hoc toto mundo est vnum .s. Calor. Calore enim sublato, nullus omnino motus est. Motus autem est actus, ideoque dispositionis, & operis radix calor est. Sed cum multi sint gradus calorum, siue Ignis, videamus quid sit iste, & in quo gradu est.

ET certe Ignis, siue Calor, est Ignis siue Calor intentissimus, sic testante Maria. Mensura Ignis tui esto sicut Solis in diebus Iunij, & Iulij. Et vocatur Fimus equinus, vt inquit Alphidius. Igne coquitur: quod tibi ostendam. Et est calidus, & siccus in quarto, cuius proprietas est augmentare siccitatem, condensando humiditatem. Nam sicut Ignis Fimi augmentat frigidum, & humidum propter suam frigiditatem, & humiditatem, quę prohibetur: Ita fortitudo Ignis calidi, & sicci, siccitatem disponit, naturam humidam in naturam siccam (vt scitis) terminando. Huic autem non assimilatur alius in mundo nisi Naturalis, qui est Ignis Solis in visceribus terrę. Visis igitur principijs naturalibus, videamus Artificialia.

PRincipia Artificialia sunt instrumenta, in quibus perficitur ista putrefactio. Et Primum est C A R A H A: Secundũ est A L V D E L, id est Venter equi: in quo debet poni materia: de quo Vincentius dicit. Solutiones corporum & spirituum, instrumenta sunt multa: vnum tamen dicitur Venter equi. Et fit duobus vasis: quorum alterum, est Aludel, & in ipso Materia ponitur: statq; in Fornace: & subtus nutritur Ignis: vt bulliat. Auicenna dicit, quod istæ dispositiones non possunt fieri nisi in vase duplici cognito, quod vas est Venter equi supra nominatus. Item cum diffinitio sit omnino quid esse rei significans, videamus quid est putrefactio rei, vt melius cognoscamus eam.

SEcundum autem Ioannicium. Putrefactio est corruptio substantiæ rei ex vaporum retentione. Si enim dispergantur per æra, nõ putrefit. Quare debet aludel sic adaptari, ne respirare possit. Vel potest aliter sic diffiniri. Putrefactio est substantialis humiditatis corruptio ex indigentia caloris naturalis, superabundante calore alieno artificiali exterius

Notandum. agente. Notetis calore alieno superabundante. Nam ipse calor alienus est instrumentum agens, seu perficiens putrefactionem corruptione humida.

Sed per quem modum facit hanc corruptionem calor? Respondemus. Calor calefacit rem sibi superpositam, & calefaciendo facit euaporare humiditatem, qua humiditate omnes partes siccæ terreæ continuabantur, & faciebant vnum corpus continuum & vnam rem, & ita calor corrumpit, & putrefacit ipsam rem, sicut videtur in ligno in igne posito. Nam fortitudo caloris ipsius ignis, facit euaporare à ligno Aquam, & Oleum, mediantibus quibus lignum primo erat corpus continuum, modo post separationem Aquę, & Olei, remanent cineres, & partes siccæ ex toto discontinuatæ, & puluerizatæ. Et propter istam similitudinem, putrefactio vocata fuit cinis a Philosophis. Vnde recte inquit Hermes. Ne argentũ viuum negligentiæ tradas, nigrũ cinerem dealbat, & per sapientum ignem fit opus. Ideo vocata fuit etiam calcinatio, id est, Putrefactio propter eandẽ similitudinem. Nam sicut fortitudo ignis priuat lapidem sua humiditate & de ipso facit calcem, sic putrefactio. Vnde Parmenides in turba. Nisi vertatis naturã, eiusq; cõpositiones, & cõplexiones sciatis, & bene coaptetis consanguineum cõsanguineis, & primũ primo, incõuenienter facitis, nec quicquam operamini, eo quod naturę cum suis consimilibus naturis consequentur eas, & lætabuntur in eis. Namque putrescunt, vel disiunguntur, eo quod natura naturam regit, quæ ipsam diruit, & in puluerem vertit, & in puluerem deducit. Apparet ergo, quod per putrefactionem res destruitur, & in nihilum deducitur, sicut lapis per calcinationem. Viso igitur quid est putrefactio, & qualiter fit, videamus signa per quæ possumus cognoscere quando erit perfecta, & quando non.

DVo quidem sunt accidentia principalia, per quę possumus cognoscere ipsam esse factam, aut non. s. Color. & tactus. Color. s. Niger, tactus. s. Ponderosus. Vnde auctor perfecti magisterij. Plumbum in sua altitudine est plumbum, & argentum, frigidum, Siccum, terreum, melancholicum, nigrum, marcidum, fœtidum, ponderosum, & femineum.

Ex ijs ergo apparet, ꝙ putrefactio tunc est perfecta quãdo est nigra, & ponderosa. Item notetis, quod argentum nostrũ, Calcinatio, Incineratio, Melancholia, Nigredo, Nox, Putrefactio, Prægnatio, & Sputũ idem significant. Sed quid remanet corruptum post Putrefactionem? Respondemus. Substantia formæ, quæ ante putrefactionẽ erat in potentia rei introducta ex proportione Elementorum, ex quibus erat composita. Quia materia non ita corrumpitur, vt penitus annihiletur, seu ad nihilum reducatur, cum elementa destrui à nobis non sit possibile, sed Essentia, & Forma, quam ex mixtione susceperant, bene penitus annihilantur. Nam totum integrale (puta domus) consistit ex suis partibus integralibus. Destructa vero, seu disiuncta vna parte à loco suo, quem locũ prius habebat in toto destruitur forma, siue Essentia totius dom⁹, & tñ remanẽt Lapides, Ligna, & Fũdamenta, ex quibus constabat domus. Sic etiã in proposito nostro. Nam separato humido à loco suo, quem habebat in cõmixto elementari, tãquam pars integralis in toto, & hoc per calorem eleuantem ipsum, & separantem ab alijs partibus, annihilatur penitus forma, & essentia ipsius mixti. Substantia tamen humidi non annihilatur, nec ipsa potest annihilari. Notandum.

Sed contra. Nonne si ponamus ollam plenã aquæ ad ignem, per virtutem caloris consumetur, ita quod nihil remanebit? Certe sic. Ergo substantia eius penitus annihilatur. Respondemus. Quod Aqua habet substãtiam valde subtilem, & raram. Item habet contrarias qualitates penitus qualitatibus ignis. Nam Caliditas ignis frigiditati aquæ opponitur, & siccitas humiditati. Cum ergo caliditas ignis frigiditati aquæ aduenit, pugnant inter se: & si caliditas vincat aquæ humidi frigiditatem, in tantum subtiliat, & ratificat substantiam aquę, quod trãsmutat eam in substantiam Aeris. Nam Aer generatur ex Calido ignis, & Humido aquæ. Et Terra ex Sicco ignis, & Frigido aquæ. Vnde Morienus: Quatuor sunt Elementa, quorũ duo sunt principalia, & summopere contraria, vt Ignis, & Aqua. Alia vero duo generantur ex istis, vt Aer, & Terra. Hoc etiam declarat Albertus optime in libro Peri geneseos. Item videmus nubem pluuialem virtute calorum sursum ascendere, & contra naturam suam eleuari. Nam Aqua de natura sua semper deorsum pe-

tit:

tit: tanquam graue, & cum venit ad locum perpetui frigoris, in quo frigiditas superat caliditatem, tunc nubes cõuertitur in Aquam virtute suæ frigiditatis inspissantis, & conuertentis substantiam nubis in aquam, & ita generatur pluuia. Et etiam cum ventus borealis, cuius natura est frigida, & sicca, obuiat australi, tunc si frigiditas borealis superat caliditatem australem, condensatur, & congelatur nubes, & hæc aliquoties in Aquam conuertitur, aliquoties in grandinem, aliquoties in niuem. Ex quo apparet, quod substantia Elementorũ non potest annihilari, sed recipit transmutationem, cũ natura vnius naturam alterius superat.

SEcundus autem motus naturæ est Generatio. Cum Corruptio vnius, est Generatio alterius, Philosopho teste primo de generatione. Et est impossibile materiam esse, quæ nõ sit sub aliqua Forma, primo physicorum. Nam quando agens destruxit mixtionem primam, seu proportionem elementorum, quæ faciebat rem esse sub prima forma, statim introducit aliam. Et quæ forma est illa? certe corporis corrupti, quod vocatur à Sapientibus huius artis Saturnus, vel plumbum, vel æs propter suam nigredinem, & immunditiã, à qua nigredine, & immunditia debet fieri mundatio. Vnde inquit Hermes. Hoc fili noscas, ꝙ nisi quis sciat ducere prægnationem, facere generare, mortificare, & species viuificare, lumen inducere, ac mundificare, quousque igni purgentur, colorentur, & a maculis vltimis mundificentur, velut à nigredine, & tenebris, nihil fit. Si autem hoc quispiam fecerit, maioris dignitatis erit possessor, vt reges eum venerẽtur. Itẽ alteratio est mutatio secundũ qualitatẽ facta ex quadã materiæ locali permutatione, qui quidẽ motus continet in se principalia huius magisterij, de quibus dicit Geber. Sũt itaq; huius artis principia modi operationum ipsius quibus applicatur Artifex ad hoc magisterium, qui quidem ad se inuicem sunt diuersi. Est enim vnus modus sublimatio, & descensio alter, id est, secũdus. Et vnus est destillatio, id est, tertius. Et vnus ex modis est calcinatio. id est, quartus. Et alius solutio. id est, quintus, sextus, coagulatio, septimus vero, Fixio. Octauus demum est, cæratio

PRimus ergo modus fuit sublimatio. Et causa inuentionis eius fuit, quia non nouerunt antiqui Philosophi, nec nos, nec qui post nos venturi sunt, aliquod ꝙ vniret cor-

pora

pora nisi spiritus solos, vel quod naturam spiritus, vel corporis in se contineat, sed hos proiectos super corpora sine illorum mundatione, viderunt non perfectos colores dare, vel ex toto corrumpere, denigrare, aduertere, & defœdare. Notetis ergo, quod dicimus sine illorum mundatione. Igitur mundatio debet fieri, id est, ista à nigredine, & tenebris. Et ita sentit Hermes. Sed quid est illud, quod parit istam nigredinem? certe humiditas aquosa, & adustiua. Vnde auctor trium verborum dicit, quod humiditas adustiua est fumus aquosus, de quo dicitur, humiditas aquosa, & adustiua corrumpit opus, & tingit in nigredinem. Verum humiditas illa, quæ parit nigredinem, impedit albumfumum, quo deficiente aurum archimiæ non fit, Morieno ita testante. Nisi fumus albus fuisset, aurum archimiæ non fuisset. Item de hoc idem. Nota, quod de fumo albo interrogasti, scire te conuenit. Fumus albus est anima, & Spiritus illorum corporum, quorum animas iam extraximus, & iterum eas suis corporibus coniunximus. Ista ergo Anima suum corpus ingressa dealbat ipsũ, & mũdat ab omni nigredine. Vnde Parmenides in Turba. Scitote, ꝙ si superficies dealbatur intrinseca eius dealbatur, & si superficiem ęris dealbauerit, intrinseca eius dealbabuntur. Item Lucas. Argento autem viuo gubernato omne corpus dealbatur, & natura naturã cõuertit. Notandũ.

Siccum ergo & humidum accipite, & extrahite fumum album ab ipsis, & custodite ne pereat. Sed qualiter generatur iste fumus albus? certe per putrefactionem, & mundificationem. Primo materia corrumpitur, fitque per calorem ignis separatio vnius fumi adustiui, qui tingit in Nigredinem, ab isto Fumo albo, qui erat ante mixtus sibi in prima materia, sub vna forma tamen & ita recipit mundationem vnam per ignem. Nam alteram postmodum recipit per artificium nostrum. s. per Sublimationem, & Destillationem, vt infra. Et hoc est, quod dicit Hippocrates in aphorismis. In perturbatione, & vomitu, qui sponte fiunt, si qualia oportet purgari, purgentur, bene erit. Si vero non, econtra. Quod sic exponimus. In perturbatione ventris, id est, Putrefactionibus, quæ fiunt in Aludel. Et vomitibus, qui sponte fiunt, id est, Sublimationibus, & Destillationibus, q fiunt in Carana ascendendo sursum sicut est vomitus. Si qualia oportet purgari, purgentur, bene est. Si non, male. Ex ijs ergo appa-

paret,

ret, quod si bene sciamus facere Putrefactionem, quę est turbatio Elementorum, seu Deligatio, vel Mundificatio, & bene per Sublimationem, & Destillationem separare hoc ab hoc, id est, purum ab impuro nobis bene erit; & si non, male. Et notetis, quod adhæret pars vna fixa cum fæcibus, quæ nunquam per Ingeniorum genus aliquod separari ab illis posset.

Notandum.

ET cum Fumus ille fuerit mundus, & albus, tunc erit aptus ad coniungẽdum cum suo corpore, vt diximus supra, aliter non, vt scitis. Vnde inquit Morienus. Si quis animam extraxerit, & eam sursum ascendere fecerit, & ab ea omnem nigredinem, & fœtorẽ abluerit, postea cum suo corpore cõiunxerit, & demum mortificauerit, videbit maxima mirabilia in mundo. Visa igitur generatione illius Fumi albi, qui fit per separationem Fumi adustiui ab eo in putrefactione, & mundificatione, videamus illã quę fit per sublimationem, & destillationẽ. Et primo videamus, quid est sublimatio, & quare fuit inuenta.

SVblimatio enim est rei siccæ per ignẽ eleuatio cum adhęrentia suo vasi. Causa autem inuentionis eius fuit mundatio spirituum, aliter impossibilis est, vt iam dictum est supra.

DEstillatio vero est putrefactę liquorosæ rei à fęce suę turbulentię separatio, & hęc fuit generalis. Specialis autem fuit inquisitio aquæ puræ, ita vt corpus solutum post ipsius aquæ resolutionem non possit infici, nec corrumpi.

DEstillationem vero pluribus ponimus modis: s. per manicam; & cineritium. Per manicam, enim sic. Fiat furnus destillationis, in quo primo collocetur carbo, & coaptetur ei bene, & postea super carbones accensos substãtia destillãda ad spissitudinem vnius digiti, & desuper etiam carbones vsque ad summitatem furni, & dimittatur operari quousque totum destilletur. Modus vero alius per cineritium sic fit. Collocetur substantia in fouea cineritij, ac desuper ligna accensa, & permittatur operari quousque tota munda exeat. Prima autem destillatio maior est quam secunda, quia manica acuitatem caloris plus infert quam cineritium. Fit etiam per balneum arenæ. Et causa inuentionis talis balnei, fuit substantiæ purę in naturam suam extractio. Quoniam per destil-

destillationem primã & secundam substantiæ, fuit balnei Saturni sola serenitas. Visis ergo modis destillãdi, & quid est destillatio, accedamus ad fęces. Verum secundum Hermetem. In vnaquaque re corruptibili tria sunt consideranda. Primũ quod est vtile aqua, secundum oleum, tertium fæx. Tamen nullum istorum habet esse in corpore isto corrupto, sed cõfusum, & indiuisum, quod corpus ab aliquibus vocatur hyle, vnde dicitur, Deus creauit primo cælos & terram, quos cælos vocamus sublimationem, terram vero corpus nigrum. Et ex limo istius terræ plasmauit Deus Adam & ex Adam viraginem, quod est corpus nostrum, in quo sunt aliquæ essentiæ corruptionis, quæ prohibentur. Vnde inquit Alphidius. Scito fili, quod in libro fit librorum perfectio, & certissimum est opus eis, qui ratiocinantur, iam ergo mandaui tibi quod proponis, videlicet Adam, & prohibui ea, quæ opus corrumpunt, id est, Viraginem, à medicis vero vocatur hoc corpus corruptum massa ptyssanaria, ex qua generatur in stomacho chylus, & ex hoc chylo generantur in hepate quatuor humores. s. Sanguis, Cholera, Phlegma, & Melancholia: & ex iis corpus sustentatur, nutritur, & regitur. Hoc idem ipsi dicunt per alia verba. Nam natura primo procedit in stomacho dealbando, secundo in hepate rubificando, vltimo in membris subtiliando.

ACcipiamus ergo terrã rubeam, ac cũ sua aqua mũdificata in aludel, igne, & ære mediantib⁹ æqualiter cõiungamus, vt corpus vnum viuum, seu aqua sicca, vel fumus albus fiat per viam putrefactionis. Hęc aqua, seu putrefactio vocata fuit initium operum, & clauis operum per Alphidium sic dicentem. Scito fili, quod intus thesauri non sunt abscondíti, verum in ea seruati coram tuis oculis cum domum ingredieris, volo tamen tibi vnam clauem tribuere, quam eorum signa voco, quod si rationem habes, residuas tres claues scies, & extrahes tua scientia ex ea. Porro hæc vna clauis est aqua sicca, quæ fit per vas sapientum, & modo putrefactionis. Per istam vero clauem incipit opus, & fit per ipsam postmodum extractio reliquarum trium clauium, & cognoscuntur. Mixtum igitur ac putrefactum æquatum prædictum, iterum in mundo aludel, nam aliud vas non potest ignẽ sustinere, recipiatur, colloceturque in furno generatio-

rationis, ac detur ignis, vt totũ illud in marthek deueniat; absq; aliqua terminatione ignis prætermissa, quia motus debet esse continuus (vt scitis) & non interruptus. Propterea mementote omnia necessaria quousq; totum perficiatur.

TErtius modus naturæ est augmentum, quod fit ad modum augmenti lunæ. Nam sicut per aspectum solis luna incipit illuminari, & postea omni die augmentatur lumen eius quousque tota sit illuminata; sic etiã magnesia incipit per fimũ rubificari, donec tota fuerit rubificata. Et hoc dicit Hermes in secreto suo, videlicet vitis sapientũ; Succus in 42. diebus extrahitur, eius vinum in fine .30. peragitur, de cętero ipsum diminuit, trituratio vero augmentat; eõ quod luna post. 15. diminuitur, & in 30. augmentatur. Fit etiam hæc coniunctio ad modum corporis, & animę. Nam sicut anima corpus ingreditur, & continet ipsum, sic fumus albus corpus suum. Vnde inquit Alphidius. Prosequẽte fugienti obuiante ab eis fuga aufertur, & veritas sequitur, & natura cepit suum comparem vt inimicum, & se ad inuicem continuerunt, & continent; quoniam anima corpus introiuit. Istud punctum est secundum punctum Martis secundũ Hermetem. Secundũ vero ordinem est Iouis. In domo cuius posuimus Martem. Et quare ibi appositus fuit, videatur particula nostræ diuisionis, sub titulo cineritij. c. Res a lopis mundata. Idem dicit Rodianus cum embryone reducit. Notandũ. Notetis embryon.

Embryon. n. est frustrum carnis, seu massa, ex qua natura format in matrice fœtum: & disponit omnia mẽbra sua. Sic istud punctum est massa: seu lapis, ex quo totum magisterium perficitur. Item istud punctum est etiam materia, ex quã omnia metalla ducunt originem. Vnde inquit Alphidius. Vt enucleatius intelligas me loquentẽ; volo vt scias de qua materia metalla ducunt originem. Attẽde itaque. Aqua grauis, & viscosa in visceribus terræ non habens exitum foras, si prope est Sulphur eius excocta calore cõuertitur in argentum viuum. Et sic Notetis, ꝙ Aqua viscosa, & Sulphur sunt materia omnium metallorum, argenti viui. Hoc idem dicit Geber, cum diffinit argentum viuum dicens. Argentum viuum est Aqua viscosa in visceribus terræ Substantiæ subtilis Albæ terræ per calorem temparatissimum vnita totali vnione per minima quousque humidũ contemperetur a sicco, &

Notandũ.

co,& ſiccum ab humido æqualiter. Notetis ergo, Aquam viſcoſam,& Subſtãtiam albam,quam dicimus eſſe etiam Materiam argenti.Item notetis,per calorem temperatiſſimum tanquam per inſtrumentum perficiens ipſam. Item notetis, modum perficiendi cum dicit, quouſque humidum contemperetur cum ſicco.Item notetis, quod æs; arbor,argentum,Argilla,Argyrion,caſpa,cheſſeph,Conſanguineum corpus,Corpus impropriũ,corpus nigrũ,Eua,fada,femina, gallina,Giumis,Gumma alba,hypoſtaſis alba,Lignum,Linea,Luna, Magneſia alba,Materia, Mater, Maſſa pryſſanaria, Medium cælum,Meridies,nigredo,niger cinis : Ouis,Sanguis, Secundus, ſoror ; ſubſtantia ſubtilis ; ver,virago, virilitas, Vnio ſpirituum;vua acerba, & tenebræ idem ſunt. Viſa autem mixtione,putrefactione,generatione; & augmentatione argenti viui; videamus eius fixionem, quæ fixio fit per diminutionem; quæ eſt quartus motus naturæ, quæ diminutio dicitur; & fit per decoctionem, vt narratum eſt ſupra in præallegato ſecreto Hermetis,videlicet. Vitis ſapientum &c. Nam ſicut Luna; poſtquam plena eſt,de die in diem incipit diminui, donec de ipſa nihil appareat, ſic albedo, & illuminatio iſtius corporis incipit diminui per decoctionem,donec tota albedo diminuta ſit; & appareat rubedo per nigredinem, & citrinitatem; quæ penitus apparebit, ſi non remanſit aliquid de illa humiditate aquoſa;quæ mittit albedinem.Si vero remanſit aliquid de illa humiditate aquoſa ; quæ mittit albedinem, tunc non eſt facta exſiccatio.Siccetur ergo donec deueniat,& tunc bene erit.Et hoc eſt:quod dicit Hippocrates in aphoriſmis. Inanitio,ſi qualem oportet fieri,fiat,& confert,& bene erit.Si vero non econtra: Gloſſa;Nota Inanitio; id eſt Exiccatio.Item Hermes.Ponite igni ipſius humiditatem,& in humido ignem habitare facite ; qui ignis huiuſmodi humiditatis colorem augmentat,& ſiccitate combuſtionẽ,donec in finẽ ducatur,id eſt perfectũ fiat. Itẽ inquit Alphidius. Inſpice fili:quia ſcripturus ſum tibi librum cuius verba ſi intellexeris, hanc artem inuenies,ſi fueris de ijs ; qui eam inuenient. Si vero hæc verba non intellexeris, non accedas ad operandum, niſi ſi incipias tentare; & aquas coquere: quæ putrefaciendo ſpiſſantur putrefaciendi humiditate,vi ſiccitatis,neque ipſius,cuius genus eſt duo lapides de genere lapidum,extractum enim eſt ex lapidibus,quę in quolibet anni tempore generãtur.Notetis ergo,

Notandum.

Notandum.

Notandum.

Notandum.

quod per putrefactionem fit Inspissatio aquarũ, id est Frigidi, & Humidi, & econtra in siccitatis naturã, quod apparet, vt dictum est supra, per putrefactionem, & generationem in secreto. Accipiamus ergo terram rubeam &c. Nam frigidum, & humidum cum incipit alterari, efficitur nigrum, vt carbo. Vnde inquit Hermes in Allegoria sua. Lapis noster inquisitus caret simili, & est citrinus, aureus, extrinsecus, & intrinsecus. Cũ autem corpus eius alteratur, fit nigrum, & tenebrosum, vt carbones. Spiritus autem ab eo ablatus colore est Rubeus. Spiritu autem, & anima sibi redditis viuit, & lætatur, & vides eum ridentem, & hilarem, ac morte carentem. Benedictus igitur sit ille, cuius dispositio sit hæc, qui mortificat, & viuificat, & omnipotens est. Itẽ Hermes in eodẽ loco. Ego sum albũ nigri, & nigrũ albi. Et sic apparet, ꝙ alteratio est ab albedine in nigredinẽ, & à nigredine in albedinẽ. Et vlterius ista desiccatio, siue dispositio continue fiet eius cõuersio in caliditatis naturam, quod est in rubedinem, quæ tamen prouenit ex paucitate nigrificandi. Hoc idem dicit Rosinus cum dicit, quod ars Marthek non fit nisi ex Stagno. Ex quibus potest intelligi, quod vnus est dispositor albi, nigri, citrini, & rubei. Et hoc est, quod dicit Alphidius, Scito fili, quod in huius maris profundo margaritæ diuersorum colorum nascuntur, in quo & hyacinthus diuersi coloris ascendit, & etiam ipsum scilicet Marthek colorat corpora per colorem suum. Cum enim fuerit calidum, erit rubeum, cum vero frigidum fuerit, erit album, Similiter coloris, & candoris Solis, & Lunæ, & rubeum est caliditas, & albedo est frigiditas, intellige ergo & obserua. Item noteris, quod rubedo est signum caliditatis, & albedo frigidatis, & istud est Tertium punctũ artis secundum Hermetẽ, cũ dicit. Tertio mense operatur Mars agens in materia ex sua caliditate, & siccitate diuidit, & sequestrat massam ipsam, & membra disponit. Noteris membra. Nam sicut in matrice natura disponit membra ipsius fœtus, tanquam partes integrales ipsius fœtus, sic & istud corpus rubeum est pars integralis elixiris, seu medicinæ. Nam in omni compositione, quæ fit postquam istud corpus creatum est, cadit semper tanquã pars integralis compositionis, vt inferius declarabitur. Item noteris, quod istud corpus habet multa nomina. Vocatur enim Adam, Æstas, almagra, altũ, anima, aries, aurum, cancer, Camereth, cinis tartari, cholera, Corpus proprium, Corpus rubeum,

Notandũ. Notandũ. Notandũ.

Corsu-

Corsufle, Deeb, Dehab, Ferrum, forma, frater, Fructus, gallus, Gophris, gumma rubea, Homo, Iuuentus, kibrit, Lapis indrademus, Lapis Indus, Lapis rubeus, lux, magnesia rubea, mane, Mars, Marthek, Masculus, metros, minera, neusi, nurus, Oleum matris, Oleum incombustibile, Oleum rubeum, Oliua, Oriens, Pater, reczon, rubedo, rubinus, Sal vrinæ, Sericon, Sol, Sulphur rubeum, Terra rubea, Tertius, thion, vinum, vitellus, vitriolum rubeum, vitrum, Zaaph, & etiam multis alijs nominibus a Sapientibus appellatur, quæ quidem nomina non sunt ei attributa secundum vnam rationem, seu proportionem. Nam philosophi qui vocauerunt eum Adam, æstatem, Almagra, altum, animã: arietem, aurum, cancrum, carmeth, choleram, cinerē tartari, Corpus proprium, corsufle, Deeb, Dehab, Formam, fratrem, Fructum, gallum gophris, Hominem, iuuentutem, kibrit, Lapidē indiademū, Lapidem Indum, lucem, Mane, Martem, Marthe k, Masculū: Metron: Minerā: Neusin: Nurum: Oliuam Orientem: Patrem: Reczon, Sal vrinæ, Solem, tertiū, thion, vinum, vitrum, Zaaph; dixerunt hoc propter suam complexionem. Nam omnia hæc dixerunt quia Calidæ & Siccæ complexionis sunt. Qui vero vocauerunt ipsum Corpus rubeum, gummam rubeam, Lapidē rubeum, magnesiam rubeam, Oleum rubeum, rubedinem, rubinum, Sericon, Sulphur rubeum, Terram rubeam, vitellum, vitriolum rubeū, propter colorem rubeum hoc dixerunt. Qui autem nominauerunt ipsum ferrum, Oleum incombustibile, Oleum martis, propter impotentiam fusionis duræ hoc dixerunt. Nam cum hoc corpus per decoctionem priuatum sit vna humiditate, quæ faciebat ipsum fluere, & necesse est corpus siccum non fluere, ideo vocauerunt id esse ferrum, quia inter alia corpora ferrum dicitur maxime, Fixum. Sic etiam istud corpus per priuationem humiditatis, quæ faciebat ipsum primo Volatile, modo est necesse, vt remaneat fixum. Nam omnia corpora non fixa figuntur per talem priuationem humiditatis, quæ vocata fuit calcinatio à multis Philosophis. Vnde inquit Geber. Calcinatio est rei per ignem purificatio, seu puluerizatio ex priuatione humiditatis partes consolidantis, & fluere facientis. Et causa inuentionis calcinationis spirituū est, vt ibi melius figantur. Sic ergo fit per priuationem humiditatis volatile fixum, & molle durum. Item fit mutatio de natura in naturā, & aquæ in Ignē secundū naturales,

Philosophos, vt scribitur in turba Philosophorum. Item mutatio complexionum, vt frigidæ & humidæ complexionis, in calidam, & Siccam, seu Phlegmaticæ complexionis in Cholericam secundum medicos. Item fit Spirituale corporeum secundum Auctorem perfecti magisterij. Item fit de manifesto occultum secundum Rodianum in libro trium verborum. Item notetis, quod in vno quoque corpore sunt tres dimensiones scil. Altitudo, Latitudo, & profunditas Philosopho teste primo cæli.

Notandum.

Altitudo est illud, quod manifeste apparet de corpore, & primo subiacet visui nostro. Exempli gratia. Lapis noster in prima sui creatione est albus, & ita apparet prima facie quia dicimus ipsum frigidum, & humidum (vt est) Rodiano sic asserente. Lapis noster est aquaticus, quia est frigidus, & humidus, & aqua est frigida, & humida, & humida aqua currit. Ideo iuro per memetipsum, quod verum est, & talis dispositio dicitur corporis altitudo.

Latitudo vero est illius medicinæ dispositio, per quam itur ad profundum, quę nostra medicina est, & est vita altitudinis, ac profunditatis, tanquam medium inter duo extrema, seu contraria. per quod in extremum peruenitur, quia impossibilis est transitus de extremo ad extremum sine medio. Sæpe enim dictum est, quod lapis noster est humidæ & frigidæ complexionis. Nam si volumus eum facere transire ad medicinam disponentem, necesse est, vt altera qualitas destruatur in eo. Destruitur autem per putrefactionem. Nam frigidum & humidum per putrefactionem inspissatur, & eius humiditas vertitur in Siccitatem, & sic fit transitus ad medicinam disponētem, quæ est caliditas & siccitas, quæ dicitur latitudo.

Natura tamen à frigido, & humido frigiditatem, & à calido, & sicco siccitatem recipit, & fit terra. Postea vero per calorem excedentem caliditatem, quæ remansit in corpore, fit transitus ad contrarium destruendo frigiditatem, & introducendo caliditatem, quæ dispositio dicitur profundum, seu occultum corporis, & hoc optime patet in libro perfecti magisterij in particula illa. Ferrum in sua altitudine est frigidum, humidum, calidum, siccum, cholericum, rubeum, acutum, odoriferum, masculum, & cætera.

Viso demum qualiter argentum viuum transsubstantiatur de natura in naturam. s. de frigiditate, & humiditate in caliditatem,

ditatem,& ſiccitatem. Et quia in iſto puncto, maior pars Philoſophorum incipit loqui. Vt Alphidius de minera. Sulphur rubeum dixit. Notetis, quod minera huius operis eſt ſulphur rubeum,& ſecundum Lucam maſculinum, cum dicit. Accipite Marthek,& dealbate eum,& cætera. Maſculum enim promulgauit, & plures alij ſapientes poſſent adduci in eandem ſententiam, quos in præſentia omittimus breuitatis gratia. Ratio autem quare omnes fere initium ſumpſerunt in iſto corpore rubeo, eſt, quia iſtud corpus rubeum eſt principium totius tincturæ, Nec fit tinctura vera ſine eo. Vnde Roſinus inquit. Sciatis, quod non fuit aliquis qui in arte verbum dixerit à fidelitate denudatum præter Hermetem. Cum dicit. Scitote, quod non fit tinctura vnquam, niſi ex rubeo lapide. Item Geber de eſſentia ſolis aſſerit, q; Sol creatus eſt ex ſubtiliſſima argenti viui ſubſtantia, & ex ſubſtantia pauca ſulphuris mundi, & puræ rubedinis fixi, clari,& à natura ſui mūdati tingentis illud ſcilicet Argentum viuum. Item idem Geber dicit de Sole. Aurum eſt precioſiſſimum metallorum,& eſt tinctura rubedinis, quia tingit, transformat,& illuminat omne corpus, quoniam alumen eſt,& tinctura vera,& perfectio totius operis diuini, quod Deus electis ſuis largitur,& non alijs, cui ſit honor laus,& gloria. Notandum.

DISPOSITIONES ARTIS METALLICAE.

FOrnax:	Ignis alienus.
Caraba.	Terra.
Aludel.	Aqua.
Gradus.	Ignis naturalis.
Tempora.	Aer.

Remotio ſuperfluitatum Elementorum.
Mixtio æqualitatis prædictorum.
Putrefactio Mixtionis.
Generatio putrefactionis.
Augmentatio Generationis.
Disiunctio Augmentationis.
Ignis Disiunctionis.
Alteratio Ignis
Deſtillatio Alterationis.
Ponderatio Deſtillationis.
Ceneritium Ponderationis.
Aqua examinationis Cineritij.

Vnio examinationis Aquæ.
Corpus congregationis vnionis. Aquarum examinationis.
Iustificatio Vnionis.
Cæmentum Iustificationis. Forma.
Medium dispositiuum. Materia.
Infertio Iustificationis. Cæmentationis

SVMMARIVM ARTIS METALLICAE.

Naturarū lapidis Metallorum Numeri. Naturæ primarum qualitatū lapidis prædicti. Res materiales. Prima clauis. Et Remotio superfluitatum Elementorum. Mixtio æqualitatis prædictorum.. Putrefactio. Clauis secunda. Et primum punctū artis. Generatio: Augmentatio: & diminutio, Clauis tertia. Et secundum punctum artis. Alteratio. Clauis vltima. Et tertium

N I	N 2	N 3
CALIDI SICCI	AER.	HVMI FRIGI
IGNIS.	TERRA.	AQVA.
G	DIES.	10 T
R I	I	I E
A		7 M P
D		5 O
V		3 R
S ● SVL	● RVBEVM.	o A FVR

punctum artis. Minera perpetua. Et fundamentum artis.

RES PRINCIPALES ET NECESSA-ria, ſubnota.

ETſi noſtro libello aperte, lucide, & copioſe materiam lapidis Philoſophici (vt notum eſt) omnibus demonſtrauimus, eiusque regimen etiam vſque ad conſummationẽ deduximus. Atttamen, vt enucleatius, & breuius totum arcanum, & diuinum munus aperiamus filijs doctrinæ, tres eſſe Philoſophorum lapides dicimus. Animalem, Vegetabilem, & mineralem. Qui ergo animalem perficere voluerit, exordium ab animalibus accipiat, nec ſine eo, congruoquę tempore imaginem viuentem procreari poſſe intelligat. Si vero vegetabilem conſequi fortaſſe peroptauerit, ſciat, quod niſi ſemen in terram cadens mortuum fuerit, ſolum manebit, & ſi mortuum fuerit, multum fructum dabit. Verum ſi mineralem eligere maluerit, non absque 472 304. 272. & 224. ſortietur optatum. Itaque qui habet aures audiendi audiat. Quoniam ipſum arcanum maximum omnibus benemerentibus notũ fieri æquum cenſuimus. Quicquid enim antiqui Philoſophi inuolutum tenebris, & noctis caligine tradiderunt, iam aperte reuelauimus. Siquis igitur ad perfectionem inuentionis tam admirabilis theſauri omnium maximi peruenerit, per illud maximum Dei nomen mortalibus ineffabile ipſum obſecramus, atque eum obteſtamur, & conſtringimus, vt illum ſinceræ mentis probitate inuiolabiliter cuſtodiat, ne filiorum ſapientum panem canibus proijciat.

NOTARVM PRAEDICTARVM oſtenſio.

T.	19	A.	1 I.	9	A.	1	
E.	5	Q.	16 G.	7.	E.	5	
R.	17	V.	20 N.	13	R.	17	
R.	17	A.	1 E.	5	E.	5	
A.	1						
	59		38	34		28	
	8		8	8		8	
	472		304	272		224	

CAPITA ILL. CONCILII DECEM VIRVM.

D. Paulus Valareſſo.

D. Franciſcus Contrareno.

D. Petrus Mocenico.

ARs transmutationes Metallicæ Io. Auguſtini Panthei ſacerdotis Veneti Leone. X. Pontifice Maximo, ac Leonardo Lauretano optimo Principe in ædibus Ioannis Tacuini impreſſorum accuratiſſimi Venetijs edita. VII. Idus Septembris: M. D. XVIII.

Archimicæ ſophiæ ſeu mauis Archimagiæ
Dicere, Veridicum iam cape lector opus.
Naturæ ex adytis tulit hæc exempla ſacerdos.
Felix, qui noſſe hæc myſtica ſacra poteſt.
D. G. H.

GVLIELMO HYEROSKI POLONO, VIRO Nobiliſſ. Virtutibusque omnibus prædito, Ioannes Auguſtinus Pantheus Venetus ſacerdos felicitatem æternam.

QVanti te faciamus, quem te alterũ nos eſſe dixerimus, ex hoc tibi æſtimandum relinquimus, ex hoc facile iam conijcere poteris, quod tua vnius cauſa laborem hunc Commentandi aggreſſi ſumus, & de Theſauris noſtris Opus hoc nouum tibi excudimus, & tibi ſoli dicamus. In quo opere perſpicue, ac dilucide reſeruauimus, & interpretati ſumus locos omneis difficiles, & Interpretem deſiderantes. Et qui obſcuriores videbantur in noſtris illis inſtitutionibus, quas de metallicis transmutationibus ſuperioribus annis edidimus. Quod per communes tibi & nobis amicos moniti fueramus, & per literas certiores facti te in illis aſſidue verſari, te ſcripta, & Exemplaria noſtra nocturna verſare manu (vt aiunt) verſare diurna, ſed torqueri quod nequires deſiderij tui compos euadere, propter nonnullas in illis difficultates, quæ tibi non intelligibiles cenſerentur. Nos certe Inſtitutiones illas, Quantũ ſubiecta materia exigit, Quantũ facultas ipſa pmittit, Quãtum profeſſio ipſa patitur, proprijs ac ſignatis vocabulis ac vſitatis, apud artis profeſſores contexuimus. Vnaquæq; enim Ars peculiares habet terminos, & dicendi modos. Verum dum breuitati ſtudemus, paulo obſcuriores (fortaſſe) tyronib. effecti ſumus. Nec audiendi ſunt q de inſtitutionib. illis noſtris rentur, Illas partim dici poſſe editas, partim nõ editas, & cognoſcibiles illis tantũ futuras, quib. p nos interpretatę fuerint. Id ꝙ propriũ eſt ſolũ in arte cabaliſtica, de qua plura alibi. Nã

qui

qui ſacris magiæ huius recte initiati fuerint, ratiocinatione duce, exercitatione, vſuque comite, Fine omnino non fruſtrabuntur, ſi perſeuerauerint in illis euoluendis, & ediſcendis. Si deniq; ad hanc magiam capeſſendam natura apti ſint, vti etiam de futuris Poetis, Oratoribus, philoſophis, medicis, ac reliquarum omnium facultatum profeſſoribus dici à Sapientibus ſolet. Accedat oportet numerorum ſcientia, quod proprium ac ſubſtantiale hominis Pythagora & Plato cēſuerunt. Vnde hominem diffinientes dixerunt: Hoc eſt animal ſciens numerare. Quam rem dum animo verſaremus, ad conſumatam totius rei cognitionem, placuit addere miſturas, & proportiones metallorum, vna cum eorum ponderibus, & numeris. Accipe igitur Gulielme iucundiſſime, & generis Nobilitate Illuſtris, virtutibus ſpectabilis, liberalitatis munificentiæque ſplendore celeberrime, ac doctiſſime, hos commentarios noſtros omni auro precioſiores. Et tibi habe cariſſimos, eosque ita legas ſingulatim quoſcumque terminos ponderando, & contextum retexendo Philoſophico more, Fidei, ac ſpei feruore feruens. Vt ſpiritu agente afflectur mens tua, Animusque tuus, quomodo & vatum, & ad ſpiritalem ſenſum, Sententiamque aditus tibi pateſiat. Quod tibi continget, ſi tute tibi ipſi non defueris, hoc eſt, ſi dilectionem habebis, vt inquit Diuus Paulus. Bene vale, & nos tibi amiciſſimos, tuique nominis amantiſſimos, & obſeruantiſſimos ama.

IOANNIS AVGVSTINI PANTHEI VENETI ſacerdotis in editam metallicæ transmutationis Theoriam commentarium.

NVlla te admiratio capiat Gulielme vir omni in ſcientia eruditiſſime: ſi in noſtris commentarijs non ita ſumus verbis penitus vſi latinis, vt forſitan doctiſſimæ aures tuæ audire expectabāt. Nā vt primo poſteriorū inquit Philoſophus. Nō omnē interrogationem eſt vnumquemq; ſcientē interrogare, neque ſecundum omne interrogatum de vnoquoque reſpondere, ſed quæ ſunt ſecūdum Scientiam determinatam. Si enim diſputat cum Geometra, ſecundum quod eſt geometra, ſic manifeſtū eſt quod bene, ſi ex his aliquid de mon-

monstrat. Si vero non, minime bene. Manifestum est autem quod non arguit geometram. Sed aut secundum accidens. Quare vtiq; non erit in non geometricis de geometria differendum. Quapropter si de archemia mysteriorum naturę mirabilium indagatrice tecum agere volumus, verbis nos vtiq; talibus necessarium est vti, quæ huiuscemodi scentiæ (vt à philosopho dictum est) congruant, & qualia ipsa exigere videtur materia. Cum autem tecum de oratoris, aut Poetæ officio verba faciemus, Ciceronianos tunc, aut Vergilianos imitabimur lepores.

יהוה Accipe igitur Iud he voph he in Dei nomine, vt à Platone in Timæo pręceptum est. In omnibus siue maximis, siue minimis, diuinum implorari debere auxilium. Et in vase terreo vitreato, cū Igne vnius gradus. †. per horas. XXIIII. candidissimamq́ animam extrahe, ac per ascensum ipsam diligenter ablue totam.

POstea cum spiritu, & corpore, DEI. taliter coniūge, vt ad arcani huius libram, per putrefactionem talis corporis, cum spiritu, & anima, generetur chylus. ꝓportione. s Coniunctionis, & mixtionis, Quatuor cum partibus, seu ponderibus Quinque, & nouem, seruatis super porfidum, deinde sine alicuius aquæ lotione optime terendo. Et hoc quousq; deuenias ad pondus librarum. XXV. cum dimidia, vt pro multiplicationibus VII. in vice vna tibi sufficiant.

Deinde in aludel non vitreato (quod est terreum) & sub fimo equino (quod est ignis carbonum) in loco putrefactionis, Generationis, Alterationis, & Fixionis reconde. Qui quidem Ignis dicitur exterior in ipsam Frigiditatem agens, hoc est Nigredinem expolians. Et talis ignis. XXIIII. horarum terminum in totum non permittatur transgredi. Qui tamen horarum numerus in duas æquales sit distributus partes, quælibet scilicet ipsarum. XII. comprehendens horas, vt tali caractere. M. signatum est.

POsthæc illi stude ad inducendum æternam mortem, hoc est rubificandum chylum, iam per putrefactionem, generationem, & alterationem, atq; fixionem terminatum. Quater scilicet in ipsius putrefactione, Ter vero in generatione, bisq; in alteratione, ac in fixione semel tantum ipsum terendo. Cum additione attamen spiritus sui in charaha existentis

sub

ſub NVTV, Stagno, vel Marthek, generatum. Quod quippe erit per ſeptuaginta duas vices horas duodecim multiplicando. Quæ quidem (vt patet) faciunt dies. xxxvi. Ac ſeptẽ vicibus reitera mixtionem cum ponderibus ſepties vice qualibet ſupra illud quod ſuperſtes omni vice à fixione cõperies, ita quod ſemper cæterorũ reſpectu, tale vt baſis ſit, & in quotatione Quatuor, vt inferius annotatum eſſe videbis, & ſupra etiam oſtenſum eſt.

COnſideratio etiam reſpectu temporum animaduertenda eſt, quæ ſunt ſeptem vicibus trigeſimusſextus multiplicatus numerus. Qui quidem continere videtur dies. cclii. Et ſic habebis MARTHEK DEEB. Quod idem interpretatur quod marechet Deob. Quod quidem aureum eſt lithargyrion, id eſt Benedictus philoſophorum lapis, medicina elixir, ſeu tinctura aurea, non deficiens. Quinimo quodlibet transmutans metallum, vna, ſuper centum. Quoniã archemia ab Archi, & mia Grçce deriuatur. Et Chaldaice Archenouevm a adumas dicitur, quæ initium vnitatis eſſe perhibent. Quod quidem initium, ſeu principium nihil aliud eſſe videtur, niſi tinctura fixa, vt in noſtri opuſculi theorica demõſtratum eſſe comperies, capite illo ſcilicet. Viſo demum qualiter Arg. vi. transſubſtantiatur de natura, in naturam, & cętera, vt in ipſo.

SEd in omnia Ænigmata praxis huius cariſſime Gulielme ſoluere valeas, nec Sphyngem te conſulere in aliquo oporteat, ac huius Diuinæ ſcientiæ recipientium adytum ingrediaris, Quid illud diuinum Hebraicum verbum in ſe contineat, ac ſub ipſo lateat, quod ſupra diximus. Accipe in Dei nomine. Iud. he voph he. & cætera. Breuibus tibi (gratis) in prophani vulgi contemtũ, & diuinæ maieſtatis laudem, & gloriam, demonſtrare decreuimus. Et ſi minime liceat naturæ arcana prophanis manifeſtare, ſed Sapientiæ duntaxat amatoribus. Quod ſane fieri ſolitum eſt, hæc adusq; tempora, vt non niſi metaphoris naturæ ſecretiora tractarentur. יהוה

ET primo in Archemia recipientia illud quod per Iud he voph he importatur, ſunt Aer, Aqua, ignis, & terra naturalis, hoc eſt quatuor naturæ elementa. יהוה

Dictio autem hæc comer riſoon primam deſignat naturæ materiam. חומר ראשון

HÆc muchabelim recipientes. בקבלים

Iſta vero gophris, ſulphur naturale. גפרית

Hæc

כספחי Hæc cheſſeph hai, argentum viuum minerale.

התאת ET hæc It hocodut horucut, vnionem ſpirituum.

דות Quod idem quippe eſt, quod ouorum Gallinarum al-

הרודות bumen naturale.

דבר HAc iſta douor echad, rem vnam ſolam, Quæ eſt argilla

אחת cruda ſimplex.

Iud vero pro ære ponitur, & inter Cabaliſticos numeros decimam ſibi vendicat quotationem.

HE primus de elementis exprimit Aquam ſcilicet, & de numeris Quinque.

VOph autem ignem, & de numeris ſex.

ו He iſta & vltima terram oſtendit, & de numeris Quinq;.

ה QVæ autem, quot, & Qualia metallica, & naturalia ſint elementa in Cabaliſticu, archimicæ artis magiſteriū ingredientia. Quid etiam forma, materia, mediū diſpoſitiuum, aurum, argentum ſplendidū, argentū calcinatum, argentū viuum de corde Saturni, oleū ſulphuris. Quidq; ſit argilla ſimplex H iud nos fugit te iam intellexiſſe, ac experiētia in laboratorio noſtro cōſpexiſſe cum hac de re verba (vt noſtra exigit am citia) haberemus. At tamē ſi forte quæ palā operati ſumus obliuioni tradidiſſes, nos literis deſiderij tui indicibus certiores reddas. Pollicemur equidem nos tibi libentiſſime (pro virili) morem gerere, omniaq; iterum ob mutuū, & non vulgarem inter nos amorem tibi recenſere. Nam à peripateticorū principe ſcriptum eſſe comperimus. Amicitiam, vnā in duobus corporibus viuentem animam expoſtulare. Quamobrē cum te tali, tantoque proſequamur amore, vt te cariorem habeamus neminem. Non immerito à nobis haud petendū, ſed (gratis) exigendum eſſe cenſuimus, vt omni cura, ſtudio, atq; diligentia, tuæ enitamur parere voluntati. Cui nos paratos in omnibus offerimus, tradimus, & pollicemur.

DE METALLORVM SPIRITVS GENERATIONE.

SVmantur itaq; lib. Decem humidi, qui eſt Aer. Pariterq; libr. Quinq; ſicci, terram inſinuantis metallicam. Quæ idem quippe eſt, quod Saturni ceruſſa. Et in vaſe ferreo in carbonumq; igne iuncta conflentur.

CVmq; liquefacta fuerint in aqua ex dulcedinis, & acetoſitatis qualitatibus confecta, in granulis reducantur.

Poſtre-

POstremo igne gradus secundi tam in cucurbita ferrea bene allembich, & receptaculo terreo, raha, donec Spiritus purus, &  destillentur, sigillata cũ aludel: & ca mundus habeatur.

DE METALLORVM ANIMÆ GENERATIONE.

PRima quidem coniunctio, de libris fiet Aeris Decem, & lib. sex ignis. s. de Iud, & voph. Secũda vero, de libris Quinque aquæ, & de lib. Quinq; terræ, videlicet de He, & He. וי הה

TErtia demq; & vltima de omnibus simul, scilicet iud he voph. he. Ac mediantibus ignis gradibus, & horis, vt supra candidissima extrahatur. יהוה

DE MIXTIONE CORPORIS, SPIRITVSQVE METALLORVM ANIMÆ.

D. QVartum insinuans est numerum. Vnde vice quatuor vna, quatuor faciens Corpus facit.

E. Quintem ostendit numerum. Vnde quinquies septem, trigesimum quintum conficiunt numerum, & Spiritus tradit pondera.

I. Nonam significat quotationem, Vnde septies nouẽ, sexagesimam tertiam animæ demonstrat quantitatem.

SVmma autem cuncta mixta. DEI. Lib. xxv. cum dimidia.

PErficitur autem diuinum arcanum hoc equini fimi medio, quod est ignis (vt supra) per horas, & per dies, sub N V T V ad fixum librarum. lxiiii.

HOræ autem, & pariter fimi dies, erunt ex temporibus NVTV. Gradibus huiusmodi nostra in theorica non expressus. † † †

DE TEMPORIBVS.

	HORÆ.	DIES.
	M.	
N.	12.	Indicat. Et sex dies in putrefactione.
V.		Decem in Generatione.
T.	12.	Nouem in alteratione.
V.		Decem in fixione.

SCito tamen mi Lepidissime Gulielme, oẽs prædictos motus, gradibus (vt supra) † † †. terminari debere.

Dierum autẽ erit summa suis coniunctorum horis. xxxvi.
Cribationes vero, id est, reiterationes septimo clauduntur numero. Vnde omnibus simul comprehensis, & aggregatis, pariterq; cum reiterationibus iunctis, Dies erunt. cclii.

DE CARBONVM PRO OPERIS COMPLEMENTO QVANTITATE.

Sed ne quidpiam omittere videamur, quoniam vt secundo Cæli, & Mundi inquit Philosophus: Paruus error in principio, Maximus est in fine. Propterea & de carbonum quantitate differendum esse censuimus, sine quibus prorsus aliquid recte agere non videtur artifex.

Summa igitur carbonum omnium, à diebus tribus ꝑ ipsorum corba, quæ Venetijs est eorum in vsu mensura erit corbarum. LXXXIIII. Et medicina libras comprehendet. lxiiii. Ac ipsius proiectionis vna supra centum.

DE MEDICINÆ REITERATIONE.

A Reiterationibus autẽ medicinæ vna cadet supra 1000. 10000. 100000. 1000000. 10000000. 100000000.

Nec non finaliter vna supra incomprehensibilem numerũ. Vnde per sæcula cuncta laudetur trinus, & vnus ineffabilis Deus. Qui tãtam nobis, & tibi (gratis) ad misericordiam largitus est gratiam.

DE PROPORTIONE ARGENTI PARITER ET AVRI.

QVoniam vt. xxxiiii. Lib. Capi. primo inquit Plinius, Quæstus gratia omnia exerceri cœpta sunt, quæ gloriæ causa prius amplecti solebant homines. Hinc nos qui prophanũ, & Ignarũ vulgus odio habemus, nec ipsius gloria tangimur. Quinimmo cũ Poeta nostro cãtamus, Procul absit gloria vulgi. Materiã hanc si literis mãdare decreuimus, vt tenue (vt aiunt) de tenui extrahatur, & præcipue à te Gulielme in omni scientiarũ genere vir doctissime. Qui nõ vt auarus ille Mida, aurũ colis, nec vt Dipsas ille crassus ipsum sitire videris. Sed ꝓpter bonarum artium oblectamenta, studiaq; totis viribus, die, noctuq; cõtinuis lucrubrationibus, sudoribus, sumtibusq; (vt proceres gentiũ claritatẽ quærentes olim facere solebant) minime parcere videris, ipsum auspicaris. Sed iam ad rem ipsam deuenientes dicimus, quod si Hesperidum mala absq; Draconis periculo colligere volueris, hac (me duce) semita progrediaris.

Acci-

Accipe igitur terræ albæ partem vnam. Aeris albi partes duas. Et de.224. partes tres.

Pistillo ferreo in Mortarioq; æreo in puluerem subtilissimũ, terram, & album ærum rediges.

Hominisq; posthac ipsum asperſum lotione cum 224. in bracteis redactũ: in terreo vase bene vitreato sepultũ siccabis.

Qvod postea suo cum operculo, paruo in ipsius cacumine facto foramine optime cum vulgari, simpliciq; argilla claudes, & inter carbones accensos, lignorumque flammam per horam vnam coques.

Deinde refrigerato, vase nouo in fictili inter carbones accensos iterum posito, materiam conflabis. aqua scobem donec clarescat corili virga extrahendo, in ferreo Aurifabrorum instrumento, ab ipso depones, infrigidatamq; seruabis.

Cvm autem opus aggredi volueris.

ERVCRA.	oz.	I.	
	q̃r.	II.	
	q̃r.	.I.	K .10. accipies.

Vnumq; post aliud in nouo fictili vase carbonibus accensis fundes, & realem argenteam mixturam habebis.

IN PROPORTIONE ARGENTI. SCHEMA.

ARGENTVM MINOR PERFECTVS.		ÆS MINOR IMPERFECTVS. I.
7.	.1008.	.1.
6.	.864.	.2.
5.	.720.	.3.
4.	.576.	.4.
3.	.432.	.5.
2.	.288.	.6.
1.	.44.	.7.

MIXTIO ARGENTI IN PROPORTIONE DIVISA.

ARGENTI NITIDI.	PROPORTIO.			RESPONDENTIA.	
K. 576.	K. .576.	oz.	iiii.		
612.	.540.		iiii.	q̃r.	i.
648.	.504.		iiii.	q̃r.	ii.
684.	.468.		iiii.	q̃r.	iii.
K. 720.	k.432.	oz.	v.		

Bona alteratio.	756.	.396.	v.	q̃r.	i.
	792.	.360	v.	q̃r.	ii.
	828.	.324.	v.	q̃r.	iii.
	K. 864.	k.288. o3.	vi.		
Bona alteratio.	900.	.252.	vi.	q̃r.	i.
	936.	.216.	vi.	q̃r.	ii.
	972.	.180.	vi.	q̃r.	iii.
	K.1008.	K.144. o3.	vii.		
Ligatura Veneta.	1024.	.182.	vii.	K.	16.
	1044.	.108.	vii.	q̃r.	i.
	1080.	.72.	vii.	q̃r.	ii.
Moneta	1092.	.60.	vii.	q̃r.	ii. k. 12.
	1116.	.36.	vi.	q̃r.	iii.
Cinericium.	1128.	.24.	vii.	q̃r.	iii. K. 12.

DE AVRO.

EAdem Doctissime Gulielme quæ de argento fieri supra diximus, de auro si ipsius quęris mixtionem taliter facienda esse.

SVmatur enim Aquæ marinæ pars vna. Ignis æthnæ duæ partes. Et de. 224.

In reliquis autem procedatur, vt supra dictũ est, Duobus tantum exceptis. Primo, ꝙ vbi in argento per horam vnam. In auro per Quatuor materia coquatur horas. Alterum est, quod frigefacto vase minime exigit talis mixtura fundi, nec in corpus reduci debere.

Igitur cum ligati auri opus aggredi volueris:

ERVARGA. o3. i.
q̃r , 2.
q̃r. : i.k.1õ.accipiantur.

Vnum post aliud simul fundatur, & in auri fabrorũ ferreo instrumẽto, totũ è vase eiectum, infrigidatumq; seruetur.

IN PROPORTIONE AVRI SCHE.

AVRVM MAIOR PERFECTVS.		ARGENTVM MINOR PERFECTVS.
11.	.22.	.1.
10.	.20.	2.
9.	.18.	.3.
8.	.16.	.4.
7.	14.	.5.
6.	.12.	.6.

5.

5.	.10.	7.
4.	.8.	.8.
3.	.6.	.9.
2.	.4.	.10.
1.	.2.	.11.

MIXTIO AVRI IN PROPORTIONE DIVISA.

AVRI FVLVI	PROPORTIO	RESPONDENTIA.	
k. 576.	k. 576.	k. xii. g.	
582.	.570.	xii. g. ξ.	
588.	.564.	xii. g. i.	
594.	.558.	xii. g. i. ξ.	
600.	.552.	xii. g. ii.	
606.	.546.	xii. g. ii. ξ.	
612.	.540.	xii. g. iii.	
618.	.534.	xii. g. iii. ξ.	
k. 624.	k 528.	k. xiii. g.	
630.	.522.	xiii. g ξ.	
636.	.516.	xiii. g. i.	
642.	.510.	xiii. g. i. ξ.	
648.	.504.	xiii. g. ii.	
654.	.498.	xiii. g. ii. ξ.	
660.	.492.	xiii. g. iii.	
666.	.486.	xiii. g. iii. ξ.	
k 672.	k. 480.	K. xiiii. g.	Bona alteratio.
678.	.474.	xiiii. g. ξ.	
684.	.468.	xiiii. g. i.	
690.	.462.	xiiii. g. i. ξ.	
696.	.456.	xiiii. g. ii.	
702.	.450.	xiiii. g. ii. ξ.	
708.	.444.	xiiii. g. iii.	
714.	.438.	xiiii. g. iii. ξ.	
K. 720.	K. 432.	K. xv. g.	
726.	.426.	xv. g. ξ.	
732.	.420.	xv. g. i.	
738.	.414.	xv. g. i. ξ.	
744.	.408.	xv. g. ii.	

	750.	.402.	xv. g. ii. ξ.
	756.	.496.	xv. g. iii.
	762.	.390.	xv. g. iii. ξ.
Ligatura Veneta.	K. 768.	K. 384.	K. xvi.
	774.	.378.	xvi. g. ξ.
	780.	.372.	xvi. g. i.
	786.	.366.	xvi. g. i. ξ.
	792.	.360.	xvi. g. ii.
	798.	.354.	xvi. g. ii. ξ.
	804.	.348.	xvi. g. iii. ξ.
	810.	.342.	xvi. g. iiii. ξ.
	K. 86.	K. 336.	K. xvii.
	822.	.330.	xvii. g. ξ
	828.	.324.	xvii. g. i.
	834.	.318.	xvii. g. i. ξ.
	840.	.312.	xvii. g. ii.
	846.	.306.	xvii. g. ii. ξ.
	852.	.300.	xvii. g. iii.
	858.	.294.	xvii. g. iii. ξ.
Bona alteratio.	K. 864.	k. 288.	K. xvii.g.
	860.	.282.	xviii. g ξ.
	876.	.276.	xviii. g. i.
	882.	.270.	xviii. g. i. ξ.
	888.	.264.	xviii. g. ii.
	894.	.258.	xviii. g. ii. ξ.
	900.	.252.	xviii. g. iii.
	906.	.246.	xviii. g. iii. ξ.
	K. 912	K. 240.	k. xix.
	918.	.234.	xix. g. ξ.
	924.	.228.	xix. g. i.
	630.	.222.	xix. g. i. ξ.
	936.	.216.	xix. g. ii.
	942.	.210.	xix. g. ii. ξ.
	948.	.204.	xix. g. iii.
	954.	.198.	xix. g. iii. ξ.
Bona alteratio.	k. 960.	K. 192.	K. xx.
	966.	.186.	xx. g. ξ.

972.	.180.	xx.	g.	i.	
978.	.174.	xx.	g.	i.	ξ.
984.	.168.	xx.	g.	ii.	
990.	.162.	xx.	g.	ii.	ξ.
996.	.156.	xx.	g.	iii.	
1002.	.150.	xx.	g.	iii.	ξ
k. 1008.	K. 144.	k. xxi.			
1014.	.138.	xxi.	g.	ξ.	
1020.	.132.	xxi.	g.	i.	
1026.	.126.	xxi.	g.	i.	ξ.
1032.	.120.	xxi.	g.	ii.	
1038.	.114.	xxi.	g.	ii.	ξ.
1044.	.108.	xxi.	g.	iii.	
1050.	.102.	xxi.	g.	iii.	ξ.
k. 1056.	K. 96.	k. xxii.			
1062.	.90.	xxii.	g.	ξ.	
1068.	.84.	xxii.	g.	i.	
1074.	.78.	xxii.	g.	i.	ξ.
1080.	.72.	xxii.	g.	ii.	
1086.	.66.	xxii.	g.	ii.	ξ.
1092.	.60.	xxii.	g.	iii.	
1098.	.54.	xxii.	g.	iii.	ξ
K. 1104.	k. 48.	k xxiii.	g.		
1110.	.42.	xxiii.	g.	ξ.	
1116.	.36.	xxiii.	g.	i.	
1122.	.30.	xxiii.	g.	i.	ξ
1128.	.24.	xxiii.	g.	ii.	
1134.	.18.	xxiii.	g.	ii.	ξ.
1140.	.12.	xxiii.	g.	iii.	
1146.	.6.	xxiii.	g.	iii.	ξ

Bona alteratio.

HAs itaque metallorum mixturas, & proportiones pro faciliori, ac clariori operis magisterio adiunximus, vt omnibus in votis tuis nos morem gessisse videremur. Vale igitur Gulielme nobilissime nostri memor, qui omnium es virtutum Decus, & Ornamentum.

ANDREÆ GRITI ILLVSTRISS. VENETORVM PRINCIPI, IOANnes Augustinus Pantheus Venetus sacerdos, Imperium felix, ac diuturnum.

SVMMVS ille opifex rerum, cuius sapientiæ non est terminus, omnipotentia sua, hominem homini conciliat ad vitæ societatem. Hæc autem societas & congregatio, Ciuitas, & Respublica nuncupatur. Ciuitas autem omnis etsi naturali, communique totius populi consensu, & Iustitiæ robore conflетur & conseruetur: Venetorum tamen CIVITAS SANCTA, præcipua quadam diuini numinis prouidentia, ex multarum circumquaque vrbium optimatibus, sæuitiam & immanitatem Atilæ totam tunc deuastantis Italiam, confugientibus (ceu quondam per arcam Noe à diluuio paucis seruatis) primum hunc in locum, vt infra (Anno Christi Iesu primo & vigesimo supra quadringentesimum, octauo Calendas Aprilis: in hora & in angulo meridiei) sita est & congregata. Deinde quanquam varijs bellorum turbinibus agitata sit sæpius ac vexata: diuina tamen ope semper adiuta, tantum creuit, vt & omnium aliarum Rerumpublicarum (quæcumque fama celebrentur) nullius prorsus indigeat. Nam dici non potest quam rectis sapientissimorum Principum consilijs, quam fortibus factis, quam sanctis Patrum institutis fundata, indies melius ac felicius propagata fuerit. Quum ergo dominus æternus vniuersalis supernus, per quem Reges regnant, & Principes imperant: Te Serenissime, Inuictissimeque Princeps, post multas Legationes, & præclaros Magistratus sapienter exactos: post illustre simul & felix Veneti exercitus imperium & moderamen: demumque post varios maris ac terræ labores, & libenter susceptos, & gloriose superatos: huic optimæ Reipublicæ Principem, Moderatorem, patriæque Partem merito præfecerit: vt vnus esses, qui populum Venetum, & subditas Ciuitates, in tanto bellorum tumultu, tanta famis, pestisque miseria nonnihil titubantes, tua prudentia, tuaque animi magnitudine: veluti Hercules cælum non

Ber. Iustiniani de origine vrbis Venetorum in principio. c. Sita erat riualta.

non solummodo susciperes, & consolareris: verum etiam tuereris, & conseruares. Quis igitur tam impos mentis extiterit: qui non Te merito cunctis verum Patrem, & Defensorem prædicet? non instar excelsi Numinis veneretur. Quum præsertim Is sis, qui subuenias omnibus, omnibus posis, omnium commodo consulas, & saluti. Nam quis nesciat bonum Principem non tantum sibi, sed suæ Reipublicæ, suis Ciuibus, suis denique Populis natum esse? Dum seditiosos, ac discordes opprimit: superbos, ac rebelles castigat: humiles, & studiosos erigit, ac extollit. Nam profecto societatis humanæ vinculum solueretur, nisi Præses aliquis adesset: cuius opera, studio, & auctoritate, prauorum audacia reprimeretur: bonorum innocentia conseruaretur: studiosorum ingenia congruis virtuti præmijs allicerentur, & fouerentur: ac vitæ, & honoris præsidia subministrarentur. Pulcrum est enim hominem cæteris præstare: Ingenuis autem, & illustribus præesse: at quis nō pulcrius censeat & laudabilius, posse multos efficere felices? Quæ (sane) potestas summis laudibus est efferenda, quoniam Serenissime Princeps tibi non fortuna, sed virtute extitit comparata. Ad te Pantheus amplitudinis tuæ obseruantissimus confugit: ac supplex tuum Numen inuocat, obsecratque, vt & se, & suum hoc opusculum de transmutatione, purificatione, multiplicatione, & proportione Argenti, pariter & Auri Voarchadumia contra Alchemiam nuucupatum: tuo hilari, sereno que vultu suscipias, & tueare: ac (quo soles Clientuli cuiusque tui monumenta) præsidio prosequaris. Vale.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET D.D. ALTOBELLO AVEROLDO, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopo Polen. Sanctissimiq; D.N. Papæ Referen. ac per totá ditionem Venetam, cum potestate Legati Cardinalis de latere, Legato digniss. Ioannes Augustinus Pantheus Venetus sacerdos, perennem felicitatem.

IAmdiu Voarchadumiæ nostræ (contra Alchemiam, via, & ratione ab Alchemia, & Sophia, diuersæ) fœtus in lucem emersisset (Præsul Reuerendiss.) nisi Genius quidam talibus verbis, assidue increpans, ab incepto detetruisset. Pantheu? Quis te furor agit? Qua tibi audacia tantum arrogas? Vt implumem adhuc Auiculam nido abigas? Cui tantum abest, vt vires suppetant ad volatum: quo ne pedibus quidẽ tuto possit incedere? Quis hoc de te Pantheu suspicetur? Vt quo plura se impedimenta obijciunt, eo impensius hunc tuum fœtum emittere festines? Et quod est magis absurdum: non Italiam modo, sed vniuersum terrarum orbem, velis eum peragrare? Ac insuper (ꝙ præter animi tui sententiam est) ANDREAM GRITVM Radiantissimum Venetæ Reipub. sidus, à cuius auspicatissimo Nutu, ac renutu, vniuersus imperij status penden: audeas incaute interpellare? Vide (quæso) quid agas. Ille maioribus negocijs est implicitus: quam vt cuiusquam verbis possit vacare. Et nisi lectore digna attuleris, futurum sine dubio est, vt vnde gratiam speras: inde contemtũ, & odiũ referas. Meum itaq; consilium (nec fortasse imperiũ) hoc est, vel impotentem adhuc fœtum hunc tantisper educandum, donec potentior, & longe gratior prodire possit: vel si prorsus edendum putas, ita exornare contendas, vt non turpis saltem videatur. His ergo monitis, sæpissime castigatus addubitaui (fateor) aliquandiu, ne nimius patris indulgentissimi amor, rectum iudicium falleret. Idcirco duos consului Censores, qui totum rursus opus, terque, quaterque ab initio ad finem vsque reuoluerent, explorarent, ac diligenter perpenderent. Discussis autem singulis quibusque, nihil in toto opere deprehensum est, quod

addi

addi, vel detrahi, vel mutari debere videretur. Namque opus suis perfectum asserebant proportionibus: Partes vniuersas conuenire, insigni forma præstare, vegetum corpus esse, succiplenum, assiduo, ac diuturno labore firmatum: vt nullius critici iudicium exhorescat: vnum duntaxat exceptum est: venusta scilicet oris elegantia: cum tamen eam nos volentes, scientesque dicendi magistris reliquerimus, contenti verborum simplicitate: vt illis verba, non sententiæ verbis ambitiosius inseruirent. In quo (nisi me iudicium fallit) humillimus, sacrarū literarū stylus, in quo diutius versati sumus, hanc nostri sermonis negligentiam fouet, tueturque, vulgatis sæpius & vsitatis, quam elegantibus, & exquisitis verbis vtens, quod nihil ineptius habeatur, quā in quæstione veritatis cognoscendæ, de verborum ornatu esse solicitum. Fides auctoris non temere solet esse suspecta: vbi insolentes vocum illecebræ affectātur. Qui flores pluris fructibus faciunt, non immerito (tanquam inanes) à grauioribus viris reijciuntur. Nos haud quaquam populi plausum quæritamus, satis habemus ac super, si pauci silentes introspiciant, & aliquid tanquam stupidi, vel è penitissimis naturæ penetralibus, vel è remotissimis cæli adytis erutum admirentur. Reliquos vero, ceu indignos, & nostrorum conceptuum ignaros paruipendimus, siue rudi ingenio, seu humili sermone inculti censeamur: Cum hoc, vel imprimis gloriosum nobis futurum arbitremur, si hæc (qualicunque sint) imperitiori multitudini displicuerint. Nec enim dicendi tantum gratia, leposue, sapiētem hominem reddit: Quin hoc etiam dedita opera facimus: vt celata veritate sub amariori cortice locutionis vulgus ignarum, à tantarum rerum lectione absterreatur: quemadmodum Voarchadumici, Archicanopique consueuere, qui Argentum, & Aurum oleis, vel aquis occultant: quo videntes non videant, & intelligentes non percipiant. Circumspecti negociatores in Fionis, non superficiem, sed clausam substantiam inquirunt. Hic etiā non de artificioso verborum ambitu, sed de rebus serijs palma quæritur, eo perennior quod ea premuntur, quæ non in Gemmis, vel in aere, sed in Auro, vel potius in sempiternis mentibus cudenda sint. Quippe quæ cognita, & seruata, vere beatum hominem reddant, si rebus agēdis nauiter det operam: nō si omniū linguarum venustate tantū fuerit imbutus. Non equidē hac re putamus

mus gloriandum, quod meram (licet incomptam) veritatem Cabalisticis metallorum gratiorem videamus fore: quam si eadem figmentis eloquentiæ, & vano coloris velamine in publicum peruenisset. Cum litera occidat, spiritus autem viuificet. Sed si hæc vera essent (fortasse) quippiam contra nos merito dici possent, vnde Aduocati, atque Ducis auxilium implorandum est: cuius patrocinio quacunque libeat ingredi liber aditus pateat. Atque ne diutius immoremur, en Altobellus Aueroldus, nobilis Brixianus, Dei, & Apostolicæ sedis gratia, Polen. Episcopus, propontifex optimus. En vltro omnibus mysticæ philosophiæ candidatis patronus: cuius auspicio, & auctoritate, si libellus hic æditus fuerit, cum apud omnes alios terrarum Dominos, tum præcipue apud Venetorum ducem serenissimum, pientissimumque Senatum, sine vllo metu reprehensionis, victor volitare poterit. Hic Reuerendissimus Antistes, vt antiquissimam gentis Aueroldæ nobilitatem, vt amplissimã totius coporis dignitatẽ prætermittamus, qua sic eminet, vt, vel procul intuenti terrenum Numen, non hominem præ se ferat, diuino est ingenio, & ad promerendam semper nouam gratiam comparato. Incredibili morum suauitate, ad hæc obuia, atq; expetita omnib. comitate: qua fit, vt quocunq; se vertat, omnia protinus hilarescant. Quo certior spes, maiorque fiducia est nobis proposita impetrandi: quod oramus. Oramus autem, Reuerendissime Pater, vt quanto longe, lateque tua sacrosancta pollet auctoritas, opus hoc nostrum (in lucem ædendum) in tutelam recipias, quo præsidio tuo munitum, tutius in doctissimorum Virorũ manus veniat. Est enim nobis iampridem exploratum, quod si tuo quoque suffragio, tuoque fauore, ac numine comprobatum fuerit, extra omnem aleam positum, ab omnique securũ inuidia per vniuersum terrarum orbem volitabit. Quod si tua benignitate acciderit, Pantheus amplitudinis tuæ obseruantissimus, quicquid animi, corporisque viribus pollet, quoad vixerit, tibi deditissimum fore pollicetur. Vale.

VOAR-

VOARCHADVMIA CONTRA ALCHEMIAM ARS DISTINCTA AB ARCHEMIA, ET SOPHIA: CVM ADDITIONIBVS, PROPORTIONIBVS: NVMERIS, & Figuris opportunis, Ioannis Augustini Panthei Veneti sacerdotis.

AVCTORIS INTENTIO DE VOARCHADUMICA professione, contra Alchemiam, arte distincta ab Archimia, & Sophia.



FACILE plerosque admiraturos opinamur, lector humanissime, perlegentes opus hoc Voarchadumia nuncupatum, contra Alchemiam æditum: & non parum ab Archimia, & Sophia seiunctum. Qui (sane) quum æquo animo singula ipso contenti revoluerint, eos (profecto) à lectione huius operis minime animum suum alienaturos putamus. Qua de re nos à ratione alienum fore nequaquam duximus in principio istius voluminis: cur nobis id euenerit appellasse, palam facere studiosis. Illa præsertim de causa quod non solum innumeras (vt ita dicam) gentes maxime philosophiæ expertes sed etiam viros amplissimis & honore, & dignitate præstantes, intuemur non parum desiderare naturæ penetralia perscrutari: qui circa præcipuas Argenti, & Auri transmutationes, purificationes, multiplicationes, & proportiones, nullis parcentes expensis, nullisque laboribus, & vigilijs, die, noctuque operam impēdunt: ac circa eam rem versari videntur vel ipso lucrandi desiderio ducti: vel cognoscendi potius occasione allecti, ac ita rimantur secretiora naturæ mysteria. De quibus equidem quid hac in re verius asserendum censeamus iuxta peritiorum semitā, breuibus, annuente domino æterno omnipotēti, aperiemus.

Quadrifaria transmutatio metallorum.

Dicimus enim omnes metallicarum transmutationum artifices: Quadrifariam versari posse, ac laborare.

Primus modus. Sophisticatio.

Primo (sane) modo, luminaria scilicet Argentū, & Aurum fingendo: hoc est in multis tincturarum generibus & sophisticationum speciebus imperfectiora metalla colorando, ipsaque alterando: propria tamen ipsorū essentia, substantiaque remanente.

Archimia quid.

Ab Hever non autē ab Habraam.

nente. Quam professionem communi omnium consensu Alchemiam (ab Alchemo dicta: quæ profecto ex Hebraica dictione interpretata fermentum vani consilij interponitur) vocamus. Quæ quum nullam habeat veram Argenti, aut Auri existentiam, sed prorsus inanem, ac falsam apparentiam: merito est (vti infra monstrabimus tam rationibus, quam auctoritatib.) damnata, & damnanda, penitusq; de medio tollenda.

Secundus modus. Transmutatio. Alchemia quid.

Secundo autem modo, plerique etiam viri boni & primates, vbique locorum laborant, sperantes Elixiria quædā posse conficere ex varijs (vt putant) materijs: illaq; in tantum vigoris, & subtilitatis apicem deducere: vt facta super quovis metallo illius Medicinæ proiectione, mox in argentum purum, vel Aurum fuluum transmutetur: & hoc fere in infinitum. Hanc autem metallicam professionem (& si non dicam vane speratam, sed diuina potius assequendam gratia) vocant Archimiam: quasi vnitatis, & vnius veri consilij Principem. De qua (sane) admirabili trāsmutatione plurima tam priscorum, quam neotericorum volumina passim circumferuntur: Tubalchiam scilicet Hermetis, Geberi, Alphidij, Auicenæ, Turbæ, Hortulani, Rosini, Alberti, Arnaldi, Raymundi, Mariæ prophetissæ, Morieni, Christophori Parisiensis; aliorumque quam plurimorum Arabum, Chaldæorum, Græcorum, Hebræorum, Indorum, & Latinorum. Ex quorum lectionibus, additionibus, contradictionibus, figuris, lineis, literis, metaphoris, notis, prophetijs, punctis, similitudinibus, syncopis, synonymis, atque ænigmaticis codicibus: nunquid possibilis hæc transmutatio sit hucusque inuenta, vel inueniendi spes indies augeatur, modo in re quam satis facile cognoscimus. At potius illud Philosophi adagium in mentem venit asserentis in Categorijs: Si circuli quadratura est scibilis, nondum tamen est scita. Illorum veruntamen asseclas quum veram luminarium formam sophisticis abiectis assequi pertentent, nulla (sane) ignorantiæ nota culpandos, sed laudibus efferendos existimamus tanquam naturæ arcanorum indagatores. Quorum plerique si tantum opus consequi non potuerunt, admirandas attamen operationes, & artes (experientia teste) adinuenerunt: vt videre licet de vitro Crystallum, de coloribus purpurinam, de metallis Auricalcum, & huiusmodi, vt infra: ac in voluminibus tam nostris, quam alienis de Mineralibus, Coloribus, Lapidibus, Vitris, Gemmis, & metallis pertracta-

tractatum est. Illud attamē artis huius arcanum minime prætereundum fore censuimus: quatenus Archimiæ peritiores dicant facilem ex Argento, & Auro transmutationem fieri posse: imo monstrare possunt extracto quopiā luminarium Sulphure: quod argenti, vel auri Lapidem, Medicinam, Puluerem, Terram, Vnguentum, Caput corui, Elixir, vel Quintam essentiā dicunt ꝙ (sane) cognitu dignū est, & visu mirabile, quamvis lucrandi facultas (sine suo Corpore, id est, absq; reductione ad primam Materiā artis) nulla emergat operanti, sed (vix) tanta est Argenti, & Auri, redundandi potentia, & copia, resultans ex proiectione illius Quintæ essentiæ, quantum extiterit Argentum & Aurum primum detextum. Verum enimvero plerique transmutationis huiusmodi admiratione adeo excitati fuerunt, vt magis facile crediderint per vlteriorem Quintæ essentiæ illius subtiliationem, & supperadditam perfectionem, & virtutem conficiendum esse vigorosum illud Elixir, pro tollenda transmutatione (licet perperam) in infinitum. Sed hæc missa faciamus hactenus, quoniam longiorem videtur expostulare sermonem, de quibus (profecto) alias fauente Domino æterno omnipotente pertractabimus.

Tertio insuper modo, versari possunt artifices, quo ad potissimam Auri purificationem (quæ Voarchadumia est, ars, scilicet, Auri duarum cæmentationum perfectarum) tria peculiariter operantes, quæ maximum præstant Dominis, & Mercatoribus emolumentum. *Tertius modus- Purificatio. Voarchadumia quid.*

Primum, sane, maiorem Auri portionem ex cæmentatione extrahendo. *Tria emolumenra Voarchadumiæ.*

Secundum magis Aurum depurando.

Tertium denique, paucioribus cæmentationibus, & expensis, Aurum perficiendo, cuius oppositum plerisque accidere solet artificibus, qui magnis lignorum cæmentationibus, & expensis, ac minori Auri depurantia, redundantiaque laborant. *Primum. Secundū. Tertium.*

Postremo vero modo versari possunt artifices quo ad verā multiplicationem, quā multiplicandi Argenti, Auriq;, ac cæterorum metallorum facultatem (cum interiorib. Animæ, vel exterioribus metallorū) sub auctione Sophiæ (quæ Sapientia, & Voluntas est dominorum) collocandam fore existimamus. Quam etsi vel difficilem, licet possibilem, vel mediocris esse *Quartus modus. Multiplicatio. Sophia quid.*

emolu-

emolumenti, plerique in dies experiantur, non desunt attamen, qui eam facere amplissimam sperent, ac polliceantur.

Hanc autem, vt supra, arcanam purificationis Auri professionem merito Voarchadumiam appellandam fore censuimus, Alchemiæ facultati penitus contrariantem. Quandoquidem nulla sit Argenti, vel Auri existentia in Alchemia, in hac autem sunt luminaria in esse perfectissimo. Hancque ab Archimia, & Sophia non ab re seiunximus, quoniam Voarchadumiæ, & auri Sophiæ operatio, verius ac facilius ad effectum deducitur: Archimiæ vero maior est promissio, quam operis executio.

Ex ijs igitur quisque facile conijciet, qua de causa opus hoc Voarchadumicum contra Alchemiam exegimus, ipsumque ab Archimia, & Sophia distinximus. Nosque operis intentionem breuibus iam explicuisse, nemo succensere debet, neque lectione huius operis minime perterreri, sed secretiora Naturæ mysteria operis huius adiumento suscepto perscrutari, facilius & efficacius poterit, & sophismata Alchemistarum falsariorumque obtectas tendiculas præcauere. Quibus non parum doloris, pariter & damni, futurum existimamus hoc nostrum opusculum in lucem emersisse, cum per illud huiusmodi detestandorum falsariorum fraudes, deceptiones, & velamenta detegantur. A quibus in posterum viris sanæ mentis ex nostri huiusmodi operis admonitione, erit abstinendum.

PORTIO PRIMA.

Quo potiori: & magis consentaneo vocabulo purificationis Auri facultas appellari debeat. Caput primum.

QVoniam omnis doctrinæ & disciplinæ traditio, iuxta Peripateticorum semitam, a quæstione quid nominis, priusquam ab ea quæ quid rei dicitur, exordium capere debet, veluti præuia scibilium dispositione intellectus, qua professionis illius apex facilius pertingatur, nequaquam, candidissime lector, illud à ratione alienũ fore existimamus hoc primum ostendere, quo potiori vel aptiori vocabulo arcanã purificationis Auri facultatem liceat appellare, & an verbum illud Alchemia, an id potius Voarchadumia ei magis cõgruere putandũ sit. Neq; profecto vocem illam Voarchadumia te adeo latere arbitramur, vt & ipsam nullius esse rei significatiuam

uam putes. Quandoquidem hac in nostra tempestate studiosorum solertia in lucem venerit ac publicam noticiam Chaldæa professio, qua diebus nostris facile patuit, quod antehac plerosque latuit artis, scilicet purificationis Auri duarum cæmentationum perfectarum Inquisitores post ipsum, vt aiunt, Tubalchaim primum ipsius Auctorem Chaldæos aut Indos potius extitisse. Quam alias Cælestem disciplinam vocarunt, Solino, Strabone, Plinioque testibus, ac Ioanne Pico Mirandulæ comite. Neque ambigere quispiam debet cur ipsius Auctores tam præclaræ metallorum professioni ita abstrusum indiderint vocabulum, hoc est Voarchadumia, quæ vox equidem est aptissima, omnique laude dignissima. Non autem Alchemia, vt infra: ipsa arte existente imperfecta: illiberali: nulla virtute prædita: neque occultæ sapientiæ participe, sed auara, non necessaria, falsissima, illicita, vana, neque aliquo pacto addiscenda, aut perquirenda. Imo adultera est operatio, mistura & tinctura sophistica, apparens equidem, sed non existens, infamis, execrabilis, explosa, & merito damnata, quã prorsus & nos culpamus, execramur, simulque cum extrauagante Ioannis. xxij. quę incipit, Spondent, quas non exhibent diuitias, pauperes Alchemistæ. Nec non cum diui Imperatoris Constantini semper Augusti constitutione incipiente, Quoniam nonnulli monetarij adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercent, sub Titulo Codicis, de falsa moneta. Et qua constitutione tales adulteratores, capitali supplicio plectũtur. Ac cum parte Consilij. x. Venetorum contra Alchemicos, cum additione incipiẽte, Tollenda sunt de medio, in sectamur. Neq; ipsam ab Archos, & Mia Græcis particulis, vt nonnulli putãt, habere deriuationem affirmamus, quod significat Princeps, vnius seu verius, veri cõsilij vnitatis. Sed iam ad verbum ipsum Voarchadumia deuenientes, dicimus ipsum deriuari, ac denominari ab Auro ex duab. rubeis, quod Chaldæo idiomate componitur ab Voarh, Auro, particula Indica primitiua, & Mea à adumot Hebraice, ex duabus rubeis, quod Latine significat Aurum duarum rubearum, hoc est duarum cæmentationum perfectarum. Quæ quidem partes simul iunctæ conficiunt dictionem hanc Voarch mea à adumot, quæ maximam huius artis proprietatem exprimit & efficaciam. Nequaquam vero vocabulum illud Alchemia in hac admirabili professione consentaneum fore existimamus. Sed forte

Inquisitores Voarchadumiæ.

Pars Consilii. x. Venetorum. 1488. 17. Decemb. cum additione.

Deriuatio Voarchadumiæ, & quid nominis.

Obiectio.

Solutio. forte nobis quispiam ita obijciet, Vndecumque verbum hoc deriuetur Voarchadumia, parum refert. Cui dicimus hoc referre plurimum, imo totum, vt mox patere vel intuitu poterit. At si vltro cauillator obstabit inquiens, Et quid tandem? Cum pateat Voarchaumenam artem fore illiberalem, auaram, turpilucram, minimeque necessariam, impossibilem, nec perquirendam vt superius dixisti. At quippe ita cauillose obijcientem errare plurimum censemus, nostramque purificationis, Auri duarũ rubearum professionem esse Voarchaumenam penitus abnegamus, longeque abinuicem distare putamus Voarchaumenam & voarchadumiam. Quamobrem summopere fallitur cauillator ob ipsam vocabulorum æquiuocationem. Idque memoria repetentes Poeticum facile recensebimus. Ne nobis impedimento sitis per Deum hospites, quandoquidem supra satis monstratum est laudabilem esse Voarchadumiam: minime vero Voarchaumenam. Absitque ab hac arcana professione omnis vocabulorum abusio, veluti plerique indies implicari solent, ac decipi, arbitrantes idem varijs significari posse dictionibus. Ac propterea arbitramur hanc mirabilem facultatem vocari posse multifariam iuxta eiusdem diuersos, ac penitus varios effectus, puta Alchemiã, Chemiam, Calcimiam, Calcecumiam, Voarchaumenam, & Voarchadumiam. Quoniam horum omnium nouissimum æquo animo suscipimus & approbamus, idque merito significare artem liberalem, virtute præditam: Naturæ consentaneam, occultæ sapientiæ, non auaram, non vanam, possibilem, verissimã n, & necessariam, oris que ingenij viribus addiscendam, & perquirendam. Reliqua vero tanquam prorsus illicitam artem significantia & falsam detestamur, illo præsertim argumẽto, quam æquissimo Illustrissimi consilij Decemvirum decreto: Constantinique imperatoris semper Augusti constitutione, ac extrauaganti Ioannis xxij. vt supra prohibetur. Si quispiam de Alchemia laborauerit, in cõsilij Decemuirum pœnas incurrens coerceatur. Ex dictis igitur patere potest, quo potiori vocabulo arcanam hanc purificationis, Auri duarum cæmentationum perfectarum facultatem appellare merito quisq; debeat.

Voarchadumia quid rei, & cui competat.

CAPVT SECVNDVM.

Prima dif- EX supradictis ergo iam patere arbitramur, lector peritissime,

me; quid primum ipsa sit, quandoquidem Voarchadumia est ars liberalis, virtute prædita sapientiæ occultæ, nō auara, non vana, possibilis verissima, necessaria, & consequenter perquirenda, quæ metallorum Cabala nuncupatur: Vaticiniumque, ac Nota. Idcirco non generaliter omnibus conuenire dicitur: sed specialiter tantum vnctis, Rerumque dominis, ac sapientibus, & viris dignis, liberalibus, morigeratisque, ratione libertatis.

finitio Voarchadumiæ & quid rei.

Cui competat Voarchadumia.

SEcundo ea est tanquam regimen quoddam cælatum & secretum, quod per manus tantum traditur filijs sapientum sub luce (licet vulgo tenebris obuolutum) dispositionem, illuminationem, conuersionem, constrictionem, retentionem, metallificationem, purificationem, multiplicationem, & proportionem, demonstrans naturalium ligaminum absconsi & abscondentis, animæ & corporis, densi, & rari, diuini & humani, formæ & materiæ, fixi & volatilis, interioris & exterioris, metalli & petræ, mollis & duri, occulti & manifesti, puri & & misti, artificio quodam mediante à domino æterno omnipotente instituto, sub Igne, Aere, Aqua, & Terra, vel magno arcano harum quatuor literarum, Lamed, Kuph, Cadic, & Samech, quæ in Voarchadumia idem significant quod Zain, Nun, Mem, & Iod, quarum caracteres in quadruplici differentia apud Hebræos habentur. Nouissimi autem, & Visuales sunt ij (de quibus paulo infra Schemata patebunt) qui in Voarchadumia idem significant, quod Aurum creatum ex Natura elementari, id est in visceribus terræ, purificatumque ob artificium Diuisionis, & Cæmentationis, ac Hebraice sic denominatum, Zahay niura mi Teuahiesodij:

Secunda diffinitio Voarchadumiæ, & quid rei.

Schema

Schema literarum ad Voarchadumiam pertinentium.

Quarti caracteres literarum Voarchadumicarum.

Letter	Name	Value
א	Aleph.	A. e. i. o. u.
ב	Beth.	B.
ג	Gimel.	G.
ד	Daleth.	D.
ה	He.	H.
ו	Vau.	V.
ז	Zain.	Z.
ח	Cheth.	Ch.
ט	Teth.	T.
י	Iod.	I.
כ ך	Caph.	C. & ch.
ל	Lamed.	L.
מ ם	Mem.	M.
נ ן	Nun.	N.
ס	Samech.	S.
ע	Ahin.	Ah.
פ	Pe.	P.
פ	Phe.	Ph.
צ	Cadic.	C.
ק	Kuph.	K. & c.
ר	Res.	R.
ש	Sin.	S. sch, & ſſ.
ת	Tau.	T. & th.

Tertij caracteres literarum vt supra.

א	A. o. u.
ב	B. e. i.
ג	G.
ד	D.
ה	H.
ו	V.
ז	Z.
ח	Ch.
ט	T.
י	I.
כ	C. & ch.
ל	L.
מ	M.
נ	N.
ס	S.
צ	Ah.
פ	P. & ph.
ע	O.
ק	K. & c.
ר	R.
ש	S. sch, & ss.
ת	T. & th.

Concessi enim fuere supradicti characteres Moysi in monte Synai à Domino æterno omnipotenti.

Secundi vero in transitu fluuij subscripti: Abrahæ concessi.

Secundi characteres literarũ vt sup.

A. B. G. D. H. V. Z. Ch. T.

I. C. & ch. L. M. N. S. Ah. P. & ph. C.

K. & c. R. S. sch, & ss. T. & th.

Anti-


Antiquiores autem hi: & concessi Enoch.

th ph ch Z Y X V T

S R Q P O N M L K

Primi characteres literarum vt supra.

I H G F E D C B A



Tertio ea est ars veræ Auri subministrans substantiam, virtutem metallicam extractiuam in se continentem. Exponensq; quomodo eius forma intrinseca fixa, non deficiens, nec vrens, naturaliterque tincta crocea, & (ne pateat) impedita a quodam misto elementari impertinente metallo Auri, quæ educit ad perfectionem (artificio mediante) ex manifesta Materia extrinseca volatili, vstibili, deficiente, adhærente ipsi Auro vniuersaliter vnita.

Tertia diffinitio Voarchadumiæ, & quid rei.

Proprietates formæ Auri.

Postremo ea est naturalis substantia onerosa, corporalis, fixa, fusilis, ductilis, tinctaq; & rarificata occulta Arg. viui & Sulphuris metallici inustibilis, quodã regimine Cæmenti & vnitate quadam Auri, in corpus densum ipsius Auri mani-

Quarta diffinitio Voarchadumiæ, & quid rei.

 festum

Quid efficiat Voarchadumia festum redacta. Quæ mistum relaxat (virtute ignis, & cæmenti) sua vniformi potentia. Et ipsum Aurum (diuisum ad terminatam purificationem) in Adumota á, quod est Bethadumot, quæ sunt rubeæ duæ, scilicet, duæ cæmentationes perfectæ, ad molliciem, fulgoremque bonitatis; vt dicitur XXIV. se deducit.

Quibus innitatur Alchemia Hoc autem non efficit ars illa Alchemica infamis Aquis aceti; necvt dicitur Arg. viui, nitri, vini, aut vrinæ, & alijs quibuscunque Menstruis similium feculentorum, cum aquarum fortium spiritibus, & multiplici calcium, ac metallorum Fumo, Antimoniorumque, Arsenicorum, Calcantium, Crocorum, Ferreti Hispani, Floris æris, Gummarum, Litargyriorum, Marcasitarum, Magnetum, Metallinarum, Talcorum, ac Zelaminarum, Necnon oleis latericijs, lini, nitri, sublimati, sulphurisque, cinnabaris, craneis; necnon cum Terris tinctis, ac realgallibus, Cælidonis, Lunarijs, Argentinis, succisue Gariofilatę, herbarumque aliarum, ac tutijs, dirisque venenis, in nescio quibus etiam frangibilibus Francisc. Petrarc. dia. iij. Vasis vitreis fantasticis, ad hoc falsissimis instrumentis, Regimine quodam vario, incerto, atque confuso, materijs varijs projectis super Argentum purum, vt dicitur fixum metallaque adustibilia, & obscura sophisticando, ac cuiusque metalli materiam maiori imperfectione volatili nigri, & adustibili onerando: frustra, atque inani prorsus reductione circa ea laborant.

Cur igitur Voarchadumia sit ars liberalis virtute prædicta, sapientiæ occultæ, non auara, non vana, necessaria, possibilis, verissima, & scita, ac summo studio addiscenda & perquirenda: patet iam ex prædictis omnibus ratio, & diffinitio.

Quomodo fiat ipsa Voarchadumia. CAP. III.

Cõfectio Voarchadumiæ. Laminarum Auri proportionati (vt infra) & Salis triti ana: mesura vna capiatur. Argillæ deustæ, pinsitæque tenuiter duæ.

Cribro taminentur Sal, scilicet & Argilla. Mistisque ad stratum super stratum, in Ollis non vitreatis, ac Furno reuerberationis, cæmententur.

Notandũ. Notandum est autem, quod omnis cæmentatio (id est Rubea, Hebraice Aduma) requirit pro singulis vicibus horas

ras XXIV: ignis. Nempe nouem in augmentatione, nouẽ in fixatione, & ſex demum in alteratione.

Rurſus omnis Cæmentatio incipere debet à proportione diuiſa Charattorum viginti trium & Granorum trium cum duobus Quartis grani Auri fului. Ac pro qualibet vice detrahit ipſa Cæmentatio ab illa proportionata diuiſione tantum medium Grani ipſius proportionis, nec vltra. Nec ab Auro vllatenus illum detrahere dici poteſt (quicquid dicant cæteri) cum & Aurum ipſum inannihilabile omni ſuperfluitate carens perfectiſſimum omnino, ac terminatiſſimum ſit omnium aliorum metallorum aduſtibilium: & ſubſtantia iubilans, ac ſubſiſtens in igne: quæ nec à Cęmento corrumpitur, nec à re qualibet comburente comburitur, nec ab aqua colorificante, viridi, aut diuidente mortificatur: vel deuoratur. Quid enim in Auro fuluo ſuperfluum eſt, vel diminutũ? Certe nihil. Quod ſi ineſſet (quod prorinus negatur) diminutio ſubſtantię, vel ſuperfluitas (vt eſt in ferro, & cæteris alijs aduſtibilibus metallis: quorum naturales mixtiones maximam retinent aduſtibilem ſuperfluitatem) maximum ſequeretur inconueniens omni velamine denudandũ: quod ſcilicet per vices totum detrahi, & annihilari poſſet: quod eſt abſurdum dicere, & in facto veraciter falſum. Quia Aurum fuluum euaneſcere non debet, pro vt non poteſt: quemadmodum cæteris alijs aduſtibilibus accidit metallis: immo hoc phantaſma abſit à mente philoſophantiũ: quod Aurum fuluum aliquo pacto poſſit annihilari. Notandum. Quæſtio. Solutio.

Item ſciendũ, quod omnis cæmentatio vehementer grauitate facit ipſum Aurum, reſpectu illius Salis ingredientis per fuſionem ignis, quod calidum eſt, & ſiccum (vt notum eſt) per poros apertos Auri ob caliditatem, & ſiccitatem ipſius ignis: & nunquam tollitur ab eo per cõtrarium, id eſt, per humiditatem, & frigiditatem ſuæ elementaris aquę non aperientis poros iam à Sale inebriatos: per ablutionem, & bullitionem ipſius aquæ, quæ (licet ſuperflue) tamen conceditur. Notandum.

Aduertendum eſt igitur, quod non recipiatur tale Aurum pro ſufficienti reſpondente: niſi prius poſt Cæmentationem ipſam (de qua ſtatim hic talis eſt fornax) habita fuerit idonea cautio de optima fuſione: vt Sal cum ſcobibus lopæ in ipſa fuſione penitus ſupernatantibus remoueatur ab Auro. Notandũ

Mistio in radicibus unitatis septuagesimi secundi Voarchadumicorum elementorum.

CAP. IV.

O . 14 . Lux minor: Insertio respondentiæ Charattorum. xij. g. q;. 1. in circa: seu xxiij g. q;. 1. & dimid. in circa.
S . 18 . Ignis, id est, Lux maior.
I . 9 . Commerrison.
R . 17 . Aer, id est, Lux minor.
O . 14 . Lux maior.

72 .

N . 13 . Oleum vitri.
G . 7 . Lux minor: Insertio respondentiæ Charattorum. xiij. g. q;. 2. & dimid. seu xxiij. g. q;. 2. in circa.
A . 1 . Materia prima artis.
T . 19 . Ignis, id est, Lux maior.
S . 18 . Aer, id est, Lux minor.
O . 14 . Lux maior.

72 .

Materia prima artis, ad Voarchadumiam requisita quid sit: quo nomine vocetur, quid agat, & quomodo fiat.

CAP. V.

Materia prima Voarchadumiæ.

EST autem materia prima artis pro conficienda Voarchadumia corpus albissimum, densum, satisque fusile, ad naturam maxime subtilitatis artificio solutionis aquæ, ac aggregationis ignis reductum. Eiusq; essentia tantũ con-

constat ex tribus candidissimis salibus, animali scilicet, minerali, & vegatali, abstracta a particularibus materijs solidioribus, hoc est igneis, aereis, aqueis, & terreis existentibus in quatuor elementis naturalibus elementatorũ, quæ reperiuntur in sublunaribus mistis: Arg. viuo, & metallo quocunque excepto.

Et quamquam à diuersis diuersimode (vt Elleazar in primaria, germanaque lingua, quæ vna, perfectaque, ac præsentanea perhibetur metallorum medicina, adiutoriũ Dei, seu verius congregatio Dei suscitata) idẽ denominetur, testantibus nobiscum sapientię occultæ Patribus: à Chaldaicis tamen, Arabicisque, Arabice, Alicali, siue Calo pali nuncupatur. Verbum ab ali (quod est summum) & calop (quod bonum significat, quasi summum bonum Latine dicitur) compositum. Cognomen.

Disponit hæc materia prima artis naturaliter, conuertit, constringit, ligat, ac proportionat omnem calcem, venave, corpusque metallicum, siue spiritum volatilem. Tali autem modo subministratur, conficiturque. Actio.

Extracta enim virtute formatiua, constrictiua, continuatiua, vnctuosa, seu viscosa, ex gutta librarũ quingentarũ & quatuor ignis albi viui, recentisque, cũ libris septuagintaduabus aquę cęlestis: in eaque solutis libris decẽ & octo salis calopali, facti ex libris centũ & quinquaginta salis vegetalis, & centũ mineralis, simul cũ libris duodecim vegetalis, ac libris sex animalis, purificati ob euaporationem ignis sufficientis, in olla terrea solida, huiusmodi salia ad instar olei liquefacti, conuertantur. Cõfectio.

Deinde igne cõtinuę reuerberationis in fornace hoc cõgregatũ per noctem, & diẽ, in optimo Cacabo ex terra valentina transferatur nitidum oleũ in vas ferreum, seruando (corpus, hoc est aquam permanentem, Baurach, Boracem, Ceram, Coagulum, Chomer risson mea a melachot, Gemmã, Hyle, Lopam, Materiam primam artis, pinguedinẽ, Sal alicali, alicali, amarum, nigrum, elebrot, Terram potentialem, Tincar, Vitrum Pharaonis, seu inannihilabile: & cætera) Oleum vitri. Arnal. in nouo lumine c. 8. Cinis vero.

Nostris igitur auspicijs tantum intelligentiam aures pateant. Synonymum.

Purificatio spiritus Voarchadumici: Extractio animæ elementaris Voarchadumicæ. Multiplicatio mistura animæ, corporis, & spiritus Voarchadumicorum protectio, Reductioque Argenti & Auri.

CAPVT VI.

Electio Arenæ albæ: & Arg. viui.

ELectis enim Arenæ albæ nitidæ partibus tribus ad mẽsuram: & parte vna Argen. viui (quod aliter vocatur Aqua sicca, & cætera) vt infra: † Notabis ergo, & cætera.

Mundatio superfluitatis Arg. viui.

Primumque simul per lapideum Aludel ad ignem continuæ subtiliationis traductis in lapideo Caraha, seruetur sic Arg. viuum: prius tamen ab omni fœtore & aquosa humiditate, ac nigredine adustiua per septem vices sic mundatum per ignem, vt patet infra: A. Notabis ergo quod dicimus sine ipsius mundatione, & cętera.

Electio olei vitri: Elementorumq;.

Sumpta deinde proportione illa vniusmet ponderis olei vitri, & materię primę artis vt supra: B. factæ ex sale triplici. Partibus item septẽ lucis minoris, quatuordecim lucis maioris, decem & octo Aeris, ac ignis partibus decem & nouem, seu vt dicetur infra. Primum ergo principium naturale, C. &c.

Mundatio elemẽtorũ superfluitatum cũ materia prima artis.

Paratisque omnibus his cum Gemma (Arg. viuo excepto) simul virtus roboratiua fixa in elementis huiusmodi existẽs, per ignem continuæ fusionis duarum horarum: quæ in fundo crucibili remanebit candida & citrina lucidi speculi adinstar splendens: remotis scobibus pariter seruetur, quam hic appellamus animam dictorum elementorum fixam naturalem extractam.

Mistio elemẽtaris animæ cũ Arg. viuo.

Cuius pars vna tantum sumatur cum partibus vigintiquatuor Arg. viui mundati, vt præmissum est. Et per triturationem in Porfido consimili.

Anima ipsa commixta cum dicto arg. viuo, in Sacculo lineo, per refricationem in aqua calida, nigredinem omnem & fœtorem retinente in Catino ligneo seruetur, si quid forte reliquum esset nigredinis adhuc & fœtoris. Repetendo hunc ordinem toties, quousque anima hæc pernitida prorsus, per vices deueniat (interuentu arg. viui, calidæque aquæ iam dictæ) ad maiorem serenitatem quam erat primo, & ad aquam albificantem ipsius domini regis metallorum.

Notandũ.

Notandum est autem, quod deficiente huiusmodi animę

pura

pura munditia ab illa mixtione aquæ viuæ fumi albi, quæ postmodum simul per triturationem cum proportione suæ materiæ primæ artis componitur (vt infra) & commiscetur post nigrificationem, dealbationem, citrinationem, & rubificationem ipsius animæ, & Arg. viui ipsum rubicundissimum, Stagnum non decoquitur cum Sale elebrot iam dicto in lapideo aludel cum requisitis suis elementaribus naturis rubificatis, ad vltimam vsque fixationem ipsarum (vt supra) naturarum elementorum rubificatorum, nec in primam materiam artis attrahitur illa naturalis essentia, & substantia fixa intima animę radicalis quęsita, ab ipsa forma dictorum elementorum commixtorum, immo ipsa penitus oneratur imperfectione. Nec alio quouis ingenio, vel arte fieri potest (quamquam aliter narrent Alchemistæ) quam solo hoc artificio, aut natura ipsa naturarum fieri queat in visceribus terræ, nec mundari, aut teneri. Hęc vero si careat nigredine, albedine, citrinitate, & rubedine, aut euanescat cũ arg. viuo, argentum purum, & aurum fuluum haud augebitur vnquam. Quod testatur & Morienus cum omnibus simul in Voarchadumia patribus, vt infra, D. Primus ergo modus est sublimatio per totum: Attẽdatur ideo ne careat, nec deficiat, & cætera.

Mistio [illegible]

Ex hac deinde anima commista, nigrificata, dealbata, citrinizata, rubificataque sumatur pars vna. De Oleo autem vitri tres partes sumantur.

Et ex aquis huiusmodi mollibus, & duris, stabilientibus, aptisque lustrari, quę sunt anima, corpus, & spiritus, hoc est Sudor solis cum corpore, & puro radicali ipsius animæ maioris lucis, & minoris elementorum rubificatorum, per triturationem, corruptionem, generationem, augmentationem, fixationem: Alterationem cum loci mutatione simul iunctis fiat per Nutum, & ignem gradus tricrucis nouus Adam: vel Sulphur rubeum non deficiens, nec vrens. Necnõ per septuplicem reiterationem: semper cum parte vna animæ rubificatæ, tresque partes terræ mortuę prędictæ restantis, quod est corpus nuncupatum Subsolanus, Oliua perpetua: & (vt infra, E. Visa autem electione, mundatione, mistione, & cætera, in notãdo illo: Item notabis ꝙ istud corpus habet multa nomina circa finem) Substantia rubea indeficiens, & vrens. Huius, tres partes, super vnam Auri, & argenti-

Synonyma.

Reiteratio septuplex.

Proiectio me. Adnma super Aurum & Arg. & istorum: super indeterminatū numerum tam Insipidi, quā Metalli.

gentiana, & vna tantum ipsius Auri, & argenti, super C. partes, super. D. partes (& vt infra, M. In medicinæ autem, & cætera) vel super illum indeterminatum numerum, tam Arg. viui, quam Metalli, reducta per proiectionem, dabit argentum purum cum Auro fuluo permistum. Quod quidem postea cineratum, seu cupellatum; ac deinde inquartatum, diuidatur per aquam diuisionis. Et argentum demum etiā ab aqua per destillationē diuisum, per fusionē cōfletur. Atque Aurum diuisum est, etiam ipsum per fusionem, cum Chrysocolla reducatur. Hæc hactenus.

Reductio Argenti, & Auri.

Arcana (facientia ad Voarchadumiam, Aurifabrilem, Cudimiam, officinam nummariam, & metallorum Cabela) de Ponderibus, cum suis Schematibus.

Cap. VII.


Cudimiæ synonyma.

Licet Pondus affinationis, Aurifabrilis, Cudimiæ, officinæ nummariæ, & metallorum Cabala, diuidi possit (imaginarie) in infinitum, ea tamen diuisione relicta (cum sit valde onerosa, & ipsum Pondus onus graue) visibiliter, & iuxta communem vsum, sequentes Sophorum archicanoporum partitionem, in nouem discretis nominibus sectiones diuidimus, quæ sunt.

Pondera cudimiæ.

Posta, Rubus, Marcus, Marca (aliter Bes) Vncia, Quartus (aliter Nummus aureus antiquus) Charattus (aliter Siliqua) Granum, & eximus.

Posta est quantitas hac nostra ætate & more Veneto, Marcarum. 40. ad charattos. 1152. singula Marca, tali intersigno notata.



Rubus item. 20. Marcarum, hoc signo exprimitur ad Fionos autem. 68. &. q. 1. Fioni pro qualibet Marca in Auro. cuius Truncafilæ quadræ instrumentum hic patet. Ad Charattos sexdecim, Granæ tria,



Quar-

Quartos duos, & sex nonagesimos primos eximos eximi quarti grani singulo fiono: hoc est ad fionos mille trecentos & sexagintaquinq;, per singulas viginti Marças, vt dictū est: Quorum Censorij ecce figura. Pondus fioni Auri.

Marcus vero Marcarum. 16. hac signatur figura.



Marca item vnciarum. 8. hoc inscribitur charactere.



Vncia quoque Quartorum. 4. ad tale deducitur contra signum.




Quartus etiam Charattorum. 36. tali ostenditur nota.



Charattus insuper Granorum. 4. hac indicatur imagine.



Granum vero Eximorum. 256. & ipsum sub hoc reducitur Schemate.




Exi-

Eximo postremo hic caracter impenditur.



Non est tamen ignorandum Granum iterum ipsum diuidi in partes octo visibiles Eximorum. ſ


Ducentesimum quinquagesimum sextum eximum, Grani.




Centesimum vigesimum octauum eximum, Grani.




Sexagesimumquartum eximum, Grani.



Trigesimumsecundum eximum, Grani.



Sextumdecimum eximum, Grani.



Octa-

Octauum eximum, Grani.

1
8

Quartum eximum, Grani. ac

1
4

Semigranum.

1
2

Quoniam autem Aurum fuluum, seu (vt aiunt) finum, non mediocriter importat de Eximo in Eximum, tam respectu quantitatis, quam perfectionis. Ideo vti de re non parum conducente, intelligentiæ oculos aperiant reliqui.

Constructio præcisi ponderis æquilancis.

CAPVT VIII.

Æquilancis dimensio.

ÆEquilancem, vel Bilancem è duobus lateribus, immo ab laterum æqualitate dictam, ex quadro perfecto, & semi constrare dicimus. Fusti eius longitudo tantum metitur, quanta est dimensio vnius lateris quadri eiusdem. Medij autem, extremorumque crassitudo, sesquialteram habet proportionem, trium, scilicet, ad duo. Hasta verò lancis, seu inuisibilis, à base super axem, in medio equaliter distans ab extremis, in cacumen sursum erecta, pyramidis instar: à tribus in vnum desinẽs minutum, ad semiquadri quantitatẽ (nempe terdena & tria minuta) protenditur. Iuga quoque lancem vtrinque in axe complectens tantundem latitudinis, quantum inuisibilis ipsa continet, & Bracha in inferiori parte Iugæ sita, octauum longitudinis ipsius lancis sit. Fila rursum ab extremis fusti ad Conchas pendentia, cum ipsis vna dimensionis sunt eiusdem, cuius latus est quadri. Conchæ

chæ demum, nonā lateris eiusdemmet quadri continet partem, vti in ſchemate hoc videre eſt.

Deſcriptio Variarum particularium operationum pro ampliori artis huius elucidatione.

CAP. IX.

G. Æs arſum cum Fornacis eius imagine.

CVpri pars vna, Aluminis duę ſeu Tartari, & Arſenici tres partes recipiantur. Duo extrema ſimul iuncta Ferreo piſtillo in Mortario æneo in puluerem redacta, aquaque deinde aſperſa cum Venere in bracteas deducta, ſepultaque in Olla locentur. Quod ſuo cum coopertorio in vertice ad craſſitudinem ſubtilis calami perforato, vulgari ac ſimplici Argilla optime poſt obturetur. Et per horam miſtura decoquatur in igne, ſeu Fornacula ſublimationis. Deinde ea extracta, & frigefacta, poſitaq; rurſus in Fuſorio terreo miſtura, cuius cum Fornace hic ſtatim expreſſa eſt imago, inter prunas cōfletur. Ex qua ſcobes Ferrea virga, donec elucefcat, depurgentur. Denique in inſtrumento ferreo, Canale, ſeu Rielum dicto, à fuſorio deponatur, ſeruetúrq; frigefacta.

Aes vſtum.

Qun facienda prædiximus de arſo, eadem de habendo Ære vſto miſtionem ipſius tradentes facienda cenſemus hac ſerie.

Æris pars vna, Calcantis Romani duæ (ſeu Salis) & ſulphuris tres partes ſumantur. Reliqua omnia vt in præmiſſis, G. ſeruentur.

Anielum album, & nigrum.

Sumatur de Argento cupellato: pars 1.
Æris, partes. 2.
Plumbi nigri mollis, partes. 3. ad pondus æquale.

Et ſimul fuſa omnia, ac bene miſta proijciantur in ana (hoc eſt tantundem) Sulphuris tuſi in Crucibulo bene operiendo. Frigefactum tandem hoc totum, & à ſcobibus per fuſionem apprime mundificatum, ſeruetur in virgulis.

Idem

Idem eſt iudicium in conficiendo Anielo albo, duobus tantum exceptis. Vno ſcilicet quod Stannum loco Plumbi nigri, Altero autem quod Arſenicum loco Sulphuris, capiatur bene contuſum. Notandum.

Aqua ad diuidendum Arg. ab. Auro.

Capiatur de Nitro refecto, & Alumine ana.

Æqualiter iuncta, & in Mortario puluerizata ſimul per Tortam bene circumlinitam fundo nudo, & Recipientem ſigillatum, deſtillentur per ignem ad totam exhalationem ſpirituum, cum reſeruatione ſpiraculi in ſigillo ad opportunam occaſionem.

Diſcalcinetur hæc aqua diuiſionis per ignem etiam cum Charattis ſex Argenti puri pro vnaquaque libra aquæ prædictæ, & ſeruetur ad vſum.

Notandum eſt autem, quod ana ſpiritus Aluminis vſti ſeu Calcantis, ac Nitri refecti, videlicet libra vna de quolibet ſuper vnciam vnam cuiuſcunque metalli in tenuiſſimis bracteis deducti, ter reiterando, metallum conuertit in transparens oleum. Notandum. H.

Argenti, & Auri calcum.

Æris partes tres cum tribus quartis ſumantur ad pondus. Et pars vna cũ vno quarto Zelaminæ in valle Siriana repertę in vico nomine Oneda. Vocatur hæc Zelamina aliter Tuthia alba, & eſt minera Bergomenſis. Sternantur ſtratim in Crucibulo, & per ignem continuæ fuſionis duodecim horarum fundentur cum Vitro, ac ſeruentur ad vſum, proiectæ primo in laminas à ſcobibus peroptime mundificatæ.

Eadem traditur diſpoſitio ſubminiſtrando Argenti calcum, hac tamen lege ſcilicet, quod pars dimidia cum vno octauo Stanni, ſeu Æris arſi, ſumatur loco Zelaminæ contra tres partes, & tres quartos (vt ſupra dictum eſt) Æris. Notandum. F.

Argentum maceratum.

Su-

Sumatur Arg. in tenues bracteas tusum, & in Olla non vitreata cum vna Sulphuris tusi in Fornace ardeat per dies 18. per ternos superaddendo de nouo Sulphure, deinde cum partibus 6. Argenti. viui, aliquantulum simul calefacti, maceretur diutina trituratione in Porfido. Abluatur aqua & bene desiccatum seruetur in nitidissimo Vase vitreo, seu vitreato.

Aurum maceratum.

Bracteæ Auri fului ad tenuitatem ductæ fortiter ignitæ cum partibus sex Argenti viui, mareretur vna. Lota demum macera cum aqua, & bene desiccata seruetur ad vsum, sicut dictum est supra de Argento.

Bullimentum pro Argento.

Sumantur de Aqua cælesti. lib. 10. de Tartaro albo tuso. lib. 1. cum tribus vncijs.

Et opera ipsa argẽtea nigrificata ad ignem, in Vase æneo posita, omnia simul bulliant, quoad niuis instar albescant. Tunc extracta brustientur ad aquam frigidam, limpidamq;. Tandem Tripolo eburnita seruentur.

Bulimentum pro Auro.

De Lotio hominis. lib. 10. sumantur.
Sulphuris vnciarum quinque,
Tartari. 10.

Misceantur omnia tusa in Vase æneo. Et in hoc opera aurea, igne primum calefacta, imposita bulliant, donec crocea reddantur vt Auripigmentum. Reliqua ad pręmissum ordinẽ de Argento omnia rite seruentur.

Notandũ. Notandum est autem, quod pars vna Floris æris cum ana Calcantis romani, & partibus duabus Nitri cum ana Salis armoniaci bullita omnia simul cũ dicto Lotio vt dictũ est, colorem Auri viuacissimum dant Auro, vltra Charactos. 18.

Notandũ. Idẽ est iudicium redactis in bitumẽ prędictis simplicibus, cum acerrimo Aceto, Flore æris, scil. Galcante romano, Nitro, & Sale armoniato, per modum recoctionis.

Calx

Calx Argenti.

Procedatur vt dictum est supra. F. Sumatur Arg. in tenues bracteas tusum:& cætera.

Calx Ferri,& omnium aliorum metallorum duorum.

Bracteis, seu laminis cuiuscumque metalli durii in fornacula cæmentationis per dies.22.ardentibus, cum duabus partibus Calcantis Romani, & tribus Sulphuris triti vel sine alia mistura fit Calx metallica impalpabilis.

Cerussa, Minium & Zalolinum.

Laminæ Plumbi nigri mollis in terreo vase in terma fundo ad quatuor tantum digitos vitreato cum multo acerrimo Aceto, ita suspendantur vt continue per duos& viginti dies Aceti vapore tangantur. Quo corrupta tandem Plumbi nigri essentia, & in puluerem album redacta, Cerussa nuncupatur. Hæc autem Cerussa, siue residentia Plumbi nigri, vt supra, vsti, tenuissimo, cum aqua, triti, positaque in Capellis terreis sparsis, ac longis ad cubitum, non lutatis quidem, veruntamen opertis in Furno, ita locatis, vt ignis tantummodo fundum eorum ascendens percutiat, sed non per reuerberationẽ, vratur per horas.48.Interim autẽ sæpius Ferreo instrumento agitata residentia quoadusque in rubeũ transmutetur colorẽ, tunc pariter mutato nomine non Cerussa, sed Minium appellatur. Hoc rursus trituratum, cum albo Aceto, & ad vmbram desiccatũ, incittinum vertitur colorem, quod est Zololinum.

Cinnabaris constructio.

Argenti viui pars.1.

Sulphuris, igne lento carbonum liquefacti, pars vna & semis.

Misceantur in Vase æneo patulo Ferreo instrumento haud quaquam ligneo. Durata autem frigore hæc mistura, & pinsita, reponatur in Vas vitreum idoneum optime lutatum, locatumque in Furno sublimationis, fundo detecto, ac loco aeri peruio per horas.14. remisso igni, mundando oleositatẽ Ferro quoad transierit per colum Vasis. Deinde per tantundem temporis igne intenso Vase laminis ferreis operto fixetur. Vbi tandem vas refrigeratum fuerit, rumpatur, seruato Cinnabari.

Consolidatiuum Cinericii.

Argilla deusta, & tenuiter tusa pars vna capiatur ad mensuram. Cineres lixiuio demissi, & mortificati, desiccatiq; partes duæ. Deinde simul ambo cribrata, pariter seruentur.

Cupella, & Fornax eiusdem.

Sumatur puleris Argillæ crudæ pars vna ad mensuram.

Spodii ossium, siue cornuum castrati deustorum subtiliter tusorum partes quatuor cum dimidia.

Diligenter cribrata seruentur, & cum aqua humectata in Verra metallica totum pariter excusum imprompteutur.

Notandum. Notandum est autem, ꝙ qui format Cupellam ex Spodio solo non bene sentit omnino pro mercatore circa argentum & aurum extrahendum. Aduertant igitur pro maiori, tutiorique redundatione metalli, & ad minorem eius defectum arcanum hoc Affinatores metallorum, Aurifices, & Cudimiæ Mercatores. Ad quorum noticiam simul hic tradimus Fornacem cupellationis.

Flos æris.

Corporentur in lib. 640. Terræ viridis solutæ in lib. 240. Aceti acerrimi, cum lib. 26. vncijsque. 8. Armonaici, lib. 160. Aeris soluti in lib 320. Aquæ diuisionis.

Omnia autem probe mista, positaque in Ollis grossis sparsis non vitreatis superaddendo stringantur. Deinde in sacculis de corio optime densis seruentur.

Metallina.

De infrascriptorum simplicium pulueribus, videlicet Realgalli, vel Auripigmenti, siue Arsenici, Calcis albæ viuæ recentis, Tartari albi ana ad pondus sumatur. Albuminis autem oui gallinæ pars media plus, cum quo puluerres ipsi per setacium optime coopertum prius simul commisti, incorporentur. Bitume * autem huiusmodi deinde idonea in Botia detecta impositum per horas. 12. igne ascensorio sublimetur. Vasis tamen fundum ad medium vsque luto ex lana, seu tomento, & argilla partibus duabus scilicet argillæ, & vna tomenti confecto sit oblinitum, & os pariter bombice, vel stupa obturatum, Metallinā tandem reperies collo Vasis argēto colore adhærentē.

* Luti tomenti.

Oleum omnium metallorum.

Videatur (vt supra, H.) Aqua ad diuidendum, circa finem.

Purpurina argentea, & aurea.

Mistura Arg. viui, Marchesitæ, vel Stanni, Arsenici, & Salis armoniaci ana, posita in Botia vitri, si decoquatur per horas 321. ad ignem, colorabitur argenteo colore. Verum si loco Arsenici sulphur citrinum in pane nitido, aureo colore tingetur, & tunc dicetur aurea Purpurina.

Aduertendum est. Nota.

Refinatio Chrysocollæ.

Refiltratæ in libris ducentis septuaginta Aquæ cælestis, libræ nonaginta Pastæ, seu Lapis, Chrysocollæ, cum libris decem Aluminis, & Aluminis fæcis libris octo cum quatuor vnciis vniusmet ponderis, in Vase æneo per lentã, continuamq; ignis exhalationem tantum liquentur vt aqua. Deinde per optimam operturam pannorum laneorum ne spiret, neue vllatenus spirare possit, Vas refrigeratum per dies tres stabili in loco locetur. Reuulsus autem Borax in spondilibus vasis agglutinatus (habita primum per inclinationem optima aquæ euacuatione) ablutusque frigida, & bene desiccatus ad Solem, nitidus, vnctus Oleo lini crudo, ponderatusque, in Vase nitido seruetur.

Solidatura tertia pro Arg. & Auro.

Partes tres Argenti ꝑ Argento, vel Auri ꝑ Auro. Et pars vna Æris arsi pro Argento, vel Argenti pro Auro sumptæ (facta nihilominus mistione primum optima in fusorio ad ignem fusionis) seruentur laminæ.

Specula metallica frangibilia.

Mistis per refusionem manicæ partibus tribus æris, & pars vna Stanni tantum, proijciantur laminæ ad planam, & pontellum in petra columbina altera alteri imminente. Misto nihilominus primum ad ignem venti fuso. Deinde laminæ ad mensuram æquentur à superfluis cum gladio, & planentur Smerillo medio, ac tenui ad siccum per longum, ac transuersum, primo super lignaculis ex tabula huiusmodi agglutinatis cum Gypso crudo, & aqua super tabulam. Postea lustrentur panno lineo rudi, vel corio à parte domestica, Sponthia, vel Tripolo, & Cerussa, aut Calce stanni, aspersæ tamen prius oleo. Deinde palmis manuum siccatis tersæ, nitidatæ, capsatæ seruentur. 1.

Specula non frangibilia.

Specula infrangibilia cuiusvis dimensionis ob malleationem in reliquo (vt proxime supradictum est. I.) rite fiant, præter quam subiecta essentia, quæ tantum constat de solo Arg. cupellato.

Spodium de ossibus.

Ossa tibiarum boum deusta ad ignem continuũ in fornacula cæmentationis per horas 2. Spodium vocatur de ossibus.

Sublimatum.

Sumptis de Nitro mollito lib.50.

De Sale.		
De Alumine,seu	mollitis.	
Vitriolo vsto.		

Et de Argen.viuo ana lib.100.

Omnibus simul iunctis, Arg. viuo tamen prius in aqua ad diuidendum quantum sufficiat in Vase ligneo mortificato, Mistura huiusmodi in Vase vitreo (cum Alembich) aperto per horas.24.ad lentum ignem lignorum per Cineres sublimetur, seruetur que diligenter.

Notandum. Notandum nihilominus non poni de misto pro quolibet Vase plusquã.87. Insuper aquæ vltimo stillatæ valent ad alias quoque mortificationes: ideo seruentur.

Terra ad deargentandum metallum, & inaurandum.

Solutum igne argentum de cupella. quod. 1. in vnciã vnam aquæ diuisionis, iungatur cum puluere salis, & Tartari albiana vnciarum sex.

Sicque in Vase vitreato cum spatula lignea (non autem metallica) mista seruetur terra calore densata.

Notandum. Notandum est etiam talem ordinem penitus seruandum esse in conficienda terra pro inaurando: quæ ab aqua diuisionis,& argento seclusa madefiat oleo auri, quod. 1. (Auri scilicet soluti) pro qualibet libra prædictorum pulucrum.

Tuciæ constructio.

Sumantur de antimonio libr.96.

.K. De Calce silicis libr.48. De alumine catino libr. 24. De ære arso libr.1 cum vncijs quatuor. De plumbo: & Stanno simul calcinatis libr.8. videlicet pro vna qualibet parte plumbi, duæ partes Stanni.

Hæc omnia simul corporentur cum aqua, triturenturq; in Pila figuli. Mistura deinde hinc exempta, & in plano furfurib. strato adinstar placentæ deficcata in igne carbonum per horã coquatur, postea pinsetur, trituretur, ac taminetur. De puluere autem eius tenuiori fiat bitumen cum Albumine ouorum,& idem Cannis ferri inuolutum, & inspersum grossiori puluere eiusdem, atque sic in vmbra siccatum per ignem reuerberationis recoquatur iterum per horam.

Notandum. Vbi autem nimium nigresceret: Cannæ vt supra bituminatæ candentes sæpius extinguantur in aqua Calcis plumbi & Stanni, vt supra dictum est.K.

Sin-

Singularia præmissa cur posita sint.

CAPVT DECIMVM.

SIngularia hæc (nempe) aqua diuisionis, refinatio chrysocollæ, æs arsum, vstum, & reliqua particularia suprad.cta non sit qui arbitretur temere posita, tanquam à principali negocio aliena, vel vt omnino superflua. Non enim frustra, imo necessaria ceu per gradus quosdam ad perfectionem huius magisterij purificationis Auri (scilicet) vt cuique in his oculato palam est) posita sunt. Nam sicut arbor ex floribus feracem, vberemque fructuum messem indicat, & vbi non affuerit ignis vsquam fumus exhalat, sic huiusmodi exercitamenta cum insignia sint ac certitudo efficaciæ & veritatis præmissorum, tum scopus quo huius artis pseudoprofessores (Alchemistæ vulgo dicti) impingentes fracti protinus, & confusi reuelentur, patefactaque eorum fraude, & falsitate de medio sublata, simplices tuti, & cautiores reddantur.

PORTIO SECVNDA.

Præfatio portionis secundæ.


CAPVT PRIMVM.

RVdis hæc, impolitaque nostra inuestigatio consulto satius prætereunda à nobis fuisset, lector candidissime, quã vt sublimis huiusmodi ars, atq; spectanda genetricis naturæ æmula (præcipue contra ipsiusmet scientiæ auctorum decreta vulgationem prohibentia, vbi dicitur nefas esse arcana reuelare indignis) quodam vel tenui susurro mortalibus patefieret. Cum tamen nobis persuasissemus omnipotentis naturæ vim supremo numine sapientiæ filij inspiratam (tametsi plerosque mortalium lateat) ex Dei munere cognouisse, nefas, & ab humano officio eandẽ in tenebris perpetuo clausam tenere, prorsus alienum duximus, præsertim cum nihil præstantius, nihil in humanis vtilius reperiri possit, vel excogitari, si modo Sophis longe supra hæc caduca & fluxa eleuatis, fuerit reuelata. Cæterum quo res ipsa obscurior, ac difficilior cognitu hactenus haberi solet, eo lucidiorem omnibus, planioremq; efficiemus. Nam quod Schema sub ænigmate positum sit, id fuit in causa, ne detractores Alchemistæ, indigni, ingratique facilem sese habere ad hæc mysteria aditum arbitrẽtur. Initiatis vero totam huius artis rationem, compendiose,

Ray. in aper. c. 2. ars igitur

ſe, & accurate explicantes aperiemus in portione diuiſionis, in ſpeculo noſtro, quod iam mente conceptum orſi indies lucubramus. Vt ipſum intuentes lucis ſplendore ſuperuenientis illuſtrentur, & deuij ab huius lucis iubare in ſemitam rectam dirigantur, & hac potiu gratia, munere gaudeant veritatis tali ſub ſchemate.

APERIO LIBRVM ET SEPTEM SIGNACVLA.



Sche-

Schematis Voarchad amici expositio.

CAPVT SECVNDVM

Visionem acceptam à domino æterno omnipotenti palam fieri (indignis) non debere in arcanis arcanorum legitur, propterea quod omnino metuendus sit dominus. Literas tamen. A. V. E (vt in præmissis) dicimus esse mistionem vniusmet ponderis olei vitri, materiaque primæ artis, aeris, & ignis, lucis maioris & minoris, ac argenti viui septies mundati per sublimationem cum arena alba, insimulque rubificatam. C. vero primum motum, id est occisionem, corruptionem, calcinationem, vel putrefactionem. G. secundus motus est, & est generatio. H. vero tercius motus, videlicet augmētatio D. dicitur fixatio, diminutio, disiunctio, vel separatio, & est quartus motus. F. & B. sunt elementa alterantia cum loci mutatione, quæ dicuntur ignis mutatio: Pauimenti operatio, terminatioque rubificationis, & est quintus motus.

Raym. in codi. c. 4. Cum igitur.

Synonyma.

Synonyma.

Theorica, ac practica Voarchadumira artis, & eius schemata in multiplicatione tinctura.

CAPVT TERTIVM.

Terminatio recipientium est mutatio naturarum receptorum per ineffabilem mistionem calidi, (id est ignis, quod est aurum fuluum, cum frigido id est Arg. viuo non vulgari; quod est Arg. viuum per ignem & arenam albam septies mundatum; vt dictum est ab Argen. viuo; humidi, id est, Aer: quod est Argent. purum, cum Auro fuluo, Argentoque viuo vt supra, insimul rubificatis, cum sicco, id est, oleo vitri) dispositione perpetua. Hæc perpetua dispositio, est materia metallorum: Materiaq; prima artis (id est vitrum innanihilabile: quod est oleum dictum: medium retinentem Arg. viui, Aurum albificantem) vt ait Maria. Et ista aqua grauis est, quæ mercurialis dicitur: vt omnes asserunt. Et Argent. viuum sapientum (id est Argentum viuum, vt dictum est, mundatum ab Argento viuo) de quo dicit Hermes: Custodire hoc Argentum viuum coagulatum (id est mundatum) quod est in intimis thalamis: in quibus coagulatum est. Ipsum enim est Azoch: & est secretum Scoliæ: & dicitur terra residua. Qui igitur verba audit, ipse inquirat. Sed testamur per illum qui male perpetrantem iustificat: & nullum recte agentem conde-

Mecubalim.

condemnat: nos iam detexisse quicquid ante cælauimus in hac sapientia; & maximum arcanum scientiarum, & intellectū habentibus patefecisse. Qui vult ergo proficere in hac sapientia, oportet cum istam admirabilem Electionem (mundationem, mistionem, triturationem, & calcinationem, Argenti, Auri, Argentiq; viui, & olei vitri) seu arcanum maximum cōponere, & postea ipsum mutare de natura in naturā: Luca sic dicente in Turba, pluribus rebus non indigetis: sed vna tantū, Et ista res vna, in vnoque gradu operum nostrorum in aliam conuertitur naturam. Idem testatur & Geber cum dicit: Ars talis non consistit in pluralitate rerum. Est enim materia vna (id est metallorum) in qua magisterium nostrum consistit: cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus: nisi quod in præparatione eius superflua remouemus. In vna ergo re cōsistit totum magisterium istud, vt nos recte censemus, in oleo vitri scilicet, & Arg. viuo mundo, animato, rubificatoque. Et hoc expresse dicit Alphidius filio suo: Scito fili, quod est materia (& materia prima artis) quæ est radix, de qua omnes sapientes tractauerunt (oleum vitri, &) Arg. viuū est. Et est quoddam Arg. viuum albi coloris: & plus quam speculum splendens. Idem fertur in Turba. Initium totius operationis est Albedo, id est, Arg. viuū mundum animatū, cui rubor succedit.

Electio.

Nota tū quod est altera materia prima artis.

Notandum.

Notandum.

Notabis ergo, quod Acetum, Æquatum, Albedo, Album plumbum, Aqua benedicta, metallico, sicca, talchi, viua, viscosa, vitæ, vrinæ puerorum, Argentum viuum animatū, coagulatum, Argyrion zoticon, arsenicū, auripigmentū, azoch, cambar, caspa chaia, ches seph chai, compar, cor Saturni, december: E, Euphrates, fauonius, phlegma, Gumma alba, inimicus, insipidus, lubricum, materia vna, metallorum, medicina vna, menstruum, Mercurius, occidens, ouum, puer, salsus, sedena, senectus, serinech, seth, sinistra, socius, sperma metallorum, sublimatum, succus, τεύος, ventus, vespera, viginti vnum vnctus, vultur, zibach, & ziuá, idē significant. Et id genus multa, quæ hic prolixitatis vitandæ gratia omittimus.

†



In compositione autem huius admirabilis mistionis, seu maximi arcani, oportet nos sequi naturam. Nam (vt ait Geber) Natura per se agit. Nos ergo oportet tria scire, videlicet quid sit natura, quot sint naturæ, & qualiter natura operetur in metallis productis.

Secun-

Secundum autem Aristotelem (secundo Physicę auscultationis) natura sic diffinitur: Natura est principiũ, & causa mouendi, & quiescendi in illo, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens. Natura quid.

Auctor autem perfecti magisterij ait: naturæ (siue tu dicere mauis qualitates) sunt quatuor, videlicet Caliditas & siccitas, vt in igne. Caliditas & humiditas, vti in aere. Humiditas & frigiditas, vt in aqua. Frigidas & siccitas, vt in terra. Oēs autē istæ complexiones inæquales sunt, nec est vlla istarum quam quærimus. Nam nos quærimus æquale, de quo dicit Ioannicius: quod æqualis mixtio est vna, quādo cum moderatione, incolume dicitur corpus. Quotuplex.

Notabis ergo. quod dicit cū moderatione, scilicet p̄dictarum naturarū, seu qualitatū, videlicet caliditatis, humiditatis, frigiditatis, & siccitatis. Nā quando aliqua istarū naturarum aliam non excedit: tunc dicitur corpus tēperatum & æquale, quia tantum est de vna quantum de alia secundū debitā proportionem qualitatum ad esse metalli requisitarum. Moderatio.

Item notabis, quod incolume dicitur sanū, remotum, calcinatum, separatum, purificatum, dispositū, siccum, vel mundum ab omni causa corruptionis. Et (secundum Geberum) stannum vel plumbum album purissimum: & est in eo æqualitas fixionis, vel spissitudinis duorum componentium Arg. viui, (scilicet & sulphuris (metallici) non autem æqualitas, quantū in mixtione, (id est, quantitate) Arg. viui. Itē Hermes inquit, fili, sapientum metalla sunt sex (nō enim Arg. viuum est metallū, sed materia vt infra, Notabis Embryon, L. & cætera) metallorum, quorum primus est. Sol eorum optimus rex & caput, quod nec terra corrumpit, nec res comburens comburit, nec aqua (colorificans, viridis, aut diuidens) mortificat, vel deuorat, eo quod substantia eius est terminata, & natura directa in caliditate, humiditate, frigiditate, & siccitate. Nec in eo quid superfluum est, vel diminutum. Et ideo sapientes prætulerunt ipsum, & magnificauerunt, & dixerunt, quod sic se habet Sol in metallis, quemadmodum Sol in stellis. Suo enim lumine & splendore omnia vegetabilia germinant, & omnes fructus perficiuntur nutu Dei. Quid plura si ad hoc peruenire possimus? Habemus proportionatum fere totum iuxta Socratem dicentem. Iam ergo albi plumbi dispositionem Synonyma. Clauis prima. Mundatio.

vobis demõſtraui, quo genito nihil aliud eſt quam opus mulierum, & ludus puerorum.

Cognito igitur quid ſit natura per Philoſophum, & quotuplex per auctorem perfecti magiſterij, aliorumq; ſapiẽtum ſententiam, reſtat videre quomodo operetur natura.

Natura quomodo operetur. Synonyma.

Operatur autem natura multifariam: ſed potiſſimum per mixtionem, quam ſapientes varijs appellarunt vocabulis. ſcilicet, Ingreſſionem, ſummerſionẽ, coniunctionem, connexionem, cõplexionem, compoſitionem, & mixtionem: idem ſignificantibus. Nihil enim ingreditur, ſummergitur, cõiungitur, connectitur, complectitur, componitur, quam quod miſcetur. Videamus ergo quid ſit mixtio (Clauis enim ſecunda eſt) quia ipſa cognita per diffinitionem omnia alia cognoſcantur.

Clauis ſecunda.

Mixtio, & quid.

Secundum autem Philoſophum (primo de generatione) mixtio eſt miſcibilium alteratorum per minima coniunctorum vnio.

Miſcibilium.

Notabis Miſcibilium, id eſt elementorum. Nam ipſa ſunt prima principia vniuſcuiuſq; mixti. Sed ipſius mixti manifeſtam, occultamue ſcire non poſſumus naturam, niſi ſciamus ipſa elementa commiſcere ſeu componere. Vnde Hermes dicit: Intellige fili quatuor elementorũ ſcientiam, quæ ſuis poſita ſunt rationibus in ſua abſcondita apparitione. Eorum enim abſcõdita apparitio nequaquã exponitur niſi cõponantur, eo quod nõ pficiuntur donec ſuis coloribus colorentur.

Minimum.

Notabis etiam per minima, id eſt per indiuiſibilia. Nam ſi quid poſſet diuidi iam non eſſet minimum, ex quo diuiſo partes eo minores proueniunt: cum omnis pars minor ſit ſuo toto. Apparet ergo, quod per minima, id eſt per indiuiſibilia fit mixtio elementorum. Et quod elementum ſit minimum metallorum componentium patet per diffinitionem eius; Elementum enim minima particula eſt metalli.

Elementi diffinitio.

Motus primus: Clauis iii. & primum punctum. Corruptio.

Ad hoc autem, vt miſcibilia miſceantur, requiritur præuia diſpoſitio, quæ non fit niſi per motum in omni actione, nedum in mixtione neceſſarium. Motus autem (vel mutatio) dicitur (ſecundum Ariſtotelem in Categorijs) ſexcuplex, ſcilicet, corruptio, generatio, augmentatio, diminutio, quam fixationem vocamus: alteratio, & loci mutatio. Sed alijs in præſentiarum omiſſis, Corruptionem tantum eligamus: nec eam quidem omni ex parte. Nam multas ſub ſe ſpecies

habet. Sed ex his vnam (quæ putrefactio dicitur) ad propositum facientem discutiemus.

Natura enim quæ nũquam otiatur, omnifario motu operando vtitur: in primis autem omnium corruptione. Corruptio vero hic & putrefactio æquipollent significato. De hac itaque in allegoria sua Hermes, sic inquit, Scitote quod artificij origo est caput Corui: qui in nigredine noctis, & in claritate diei sine alis volat: & amaritudine nostra in suo sanguine exeunte coloratio accipitur: & mera aqua à suo dorso. Nõ est ergo aliud caput Corui, nisi nigredo noctis, quia sicut ista sunt nigra & obscura respectu diei, sic spiritus iste putrefactus respectu spiritus mundi, qui ex putrefactione oritur, & per nostrum artificium extrahitur.

Sed cuius coloris debet esse spiritus iste mundus? Profecto albi. Vnde Hermes, Scitote rumorum inquisitores, & sapientiæ filij, quod Vultur supra montem extensum in cacumine voce magna clamat inquiens: Ego sum Album nigri, & citrinum albi, & rubeum citrini, veridicus sum certe, & non mentior. Quæstio Solutio.

Notabis ergo album nigri. Nam ipsum album ex nigro extrahimus. Item Alphidius: Argentum autem viuum, quod ab eo scilicet cortice nigro extrahitur, est humidum album à corticibus mundum, ne opus pereat.

Viso ergo quod primus motus naturæ est corrumpere, videndum est qualiter fiat. Et vt perfecte sciamus facere: oportet nos habere cognitionem principiorum tam naturalium, quam artificialium. Nam qui principia ignorant, finem non inueniunt. Album nigri. Principia duo.

Primum ergo principium naturale, vt prædictum est, dicimus Arg. viuum, cum arena alba per ignẽ ab Arg. viuo septies mundatum, coagulatumq; , ac materialia ignis, & aeris, sub nomine Antybar, Marthek, Stagno, vel Risoo (quod Græce Thelima dicitur, & Hebraice Reçon) positũ in literis & numeris notatis (vt hic infra, & supra) per lineam perpendicularem inchoando à penultima sursum ascendendo, & in vltimam terminando. Primum.

E. 5. Lux maior.
H. 8. Coagulum.
T. 19. Ignis, id est, Lux maior.
R. 17. Aer, id est, Lux minor.

A . 1 . Lux minor, Insertio respondentiæ Charattorum. xiij.g.q;.iij.seu xxiij.g.q;.ij.cum. 1/2.
M. 12. Hyle.
K. 10. Aqua permanens.

72.

A. 1. Materia prima artis.
B. 2. Lux minor, Insertio respondentiæ Charattorum.xv. g.q;.iij.& vltra, seu.xxiij.g.q;.ij.&. 1/2.in circa.
Y. 22. Lux maior.
H. 8. Aqua permanens.
T. 19. Ignis, id est, Lux maior.
O. 13. Gemma.
A. 1. Cera.
R. 17. Aer, id est, Lux minor.

72.

Secundum. Secundum est Calor. i. Ignis alienus, quod est instrumentum mouens ipsam Materiam mistam ad putrefaciendum: & non aliud agens in mundo. Vnde inquit Alphidius: Scito fili, quod substantia agens in hoc toto mundo est vnũ, scilicet calor. Calore enim sublato nullus omnino motus est. Motus autem est actus. Ideo dispositionis & totius operis artifex, calor est ignis.

Sed cum multi sint gradus calorum, siue ignis, videamus quid sit: & in quo gradu.

Ignis alienus. Et certe ignis, siue calor est ignis intentissimus, sic testante Maria: Mensura ignis tui, id est alieni, esto sicut Solis diebus tamuç: à v. i. Noch ach tos, quod est caput zenit. Et vocatur fimus equinus: sed nõ est (scilicet per cõtrarium) vt inquit Alphidius: Igne, id est alieno, coquitur quod tibi ostendam. Et est calidus & siccus in quarto, cuius proprietas est augmentare siccitatem: condensando humiditatẽ. Nam sicut ignis fimi augmentat calidum & humidum propter suam caliditatem & humiditatem qui perhibetur: ita fortitudo ignis calidi & sicci siccitatem. Et disponit naturã humidam, in siccam terminando. Huic autem non assimilatur alius in mundo, nisi naturalis, qui est ignis solis in visceribus terræ.

Visis igitur principijs naturalibus, videamus artificialia.

Principia Artificialia sunt duo principalia instrumenta: in quibus perficitur ista putrefactio. Et primum est lapideum Caraha, secundum est lapideum aludel (id est venter equi) in quo debet poni materia mista. De quo Vincentius dicit: Solutionum corporum & spirituum instrumenta sunt multa: vnum tamen dicitur Venter equi. Et fit duobus vasis: quorum alter est lapideum aludel: & in ipso materia mista ponitur, statq; in fornace, & subtus nutritur ignis vt bulliat. Auicenna dicit, quod istæ dispositiones non possunt fieri nisi in vase duplici cognito, quod vas est venter equi supra nominatum. Principia artificialia.

Item cum diffinitio sit omnino quid est esse rei significans: videamus quid sit putrefactio ipsius (scilicet) materiæ mistæ, vt melius eam cognoscamus.

Secundum autem Ioannicium putrefactio est corruptio substantiæ mistæ materiæ ex vaporum retentione. In nostro autem proposito, si vapores dispergātur per aerem ipsum: nō putr fit, neq; corrūpitur ipsa substantia mista materiæ. Quare debet aludel sic adaptari in obice: ne respirare possit. Vel potest aliter sic diffiniri. Putrefactio est substantialis humiditatis corruptio: ex indigentia caloris naturalis: superabundante calore alieno artificiali exterius agente. Putrefactio quid. Secunda diffinitio putrefactionis.

Notabis calore alieno superabundante. Nam ipse calor alien⁹ est instrumentū agēs: seu perficiēs corruptione humida. Calore alieno.

Sed si quæratur, per quem modum facit hanc corruptionem calor: Respondemus, calor calefacit mistum sibi applicatum: & calefaciendo facit euaporare humiditatem: qua omnes partes siccæ continuabantur, & faciebant vnū mixtum continuum, & vnam rem. Et ita calor corrumpit, & putrefacit ipsam rem: quia mixtum quod prius ratione humidi erat continuum, ratione eiusdem exhalati efficitur discōtinuum, & amplius non persistit in substantia mixti, sicut videtur in ligno in igne posito. Nā fortitudo caloris ipsi⁹ ignis facit euaporare a ligno aquā, & oleum, mediantibus quibus lignū primo erat mixtum cōpositum & cōtinuum, modo post euaporationem aquæ & olei, remanent cineres, & partes siccæ ex toto discontinuatæ, & puluerizatæ. Et propter istam similitudinem: Putrefactio vocata fuit cinis à sapientibus. Vnde recte inquit Hermes. Ne arg. viuum negligentiæ tradas: nigrum enim cinerem dealbat, & per sapientum ignem fit opus. Ideo Quæstio, Solutio. Putrefactio aliter cinis: seu calcinatio.

voca-

vocata fuit etiã calcinatio, propter eandem similitudinem. Nam sicut fortitudo ignis priuat lapidem sua humiditate, & de ipso facit calcem, sic putrefactio. Vnde Parmenides in Turba: Nisi vertatis naturam, eiusque compositiones & complexiones sciatis, & bene coaptetis consanguineũ consanguineo, & primum primo, inconuenienter facitis, nec quicquam operamini, eo quod naturæ cũ suis consimilibus naturis consequentur eas, & lætabãtur in eis. Namque putrescent vel disiungentur, eo quod natura naturã regit, quæ ipsã diruit, & in puluerẽ vertit, & deducit. Apparet ergo, quod per putrefactionem, res nostra destruitur, & in aliud esse deducitur, sicut lapis per calcinationem.

Viso autem quid sit putrefactio, & qualiter fiat, videamus signa per q̃ possimus cognoscere quando erit ꝑfecta, aut non.

Signa putrefactionis. Duo quidem sunt accidentia principalia, per quæ possumus cognoscere ipsam esse perfectam, aut non: Color, scilicet niger: Tactus vero ponderosus. Vnde Auctor perfecti magisterij, plumbum, id est Arg. viuum mixtum, in sua altitudine est plumbum, & Arg. frigidum, siccum, terreum, melancholicum, nigrum, marcidum, fœtidum, ponderosum, & femineum. Ex iis ergo apparet, quod putrefactio tunc est perfecta, quando est nigra, & ponderosa.

Qualitates Arg. viui mixti.

Synonyma. Item notabis, quod Argentum nostrum, calcinatio, incineratio, melancholia, & nigredo idem significat.

Quæstio. Solutio. At dices quid remanet calcinatum post cinerationem? Respondemus, essentia materiæ mixtæ metallicæ, quæ ante calcinationem erat in potentia ipsius introducta ex proportione elementorum, ex quibus erat composita. Quia talis essentia nõ corrumpitur, vt aliquo pacto annihiletur, seu ad nihilum reducatur, cum essentiam subiectam, Naturamve destrui a nobis non sit possibile, sed quantitatem & virtutem illã quæ dabat esse tali mixto, modo per calcinationem & accidens veniens ab extra destructo & calcinato, quam virtutem & quantitatem ex mixtione susceperat, hæc quidem penitus annihilatur. Nam sicut totum integrale (puta domus) consistit ex suis partibus integralibus vnitis, & disiuncta situ vna parte à loco suo, quẽ prius habebat in toto, destruitur ipsum esse totius domus, & tamen remanent lapides, ligna, & cæmẽtum ex quibus cõstabat domus. Ita etiam fit in proposito nostro. Nã disiuncto humido ab ipso mixto elemẽtari cui inhę-

rebat

rebat tanquam pars integralis in toto, & hoc per calorem eleuantem ipsum & separantem ab alijs partibus, annihilatur quantitas humidi ipsius mixti, subiecta tamen essentia humidi non annihilatur, nec potest annihilari.

Sed extat (inquies) in oppositum experiētia. Si enim applicetur igni olla aquæ plena, inualescente ignis calore paulatim exhalando minuetur aqua ipsa, quoad nihil aqua penitus in olla remanebit. Ergo essentia eius annihilabitur? Huic autē obiectioni respondemus, nequaquā militare cōtra positionem nostram, quoniā de natura mixti metallici loquimur hic. Quod et si calcinatur quoad suum esse totius cōpositionis, tamen ipsum penitus non destruitur: vti supra de domo exēplificauimus. & ita si olla cooperiatur ne vapores exhalare possint, aqua ipsa annihilari nō videtur. Contra nostrā igitur intentionē inductus cauillus non est, quāuis etiam iuxta peripateticorum principis (primo suorum naturaliū volumine) intentionem facilis esset euasio dubitationis inductę, quoniā neq; materia ipsius aquæ in illa cōtraria ignis actione ānihilatur, imo remanet. Non. n. sequitur, nihil remanet in olla, ergo subiecta aqua annihilatur. Et tunc dicitur ꝙ aqua habet materiā subtilem & raram, & ex cōsequenti valde passibilem. Obiectio. Solutio.

Item habet qualitates penitus contrarias qualitatibus ignis. Nam caliditas ignis frigiditati aquæ opponitur, & siccitas humiditati. Cū ergo caliditas ignis frigiditati aquæ aduenit, pugnant inter se: & si caliditas vincit frigiditatē, tantō magis subtiliat & rarificat aquam, quod cōuertit eam in aerē, & ita aquæ materia nō erit aliquo pacto corrupta, licet formam aeris suscipiat. Nam aer generatur ex calido ignis, & humido aquæ, & terra ex sicco ignis & frigido aquæ. Vnde Morienus. Quatuor sunt elementa, quorum duo sunt principalia: & summopere contraria, vt ignis & aqua. Alia vero duo generantur ex istis, vt aer & terra. Hoc idem quam optime declarat Albertus in libro Peri geneseos. Item videmus vapores aqueos virtute caloris sursum ascendere, & contra naturam suam eleuari. Nam aqua suapte natura semper deorsum locum suum petit: tanquam graue: Cumque ij locum maximi frigoris attingunt vbi frigiditas superat caliditatem, tunc virtute illius frigiditatis inspissantis in nubes, in aquam conuertuntur: ac ita naturaliter descendunt, generaturque pluuia. Et etiam cum ventus septentrionalis (cuius natura est De his, quæ in aere generantur.

frigi-

frigida & sicca) obuiat australi, tunc si frigiditas septentrionalis superat caliditatem australem, condensatur & congelatur in nubes, & hæ aliquando in pruinam, aliquando in grandinē, aliquando in niuem, & aliquando in glaciem conuertuntur. Ex quo apparet quod rerum materia nō potest annihilari, sed recipit conuersionem, cum natura vnius naturam alterius superat in mixto.

Motus secundus. Clauis 4. & secundum punctum, Generatio.

Secundus motus naturę est generatio. Et cū corruptio vnius sit generatio alterius (philosopho teste primo de generatione) est impossibile materiā esse, quę non sit sub aliqua forma primo physicorū. Quando ergo ágens destruxit mixtionem primam seu proportionem elementorum, quæ faciebat rem esse sub prima forma mixtionis, statim introducit aliam formam, per cuius introductionem, fit talis motus generationis.

Quæstio. Solutio. Synonyma.

Et quę forma est illa in proposito nostro? Certe Auri mixti corrupti, quod vocatur à sapientibus Chylus, seu Agnus, Iuppiter, & stannum: Saturnus, & plumbum, propter suam nigredinem & immundiciam, à qua nigredine & immūdicie mundari debet. Vnde inquit Hermes: Hoc fili noscas, quod nisi quis sciat deducere prægnationem, mortificare, generare, & species viuificare, lumen inducere, ac mundificare, quousque igni purgentur, colorentur, & à maculis vltimis mundificentur, velut à nigredine & tenebris, nihil facit. Si autem hoc quispiā fecerit inter mortales satis superque erit spectandus.

De electione, mundatione, mixtione, corruptione, & generatione, pauca nobis hæc prælibasse sufficiat, in sequentibus latius quæ restant dicemus. Nunc autem de alteratione cum partibus subalternis, ac concurrentibus dicendum putamus.

Motus quintus, Clauis. 7. & tertium punctum. Alteratio, cum loci mutatione. Modi operationū. .D.

Alteratio est mutatio secundum qualitatem facta per nos ex quadam locali permutatione. Qui motus continet in se principialia huius magisterij, de quibus dicit Geber, Sunt itaque huius artis principia modi operationum ipsius: quib. applicatur artifex ad hoc magisterium, qui quidem a se inuicem sunt diuersi. Est enim vnus modus Sublimatio, Descensio secundus, tertius destillatio: quartus calcinatio, solutio quintus, sextus coagulatio, septimus, fixatio, ceratio vltimus.

Sublimatio cur inuenta.

Primus ergo modus est Sublimatio. Et propter hoc inuenta fuit, quia non nouerunt antiqui sapientes (cū sit impossibile prorsus) neque nos: nec qui nos sequentur, aliquid quo

co-

coniungerentur animæ, nisi spiritus solos, vel quod naturam spiritus & animæ in se contineret, nisi coagulum. Quod proiectum super Arg. viuum, vel Metallum sine ipsius mundatione, & incrassatione, viderunt non perfectos colores dare: sed ex toto corrumpere, denigrare, adurere, & defœdare.

Notabis ergo, quod dicimus sine ipsius mundatione. Igitur mundatio tam corporis, quã animæ, & spiritus debet fieri ab ista nigredine, & tenebris. Et ita sentiunt Sophi. A.

Sed quid est illud, quod parit hanc nigredinem? Humiditas aquosa, & adustiua. Vnde auctor trium verborum dicit, quod humiditas adustiua est fumus aquosus. De quo dicitur: Humiditas aquosa & adustiua corrumpit opus: & tingit in nigredinem. Humiditas autem illa quæ parit nigredinem: impedit fumum album: quo deficiente Aurum Archemiæ, id est, Aurũ duarum cæmentationum perfectarum, non fit. Morieno ita testante: Nisi fumus albus fuisset: Aurũ Archemiæ, id est, Voarchadumicum opus, non fuisset. Item de hoc idem: Quod autem interrogasti de fumo albo, scire tibi conuenit. Quod fumus albus est spiritus, Arg. viui, illorum corporum, id est venarum, è quibus iam animas, id est metalla, siue elementa extraximus, quibusve iterum eas coniunximus. Ista ergo anima in ipso spiritu Arg viui ingressa dealbatur, & mũdatur ab omni nigredine, & huiusmodi candor redundat in illa. Vnde Parmenides in Turba: Scitote quod si superficies dealbatur, intrinseca eius dealbabuntur. Et è contra. Item Lucas, anima Arg. viuo ingressa dealbatur, & natura naturam conuertit. Quæstio. Solutio. Synonyma.

Arenam ergo albam, & Arg. viuum accipe: & per ignem sublimationis, attrahe ex lapideo Aludel in lapideo Caraba fumum album ab ipsis, & summa cum diligentia serua ne pereat.

Sed qualiter generatur iste fumus albus? Procul dubio per coniunctionem, & subtiliationem. Primo Argentum viuum cum arena alba coniungitur: fitq; postea per calorem ignis subtiliationis, separatio vnius fumi adustiui, qui tingit in nigredinem, ab isto fumo albo, qui erat ante coniunctus illi in materia, Arg. viui, sub vna massa tamen: & ita recipit mundationem vnam per ignem. Nam & alteram postmodum recipit per artificium nostrum, scilicet per triturationem, corruptionem, generationem, augmentationem, fixationem, & alteratione: cum loci mutatione, vt supra, & infra. Vnde illud Quæstio Solutio.

Hippocratis in Aphorismis satis cōcinne, atq; eleganter huic nostræ intētioni accommodare possemus: In perturbatione, & vomitu quæ sponte fiunt: si qualia oportet purgari, purgētur, bene erit. Si vero nō, è contra. Quod sic exponimus transferentes, In perturbatione vētris, id est putrefactionibus, quæ fiunt in lapideo Aludel. Et vomitibus, qui spōte fiūt, id est sublimationibus, quæ fiunt in lapideo Caraha ascendendo sursum, sicut est vomitus. Si qualia oportet purgari, purgentur, bene est. Si non, male. Ex ijs ergo apparet: quod si bene sciam facere mundationem ex turbatione elementorum: & per sublimationem, triturationem, & cætera separare hoc ab hoc, id est purum ab impuro, nobis bene erit: & si non, male.

Notandū. Et notabis, quod adhæret pars vna fixa cum fæcibus, quæ nunquam per ingeniorum genus aliquod, separari ab illis potest, cum talis penitus fixa fuerit cum ipsis.

Et cum fumus ille fuerit mundus & albus: tunc erit aptus coniungi cum sua anima, (id est, mūditia duorū luminarium) & corpore, id est, oleo vitri vt diximus supra, aliter non. Vnde inquit Morienus: Si quis animam, id est, Argentum, vel Aurum à visceribus terræ (extraxerit, & eam sursum ascendere) id est in Arg. viuo mundato ab Arg. viuo, ingredi fecerit: & ab ea prius in Porfido cum ipso Arg. viuo & aqua triturata, omnem nigredinem & fœtorem, cum aqua etiā calida in sacculo abluerit: postea cum suo corpore olei vitri, prius corrupta, dealbata, citrinizata, rubificataq; coniunxerit, & demum per ignem corruptionis, generationis, augmentationis, fixationis, & alterationis, cum loci mutatione mortificauerit, maxima mirabilia in mundo videbit.

Visa igitur generatione illius fumi albi: qui fit per separationem fumi adustiui ab eo in sublimatione, videamus illam quæ fit per sublimationem, & formæ fusæ colamentum. Et primo quid sit sublimatio: & quare fuerit inuenta dicamus.

Sublimatio quid. Sublimatio enim est rei siccæ per ignem eleuatio, cum adhærentia partium subtilium suo vasi.

Causa autem inuentionis eius fuit mundatio spirituum, aliter impossibilis est, vt iam dictum est supra. D. Primus ergo modus sublimatio. Et A. notabis ergo, & cætera,

Colamēti diffinitio. Colamentum vero, in proposito, est liquefactæ rei à fæce suæ turbulētiæ separatio: & hæc fuit vna causa generalis. Specialis autem causa fuit inquisitio aquæ puræ: ita vt forma so-

Generalis. Specialis.

luta

luta post ipsius aquæ resolutionem permaneat incorrupta.

Colamentum vero tribus fieri ponimus modis, scilicet per manicam: per cineritium, & per balneum arenæ. Colamētum triplex.

Per manicam quidem sic. Fiat talis furnus colamenti: in quo primo collocetur carbo, & coaptetur ei bene & postea super carbones accensos vena, contusaq; cum octo partibus plus granulorum plumbi nigri mixta colanda, ad quantitatem vnius digiti, & desuper etiam carbones vsq; ad summitatem furni ponantur, & cum ventosis follibus aurum cogatur à Lopa effluere. Modus vero alius per Cinericium sic fit. Cinericium.

Substantia dicta vt supra cum plumbo nigro mixta collocetur in fouea Cinericij, ac desuper ligna accensa, & cogatur vt supra colari quousq; imperfecta per Geta effluat, & fulua forma tota munda resideat. Primum autem colamentum maius est secundo. Quia manica plus acuitatis caloris infert, quam Cinericium.

Fit etiam per Balneum arenæ vt infra in Fornace, cuius figura habetur in titulo moduli fornacis magistralis, modo vt supra in purificatione spiritus Voarchadumici. Et causa nostræ primæ inuentionis talis Balnei arenæ, fuit essentiæ puræ Arg. viui mundatio (vt dictum est) facta per eleuationem. Per primum enim colamentum, & secundum, solum resultat clarificatio substantiæ, & essentiæ elementorum. Balneum arenæ

Visis ergo modis colamenti, & quid sit colamētum, accedamus ad reliqua.

Quoniam autem (secundum Hermetem) in vnaquaq; re corruptibili, tria sunt consideranda, primum quod est vtile aqua, secundum oleum, tertium fęx. Tamen nullum istorum habet esse distinctū in isto mixto corrupto, sed confusum, & indiuisum. Quod quidem ab aliquibus vocatur Chomertisson mea à melachot, quod est vitrum in annihilabile, vnde dicitur, Deus, id est artifex, creauit id est miscuit, primo cælos, id est rarum, & terram id est densum, quos cælos ad propositum transferentes vocamus sublimationem, terrā vero mixtum nigrum. Et cum rubro istius terræ plasmauit, id est multiplicauit Adam, id est aurum, & cum Adam, viraginem, id est tincturam, mixtum nostrum, in quo sunt aliquæ corruptiones, quæ per ignem expurgantur. Vnde inquit Alphidius, scito fili, quod in libro fit librorum perfectio,

& certissimum est opus eis, qui ratiocinantur. Iam ergo mandaui tibi quod proponis, videlicet Adam, & prohibui ea quæ opus corrumpunt, id est, viraginem. Demum illud idem hac de re asserere possumus, ꝙ de nutrimento corporis humani à medicis recte proditur. Primum enim Massa ptyssanaria, siue Chylus in stomacho conficitur. Deinde ex eo in epate quatuor gignũtur humores scilicet Phlegma, sanguis, cholera, & melãcholia. Postremo debita facta digestione, corpus humanum nutritur, sustẽtatur, & regitur. Hoc idem ipsi dicunt per alia verba. Nam natura primo digerit in stomacho dealbando, secundo in epate rubificando, vltimo in mẽbris subtiliando, ac conglutinando, perficiendoq;. Tu vero, si hæc (quæ diximus) tuis nauiter, ac scite accommodaueris operationibus, facile, proculq; dubio voti compos euades.

Cape igitur in nomine sanctæ, & indiuiduæ trinitatis materiam primam artis, cum aere, & igne rubificatis: vna cõiunctis (vt dictum est supra) in lapideo Aludel, vt mixtum vnum fiat cum aqua sicca (vt supra, & infra) mundata per viã sublimationis. Hæc aqua sicca imo mundatio eius vocata fuit initium, & clauis operationis per Alphidium sic dicentem, scito fili, quod thesauri non euanuerunt, verum intus seruantur, & absconduntur à tuis oculis cum domum ingredieris, volo tamen tibi vnam clauem tribuere, quam eorum signũ voco, quod si rationem habes, residuas sex claues scies, & extrahes tua scientia ex ea. Porro hæc vna clauis est aqua sicca, quæ fit per vas sapientum, & modum sublimationis. Per istam vero clauem incipit operatio, & fit per ipsam postmodum extractio reliquarum sex clauium, & cognoscuntur.

Mixtum igitur ac putrefactum cum maiori Luce & minori æquatum prædictum in mundo lapideo Aludel: nam aliud vas nos potest ignem sustinere, recipiatur. Iterumque ipsum collocetur in Furno generationis, ac detur ignis, vt totum illud in Marthek deueniat, nulla terminatione ignis prætermissa, quia motus debet esse continuus, & non interruptus. Propterea omnia necessaria recolantur quousque totum perficiatur.

Motus tertius, Clauis 5. & secundum punctum. Augmẽtatio.

Augmentatio fit ad modum augmenti Lunæ. Nam sicut per aspectũ solis, Luna incipit illuminari, & postea omni die augmentatur lumen eius, quousq; tota sit illuminata, sic etiã æquatum incipit per fimum rubificari, donec totum fuerit

rubifi-

rubificatum. Et hoc dicit Hermes in secreto suo videlicet, vitis sapientũ succus in. 42. diebus extrahitur, eius vinũ in fine. 30. pagitur, de cætero ipsum diminuit. Alteratio vero augmẽtat, sicut Luna post. 15. dies diminuitur, & post. 30. augmentatur.

Fit etiam hæc coniunctio ad modum corporis & animæ. Nam sicut anima corpus ingrediẽs viuificat ipsum, sic fumus albus animatus oleum vitri corpus suum. Vnde inquit Alphidius, prosequente fugientibus, obuiante vtrisq; fuga aufertur & mora sequitur, & natura cepit suum comparem vt inimicum: & se adinuicem continuerunt, & continent, quoniam anima corpus introiuit. Istud punctum est secundũ punctum operationis, & in domo Iouis, quod est augmẽtationis. Idem dicit Rhodianus, cum Embryonem reducit.

Notabis Embryon. Sicut enim Embryon est massa, ex qua natura format in matrice fœtum, & disponit omnia membra sua, sic istud punctum est massa, ex qua totum magisterium perficitur. Item istud punctum est etiã materia, ex qua omnia metalla ducunt originem. Vnde inquit Alphidius, vt enucleatius intelligas me loquentẽ, volo vt scias de qua materia metalla ducunt originem. Attende itaq;, aqua grauis & viscosa, in visceribus terræ, non habens exitum foras, si prope habeat sulphur metallicum eius excocta calore, conuertitur in Arg. viuum. Et sic notabis, quod aqua viscosa, & sulphur metallicum sunt materia generalis omnium metallorum. Hoc idem dicit Geber, cum diffinit Arg. viuum dicens, Arg. viuum est aqua viscosa sulphure metallico densata in visceribus terræ, per calorem temperatissimum vnita totali vnione per minima, quousq; humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter.

Notabis ergo aquam viscosam, & essentiam albam, quam dicimus esse etiam materiam particularẽ argenti. & Stanni.

Item notabis calorem temperatissimum, tanquam instrumentum perficiens ipsam.

Item notabis modum perficiendi, cum dicit, quousque humidum contemperetur à sicco.

Item notabis, quod Argentum, Argyrion, bos, Caspa, Chesseph, essentia alba, Fada, femina, forma mulieris, gallina, Giumis, he, hypostasis, Luna, olus, ouis, septem, Smerata, & alia idem sunt.

Visa autem electione, mũdatione, mixtione, corruptione, gene- I.

Embryõ.

Materia metallorum.

Arg. viuũ quid.

Notandũ.

Calor tẽperatissimus modus perficiendi.

Notandũ



Motus quartus, Clauis. 6. & secundum punctum. Fixatio per diminutionem.

generatione, alteratione, cum loci mutatione, sublimatione, & augmentatione formæ, videam⁹ eius fixationē, q̄ fit per diminutionem, qui est quartus motus naturæ, quæ diminutio dicitur, & fit p̄ decoctionē, vt narratū est supra in pręallegato secreto Hermetis videlicet, vitis sapientum, & cætera. Nam sicut Luna postquam plena est, de die in diem incipit diminui donec de ipsá nihil appareat, sic albedo, & illuminatio istius æquati incipit diminui per decoctionē, donec tota albedo diminuta sit, & appareat rubedo per nigredinem, & citrinitatē, quæ penitus apparebit, si non remanserit aliquid de illa humiditate aquosa, quæ mittit albedinē. Si vero quid remanserit, tunc nō est facta desiccatio, Siccetur ergo donec deueniat & tunc bene erit. Cui rei & illud Hippocratis in Aphorismis aptamus. Inanitio si qualem oportet fieri, fiat, cōfert, & bene erit. Si vero non, è cōtra. Glossa, inanitio, id est, desiccatio. Itē Hermes, Ponite igni ipsius humiditatē, & in humido ignem habitare facite, qui ignis sua caliditate huiusmodi manifestæ humiditatis colorē auget, & occultæ siccitatis combustionē, donec perfectum fiat. Item Alphidius, Inspice fili, quia scripturus sum tibi librum, cuius verba si intellexeris, hanc artem inuenies, si fueris de his, qui Dei gratia sunt eam inuēturi. Si vero hæc verba non intellexeris, non accedas ad operādum, nisi inceperis tentare, & aquas coquere, quę putrefaciēdo spissantur putrefactionis manifestæ humiditate, & vi occultæ siccitatis ipsius corporis, cuius genus est quoddam sal de genere

Salsosa.

salium. Extractum enim est ex Salsosis, quæ in quolibet anni tempore generantur in gingiuis marium.

Inspissatio.

Notabis ergo, quod per putrefactionem fit inspissatio ex conuersione frigidi & humidi in caliditatem, & siccitatem, quod apparet ibi supra. Cape igitur in nomine sanctæ, & indiuiduæ trinitatis, & cætera. Nam aurum mixtum cum Arg. viuo cum incipit alterari, efficitur nigrum vt carbo. Vnde, inquit Hermes in allegoria sua, Marthek noster inquisitus caret simili, & est citrinus aureus extrinsecus, & intrinsecus. Cum autem mistū eius alteratur, fit nigrum & tenebrosum vt carbo. Spiritu aūt ab eo ablato color est rubeus, spiritu item & anima sibi redditis viuit, & lætatur, & vides eum ridentem, & hilarem, ac morte carentem. Benedictus igitur sit ille, qui scit dispositionē hanc, qui mortificat & viuificat, & omnipotēs est. ItēHermes in eodē loco, Ego sum albū nigri, & nigrum albi.

albi. Et sic apparet, quod alteratio est ab albedine in nigrediné, & à nigredine in albediné Et vlterius ista desiccatio, siue dispositio cõtinue facit conuersioné in caliditatis naturã, id est in rubediné, quæ tamen prouenit ex parua dealbatione. Hoc idem dicit Rosinus, cum ait, quod ars Marthek non sit nisi ex Risoo stanno, vel & cætera. Ex quib. debet intelligi, quod vnus est dispositor nigri, Albi, Citrini, & Rubei. Et hoc est quod dicit Alphidius, scito fili, quod in huius maris profundo Margaritæ diuersorũ colorũ nascũtur, in quo & hyacinthus diuersi coloris ascendit, & etiã ipsum scilicet Marthek colorat corpora per colorem suũ. Cum. n. fuerit calidum, erit rubeum, cum vero frigidum fuerit, erit albũ, similiter erit caloris & candoris Solis & Lunæ. Et rubeũ est caliditas, & albedo est frigiditas, intellige ergo & obserua. Item notabis, quod Rubedo est signũ caliditatis, & Albedo frigiditatis. Et istud est tertiũ punctum artis, & in domo Martis, quod est alterationis, Hermete sic asserẽtẽ, tertio mense operatur Mars agẽs in materiam, qui ex sua caliditate & siccitate diuidit Massam ipsam, & membra disponit. Signa qualitatum.

Notabis membra. Nã sicut in matrice natura disponit mẽbra tanquam partes integrales ipsius fœtus, sic & istud corpus rubeum tanquam partem integralem totius confectionis medicinę. Nam in omni compositione, quę fit postquam istud corpus terminatum est, cadit semper tanquam pars integralis compositionis, vt inferius declarabitur. Notandum.

Item notabis, quod istud corpus habet multa nomina. Vocatur. n. Acidũ, Acutũ, Adã, Almagra, Altum, Alzernad, Aries, Aurum alteratũ, tinctũ. Cadima, Cancer, Carmeth, Chibur, Cholera, Cinis tartari, Corsufle, Dehab, Deheb, dextera, ęs, æstas, forma viri, Falco, Fęx, Gallus, Gophrit, Granusæ Thiops, Hageralzernad, infinitũ, Kibrit, lapis indus, indrademus, Lazuli, mane, Mars, masculus, Marthek Oliua perpetua. Oriens, petra stellata, Phison, residẽtia, rex Raçõ, Sol, Subsolanus, Tamuç, tertius decimus, Thelima, Thion, Thita, Vau, Vena, Virago, Toarch, Xit, Zahav, Zumech, Zumemelazuli. Et etiã multis alijs nominib. appellatur à sapientib. Quæ quidé nomina nõ sunt ei attributa secundũ vnã rationé, seu proportionem. Nã sapientes, qui vocauerunt illud Acidum, & cætera, dixerunt sic propter suã alteratã cõplexionem. Calidæ enim hæc omnia & siccę cõplexionis sunt cum alterẽtur. Notandum. Synonyma.



Cõplexio.

Qui vero nuncupauerunt ipsum Aduma, gummam rubeam, oleum rubeum, rubedinem, rubinum, Sericon, substantiam rubeam, sulphur rubeum, vitellum, vitriolum rubeum, ꝓpter colorem rubeum hoc dixerunt. Qui autem nominauerunt ipsum ferrum, oleum martis, propter impotentiã fusionis, i. duræ hoc dixerunt. Nã cum hoc corpus ꝑ decoctionẽ priuatũ sit humiditate superflua, q̃ faciebat ipsum fluere, & necesse sit corpus siccum nõ fluere, ideo vocauerunt id ferrum, quia præ alijs metallis ferrum dicitur maxime fixum. Sic etiam istud corpus per priuationem superfluæ humiditatis, quæ faciebat ipsum primo fluidum, modo est necesse, vt remaneat fixum. Nam omnia corpora non fixa, fixantur per talem priuationẽ humiditatis, quæ vocata fuit calcinatio à multis sapientibus. Vnde inquit Geber, calcinatio est rei per ignem purificatio, seu puluerizatio ex priuatione humiditatis partes consolidãtis, & fluere facientis. Et causa inuentionis calcinationis luminarium, argentorumq; viuorum insimul est, vt ibi magis, & melius denseretur terra, terræ residuæ in luminaribus cõuersa. Sic ergo fit per priuationem humiditatis, quod erat volatile fixum, & quod molle durum. Item fit mutatio de natura in naturam. Et de aqua in ignem secundum naturales: vt legitur in Turba. Item mutatio cõplexionum, vt de frigida & humida cõplexione in calidam & siccã. Seu de phlegmatica in cholericam, secundum physicos. Item fit quod erat spirituale corporeũ, secundũ auctorẽ perfecti magisterij. Item fit de manifesto, occultum, secundũ Rhodianũ in libro trium verborũ.

Color rubeus. *Impotentia fusionis.* *Calcinatio quid.* *Cur inuẽta.*

Sciendum est item, quod in vnoquoq; corpore sunt tres dimensiones scilicet longitudo, latitudo, & profunditas, Philosopho teste, primo cæli.

Longitudo, latitudoq; est id corporis, quod manifeste apparet, nostroq; visui primum subiacet. Exempli gratia, corpus nostræ artis in prima sua dispositione est album, & ita apparet prima facie, quia dicimus ipsum frigidum, & humidum, vt est. Rhodiano sic asserente, corpus nostrum est aquaticum, quia est frigidum & humidum, & aqua est frigida & humida. Humidum autem fluit. Quod vtique verum est, & talis dispositio dicitur corporis longitudo, ac latitudo.

Dimensio triplex.

Altitudo vero est illius medicinæ dispositio, per quam itur ad profundum, quæ nostra medicina est, & est vita altitudinis ac profunditatis, tanquã medium inter duo extrema, seu contra-

traria,per ꝙ in extremũ peruenitur,quia impossibilis est trãsitus de extremo ad extremũ sine medio:teste philosopho, sexto Physicorum.Sæpe enim dictum est, ꝙ materia prima artis est humidæ & frigidæ complexionis,q̃ si volumus facere trãsire ad medicinam dispositiuam, necesse est vt altera qualitas destruatur in ea. Destruitur autem per putrefactionem.Nam frigidum & humidum per putrefactionem inspissatur, & eius humiditas vertitur in siccitatem,& sic fit transitus ad medicinam dispositiuã,quæ est caliditas & siccitas, quæ fit Altitudo. Natura tamen à frigido & humido frigiditatẽ, & à calido & sicco siccitatẽ recipit,& fit corpus. Postea vero per calorẽ excessiuũ,si qua humiditas remãsit in corpore, fit trãsitus ad cõtrariũ,destruendo frigiditatẽ & introducendo caliditatẽ, quæ dispositio dicitur ꝓfundum,seu occultũ corporis. Et hoc patet in libro ꝑfecti magisterij in particula illa ferrũ, id est Sulphur rubeũ in sua altitudine est frigidũ,humidum,calidũ,siccum,cholericũ,rubeum,acutũ,odoriferum,masculinum,&c. Qualitates Sulphuris rubei.

Hactenus visum est qualiter materia, id est Sperma metallorum Arg.viui passiui bene dispositi conuertitur de natura in naturã,scilicet de frigiditate & humiditate in caliditatẽ & siccitatẽ formæ Auri actiui ꝑfectæ tincturæ.Et qa in isto puncto maior pars sapientũ incipit loqui,vt Alpidius de minera, qui dicit,sulphur rubeum. Lucas vero,masculinum,cum dicit:Accipite Marthek:& dealbate eum,&c. Et plures alios sapientes possumus adducere in eandem sententiam, quos in p̃sentia omittimus breuitatis gratia. Ratio autẽ, quare omnes fere initium sumpserint ab ista forma rubea, est: qa ista forma rubea est principium totius Tincturæ, nec fit Tinctura vera sine ea. Vnde Rosinus inquit : Scitote quod non fuit aliquis, qui in hac arte verbũ dixerit omni velamine denudatũ præter Hermetem.Is enim dicit:Scitote ꝙ non fit in tinctura vnquã, nisi ex rubeo lapide.i.Auro fuluo cum Arg.viuo rubificato Itẽ Geber de Essentia(.i. substantia) Solis asserit ꝙ Sol creatus est ex subtilissima Arg.viui substantia, & ex modica substantia Sulphuris metallici mundi,& puræ rubedinis,fixi,clari,& à natura sua mundati,tingent is illã substantiã. Item Geber dicit de sole:Aurum est pretiosissima metallorũ forma, & tinctura rubedinis:qa tingit,trãsformat,& illuminat omne corpus,quoniã lumẽ est,& tinctura vera, & ꝑfectio totius operis diuini,ꝙ Deus electis suis largitur:cui sit laus semper,honor, & gloria. Forma metallorum.

Requisita Voarchadumicæ artis.

CAPVT QVARTVM.

PRæter ea instrumenta(quæ non pauca reperiuntur. Vicẽtio teste)Affinationis,scilicet Aurifabrilis, Cudimiæque, quæ singula ad artem præsentem Voarchadumicam, tanquam eam ingredientia requiruntur: nonnulla etiam ad propositum facientia,summatim resumendo, enucleabimus.

A.

Synonyma. Æquilanx,cum ponderibus iustificatis,vt infra.

Aer cum Plumbo nigro mundatus: & cum materia prima artis,aliter lux minor vocatur,&c.

Alteratio mixtionis.

Synonyma. Aludel, aliter venter equi confectum ex lapide lebetum, qui in diœcesi Mediolanensi inuenitur, in loco vocato Chiauena,& vico nomine Piur,petra columbina, tufo Veronensi, terra argillæ, crucibulorum,seu valentina,&c.

Synonyma. Anthybar aliter Marthek, & cætera.

Aqua,aliter Arg.viuum,& cętera.

Synonyma. Aqua cælestis calida,& frigida,aliter pluuialis,&c.

Aqua diuidens.

Arena alba.

Artificem vnctũ gratia,morigeratumque;liberum ac liberalẽ.

Argumentatio mixtionis.

A

Balneum arenæ.

C

Cacabus confectus ex terra valentina.

Cæmentum.

Calor temperatissimus.

Carbo.

Synonyma. Caraha confectum ex Lapide lebetum(vt supra) petra columbina,tufo veronensi,vel terra argillæ,crucibulorum,seu valentina,&c.

Catinum ligneum.

Chirotheca.

Synonyma. Clepsydra,aliter Horologium,&c.

Crysocolla

Synonyma. Cinericium.

Coagulatio me Aduma,vel Acidi,&c.

Olla

O

Olla terrea non vitreata.

P

Profidum molare.
Principia artificialia, naturaliaque.
Proiectio me aduma tam super insipidum, quam metallum.

R

Receptaculum ligneum.
Registrum ferreum.
Reiteratio miscibilium.

S

Sacculus ex tela alba.
Spumatorium instrumentum ferreum.
Sublimatio Argenti viui.

T

Synonyma. Terra, aliter oleum vitri, &c.
Tria salia.
Trituratio miscibilium.

CAPVT QVINTVM.

INter alia quæ arti Voarchadumicæ requiruntur, fornax supellectili sua instructa proponitur, sine qua nihil prorsus operari potest artifex. Hanc ex lapidibus argillæ, seu Tufis sectis, & luto tomenti diximus construendam: iuxta modulum
Columnæ. hic infra positum. Quatuor igitur Columnæ suis basibus innixæ: altitudinis pedum trium & semis, ad quatuor angulos
Tria strata. ab inuicem, longitudinis trium pedum, & totidē semipedum, latitudinis autem duorum pedum, discrete erigātur. Tria inter se strata seu pauimenta, interuallis duobus distincta (medium, scilicet ab infimo, quivis semipedibus in arcus suspen-
Pauimentum medium. sum, à supremo vero semisse gemino cessum) continentia. Hoc inquam medium pauimentum (vbi iacet ignis) spondilibus dimidij terais hinc, & hinc septum pedis crassitudine
Domus ignis. sternatur. In cuius medio foculare, seu domus ignis quadrangulari forma statuatur, cuius latera per transuersum duorum pedum cum dimidio semis, reliqua vero duo trium semipedum spatium metiantur, cum sua crate ferrea super
Cratis ferrea. verram ferream semipedalem in obice, seu nembello (vt
Portæ. vulgus appellat) sita, octauo pedis circumdata, cum quatuor portis, cuiq; lateri sua, quarum duæ interiores (vnde flamā, ceu

per

per caminos æstuet in furnos) dimidiati semipedis, exteriores autem ferreæ claudentes, dimensionem semis capiant. Furni autem vtrinque ad longum fornacis, pedis mensuram occupent. Registrum item ferreum, alteram interiorum portam obturãs, tantum sit, quanta fuerit altitudo, ac latitudo interualli, ab hoc ad supremum pauimentum. Subter cratem vero, vbi cineres igniti cadent (ob euitandum ignis periculum) fiat Latrina ærea longitudinis duorum pedum, latitudinis vnius, & totidem altitudinis, semiplena semper aqua, cum quatuor rotis, & annulis duobus, leoninis capitibus insertis, quibus impelli possit, & extrahi. Supremum tandem pauimentum siue planum circumuallétur mœnibus dimidio semisse crassis. In eius medio Canna situetur altitudine trium semipedum, semissis vero capax per diametrum, tunicata autem dimidiato semipede, cum obice ab intus. Eius plani area per longum fornacis strata, cannæ & sui contraforti interuentu diuisa pedem latitudis habeat, cum spiraculo ad vtrumque extremum nihiloplus aperto, quam dimidiati semipedis dimidio. A dextris cannæ sex lapidei Aludel cũ suis lapideis Caraha, semissis capaces, tam in altitudine, quam latitudine, totidemque à sinistris ponantur. Sic erit tota fornax in omni sua dimensione consummata. Addito cannæ operculo terreo, suis cum gingiuis ferreis armato, inserto obici: cuius capulum sit instar forcipis: longitudinis trium pedum & semis, ipsum amplectens operculum, in modum vectis retorti.

Furni.
Registrũ.
Latrinæ dimensio.
Supremum pauimẽtum.
Canna.
Plani area
Spiraculum.
Aludel.
Caraha.
Operculum.

Sum-

Summarium Voarchadumiæ.

Numeri naturarũ ſalium materiæ primæ artis.
Qualitates primæ materiæ prædictæ.
Elementa cum materia metallorum, oleiq; vitri.
Mundatio Clauis. 1.
Mixtio, Clauis. 2.
Corruptio, Primus motus: Cla. 3. &primum punctum.
Generatio, ſecun. mo. Cla. 4. An. tert. mo. Cla. 5
Fix. q̃r. mo. Cla. 6. & ſec. punctum.
Alter. cum loci mutatione, quint. mot. Cla. 7. & ter. punctum.
Minera ꝑpetua.
Fundamẽtum artis.

N I	N 2	N 3
CALIDI SICCI	AER.	HVMI FRIGI
IGNIS.	TERRA.	AQVA.
G ✠	DIES.	10 T
R I	I	I E
A III		7 M P
D II		5 O
V I		3 R
S ● SVL	● RVBEVM.	° A FVR

Res neceſſaria Voarchadumicæ artis.

CAPVT PRIMVM.

MVltimode in præcedentibus portionibus traditũ fuit, quid ars Voarchadumica eſſet, quidque tractaret, ac in ſe contineret: necnon qualia ſint ignis, aer, & aqua metallica

tallica:infimul rubificata,ac terra potentialis, aliaque diffuse superius enarrata. Modo reliquum est, quod superest artis explere,ac literis tradere.Igitur lector solertissime, per Chomer rison mea à melachot materiam primam artis naturæ vitri notabis. Notandũ.

Per Muchabelim recipientes,Mecubalim recipientium.

Per Chesseph chai, Arg.viuum, ab Arg.viuo cum arena alba per ignem septies mundato.

Per Gophrit, sulphur rubeum, quod est Marthek septies multiplicatum.

Ithochodut horucot,Iachid baruchot, Vnionẽ spirituum, hoc est ignem,&aerẽ,albumen ouorũ gallinarum nuncupatũ.

Et per Douor, Dauar echad, vnam solam rem, nempe argillam crudam simplicem, oleum vitri, Aurum, Argentum, Argentumque viuum disponentem,conuertentem,constringentem,ligantem,necnon dantem proportionem.

Superfluum enim, imo absurdũ esse arbitramur speciatim quæ,quot,& qualia sint elementa metallica, naturaliaque,in Voarchadumicæ cabalisticũ magisterium metallorũ ingredientia aliter dilleri à nobis. Quid item sit forma, quid materia prima artis,quid materia metallorum.Item quid medium dispositiuũ. Rursum quid oleum vitri, quid Aurum, quid Argentum: quid deinde Arg.viuum de corde Saturni,id est de visceribus terræ,quid deniq; Argilla cruda simplex, silẽtio præterire Decretũ fuit. Nam hæc vti prima elementa, & sine quibus maiora sciri non possunt,cuilibet,vel mediocriter erudito notandum esse censemus. Notandũ.

Consũmatur autem arcanum hoc mysteriũ fimi equini,hoc est ignis,medio (vt iam diximus)sub Nutu, determinatoque temporis spatio, cum tricuci Graduillo huiusmodi sicut superius elucidauimus, & vlterior erit sermo in sequentibus.



Quanto temporis dierum, scilicet & horarum spatio opus sit in operatione ac resteratione.

CAPVT SECVNDVM.

	Dies,&	Horæ.
N.	Sexindicat,&.	12. in corruptione
V.	Decem in genitura.	
T.	Nouem,&.	12. in augmentatione.
V.	Decem denique in fixatione cum alteratione per locũ mutationem.	

Motus namq; iam dicti omnes tricruci illo Gradu terminandi sunt.

Summa vero dierum simul cum horis sunt dies.36.

Septenario autem numero cribrationes, id est reiterationes perficiuntur. Quare horum omnium vna congregatorum dies omnes sunt.52.

Carbonum quantitas pro Voarchadumiæ complemento.

CAPVT TERTIVM.

Error, cui statim emergenti non occurritur, postea in immensum auctus facile nō conceditur emendari. Ne quid igitur ob negligentiam nostram in opere huiusmodi desideretur ad perfectionem requisitum, subdimus etiam Carbonum quantitatem. Nam sine hac nunquam voti sui compos artifex euadet.

Carbonū quantitas.

Huius ergo summa est. 84. Corbarum ad mensuram, quā Venetijs vtimur, vna scilicet pro quotis quibusq; trinis diebus, Aduma existente librarum.473. Oz.o. quod. i. k. 15. g.3. Quæ sunt Postæ.23. Rubus.1. Marchæ.6. & cætera. Vna supra Decem partes plumbi nigri proiecta.

Medicinæ Voarchadumicæ reiterationes alteratiuæ.

CAPVT QVARTVM.

IN medicinæ autem Voarchadumicæ reiterationibus cadit vna supra. C. partes, supra. D. partes, & sic in reliquis. Vnus itaque, trinusque ineffabilis Opifex laudetur per secula cuncta, qui sua bonitate immensa Cabalisticis metallorum (hoc est visu percipientibus) tantum gratiæ, munerisque largitus est.

Schema de proportione argenti.

CAPVT QVINTVM.

Arg. minus perfectum.		Æs minus imperfectum.
.7.	1008.	1.
.6.	864.	2.
.5.	720.	3.
.4.	576.	4.
.3.	432.	5.
.2.	288.	6.
.1.	144.	7.

Mixtio

Mixtio Argenti proportione diuisa.

Argenti puri.	Proportio.	Respondentia.	
K. .576.	K. .576.	Oz. .iiii.	
.612.	.540.	.iiii. ꝗ.i.	Principium alterationis Argenti.
.648.	.504.	.iiii. ꝗ.ii.	
.684.	.468.	.iiii. ꝗ.iii.	
K. .720.	K. .432.	Oz. V.	
.756.	.396.	.V.ꝗ.i.	
.792.	.360.	.V. ꝗ.ii.	Bona alteratio.
.828.	.324.	.V. ꝗ.iii.	Nostra alteratio.
K. .864.	K. .288.	Oz. vi.	
.900.	.252.	.vi. ꝗ.i.	Bona alteratio.
.936.	.216.	.vi. ꝗ.ii.	
.972.	.188.	.vi. ꝗ.iii.	
K. .1008.	K. .144.	Oz. vii.	Nostra alteratio.
.1024	.128.	.vii. K. 16.	
.1044.	.108.	.vii. ꝗ. i.	Bona alteratio.
.1080.	..72.	vii. ꝗ. ii.	
.1092.	..60.	vii. ꝗ. ii. K. 12.	Ligatura. Veneta.
.1116.	..36.	vii. ꝗ. iii.	Moneta
.1128.	..24.	vii. ꝗ. iii. K. 12.	Cinericium.

In proportione Auri schema. Caput sextum.

Aurum magis perfectum. Argentum minus perfectum.

.11.	22.	..1.
.10.	20.	..2.
..9.	18.	..3.
..8.	16.	..4.
..7.	14.	..5.
..6.	12.	..6.
..5.	10.	..7.
..4.	.8.	..8.
..3.	.6.	..9.
..2.	.4.	.10.
..1.	.2.	.11.

Mixtio Auri in proportione diuisa.

Auri fului.	Proportio.	Respondentia.
K. 576.	K. 576.	K. xii.

Principiũ alteratio-nis Auri.		.582.		.570.		.xii.	g. $\frac{1}{2}$.
		.588.		.564.		.xii.	g.i.
		.594.		.558.		.xii.	g.i. $\frac{1}{2}$.
		.600.		.552.		.xii.	g.ii.
		.606.		.546.		.xii.	g.ii. $\frac{1}{2}$.
		.612.		.540.		.xii.	g.iii.
		.618.		.534.		.xii.	g.iii. $\frac{1}{2}$.
	K.	.624.	K.	.528.	K.	.xiii.	
		.630.		.522.		.xiii.	g. $\frac{1}{2}$.
		.636.		.516.		.xiii.	g.i.
		.642.		.510.		.xiii.	g.i. $\frac{1}{2}$.
		.648.		.504.		.xiii.	g.ii.
		.654.		.498.		.xiii.	g.ii. $\frac{1}{2}$.
		.660.		.492.		.xiii.	g.iii.
		.666.		.486.		.xiii.	g.iii. $\frac{1}{2}$.
Bona alteratio.	K.	.672.	K.	.480.	K.	.xiiii.	
		.678.		.464.		.xiiii.	g. $\frac{1}{2}$.
		.684.		.468.		.xiiii.	g.i.
Nostra alteratio.		.690.		.462.		.xiiii.	g.i. $\frac{1}{2}$.
		.696.		.456.		.xiiii.	g.ii.
		.702.		.450.		.xiiii.	g.ii. $\frac{1}{2}$.
		.708.		.444.		.xiiii.	g.iii.
		.714.		.438.		.xiiii.	g.iii. $\frac{1}{2}$.
	K.	.720.	K.	.432.	K.	.xv.	
		.726.		.426.		.xv.	g. $\frac{1}{2}$.
		.732.		.420.		.xv.	g.i.
		.738.		.414.		.xv.	g.i. $\frac{1}{2}$.
		.744.		.408.		.xv.	g.ii.
		.750.		.402.		.xv.	g.ii. $\frac{1}{2}$.
		.756.		.396.		.xv.	g.iii.
		.762.		.390.		.xv.	g.iii. $\frac{1}{2}$.
Ligatura. Veneta.	K.	.768.	K.	.184.	K.	.xvi.	g.
		.774.		.378.		.xvi.	g. $\frac{1}{2}$.
		.780.		.372.		.xvi.	g.i.
		.786.		.366.		.xvi.	g.i. $\frac{1}{2}$.
		.792.		.360.		.xvi.	g.ii.

	.798.		.354.		.xvi. g. ii. $\frac{1}{2}$.	
	.804.		.348.		.xvi. g. iii.	
	.810.		.342.		.xvi. g. iii. $\frac{1}{2}$.	
K.	.816.	K.	.336.	K.	.xvii.	
	.822.		.330.		.xvii. g. $\frac{1}{2}$.	
	.828.		.324.		.xvii. g. i.	
	.834.		.318.		.xvii. g. i. $\frac{1}{2}$.	
	.840.		.312.		.xvii. g. ii.	
	.846.		.306.		.xvii. g. ii $\frac{1}{2}$.	
	.852.		.300.		.xvii. g. iii.	
	.858.		.294.		.xvii. g. iii. $\frac{1}{2}$.	
K.	.864.	K.	.288.	K.	.xviii.	Bona alteratio.
	.870.		.282.		.xviii. g. $\frac{1}{2}$.	
	.876.		.276.		.xviii. g. i.	Nostra alteratio.
	.882.		.270.		.xviii. g. i. $\frac{1}{2}$.	
	.888.		.264.		.xviii. g. ii.	
	.894.		.258.		.xviii. g. ii. $\frac{1}{2}$.	
	.900.		.252.		.xviii. g. iii.	
	.906.		.246.		.xviii. g. iii. $\frac{1}{2}$.	
K.	.912.	K.	.240.	K.	.xix.	
	.918.		.234.		.xix. g. $\frac{1}{2}$.	
	.924.		.228.		.xix. g. i.	
	.930.		.222.		.xix. g. i. $\frac{1}{2}$.	
	.936.		.216.		.xix. g. ii.	
	.942.		.210.		.xix. g. ii. $\frac{1}{2}$.	
	.948.		.204.		.xix. g iii	
	.954.		.198.		.xix. g. iii. $\frac{1}{2}$.	
K.	.960.	K.	.192.	K.	.xx.	Bona alteratio.
	.966.		.186.		.xx. g. $\frac{1}{2}$.	
	.972.		.180.		.xx. g. i.	Nostra alteratio.
	.978.		.174.		.xx. g. i. $\frac{1}{2}$.	
	.984.		.168.		.xx. g. ii.	
	.990.		.162.		.xx. g. ii $\frac{1}{2}$.	
	.996.		.156.		.xx. g iii.	
	.1002.		.150.		.xx. g. iii. $\frac{1}{2}$.	

	K. .1008.	K. .144.	K. .xxi.
	.1014.	.138.	.xxi. g. $\frac{1}{2}$.
	.1020.	.132.	.xxi, g. i.
	1026.	.126.	.xxi. g. i. $\frac{1}{2}$.
	.1032.	.120.	.xxi. g. ii.
	.1038.	.114.	.xxi. g. ii. $\frac{1}{2}$.
	.1044.	.108.	.xxi. g. iii.
	.1050.	.102.	xxi. g. iii. $\frac{1}{2}$.
Bona alterario. Nostra alteratio.	K. 1056.	K. ..96.	K. .xxii.
	.1062.	. 90.	.xxii. g. $\frac{1}{2}$.
	.1068.	..84.	.xxii. g. i.
	.1074.	..78.	.xxii. g. i. $\frac{1}{2}$.
	.1080.	..72.	.xxii. g. ii.
	.1086.	..66.	.xxii. g. ii. $\frac{1}{2}$.
	.1092.	..60.	.xxii. g. iii.
	.1098.	..54.	.xxii. g. iii. $\frac{1}{2}$.
Bona alteratio. Nostra alteratio.	K. .1104.	K. ..48.	K. .xxiii.
	.1110.	..42.	.xxiii. g. $\frac{1}{2}$.
	.1116.	..36.	.xxiii. g. i.
	.1122.	..30.	.xxiii. g. i. $\frac{1}{2}$.
	.1128.	..24.	.xxiii. g. ii.
	.1134.	..18.	.xxiii. g. ii. $\frac{1}{2}$.
	.1140.	..12.	.xxiii. g. iii.
	.1146.	...6.	.xxiii. g. iii. $\frac{1}{2}$.

Res magis principales ad Voarchadumiam pertinentes, sub nota, cum ostensione prædictarum notarum.
Caput septimum.

Metamorphosin quidem Arg. viui animati palam, abundeq; ac dilucide præsenti volumine, lector peritissime (vt clarum est tuæ sapientiæ) iam solo eius intuitu publicauimus. Normam item eius ad finem vsq; perfectũ redegimus. Nunc autem prolixitati, laboriq; heredum doctrinæ huiusmodi consulentes absc̃odita magis reuelando, paucis arcani huius mysteriũ referamus. Dicimus namq; sapientum Lopas tres esse: animalẽ scilicet vegetalem, & mineralẽ. Perfecturus itaq; animalem, ab animatis sumat initium, sine quo, & congruo temporis spatio, idæam educi viuentem minime

Lopa sapientum triplex.

nime posse sciat. At vegetalem similiter cupiens, illud non ignoret, granum cadens in terram ni moriatur, solum esse mansurum & in fructuosum. Mortuum vero fieri fertile. Si denique appetat mineralem, votum nequaquam sortitu-rum se agnoscat, sine processu, atque intelligentia. 448 400. 344. &, 512. Quare quisque ad audiendum aures arrigat. Aperte equidem iam supra, infraque patefecimus quicquid sapientes hactenus inuolutum suis ænigmatibus, & inuolucris scripserunt. Noticiam igitur tanti, tamq; mirandi mysterij sub elementi nomine illo denotati quicunq; nanciscetur, per sacrosanctum Dei nomen, eum admonemus & adiuramus, ita caute seruet, ita ipsum tractet, ne panis filiorum Alchemistis, indignisve tantum munus sponte nostra, elargiamur.

Notarum prædictarum Voarchadumiæ artis ostensio,

I. 9. A.. 1 A... 1. T. 19.
G. 7. E.. 5. Q. 16. E.. 5.
N. 13. R. 17. V. 20. R. 17.
I.. 9. I.. 9.. A.. 1. R. 17.
S 18. S. 18. E.. 5. AE. 6.

56. 50. 43. 64.
8 8 8 8

448. 400. 344. 512.

Epilogus prædictorum. *Caput octauum.*

IAm igitur quę ad Aurifabrilem, Cudimiam, officinam nūmariam, & cabala metallorum, ad metallorum perfectionem arcana pertinentia sunt, præter materiam primam artis, ad minereque Argenti & Auri duarum rubearum, Theoricam, ac practicam, proportionemue requisita, Denique mysteriū ipsius artis Voarchadumicæ penitus contra Alchemiam, haudque parumper distinctam ab Archemia, & Sophia, ad tuam, lector candidissime, contemplationem ædidimus. Pro quo deinde in speculo nostro Domino æterno omnipotenti aspirante (si hæc non displicuisse cognouerimus) altiora profecto reuelabimus pro nostra singulari erga virtutis indagatores, & cupidos veritatis beneuolentia, animique gratitudine, ac sinceritate.

Auctoris excusatio de multifario vocabulorum vsu in Voarchadumica facultate. Caput nonum, & vltimum.

AEQuum, sane, fore arbitramur, lector solertissime, cum Voarchadumicam facultatem vocibus ei cōsentaneis hactenus explicauerimus, vt nobis veniam præbeant eruditi Grammatici, vti solent cæteris disciplinarum professoribus, si quippiam hoc in nostro volumine scriptum, aut obsoletis (vt aiunt) vocabulis præter, vel contra maiorum decreta dictum sit. Id enim non temere, seu negligentia, ignorantiave factum putent. Sed iure, nempe ipsius professionis ita exigentis euenisse. Aut forsan tollendæ æquiuocationis gratia ipsius vocis, vel sæpius indicandæ verioris proprietatis occasione, vocē quampiam vsurpatam fuisse, qua promtius aliquid arti consentaneum, ac præter solitum vsum, veros tamen conceptus præferente decuerit enucleasse. Quandoquidem nulli auctorum (nostro non solum iudicio, sed communi omnium consensu) in quacunq; scribentium facultate hoc negatum existit: quin nonnullis, ac veluti proprijs terminis vti liceat, atq; suum seruare stylum, ne proprios artis illius excedere, vel egredi limites (quod omnino profanum esset) videantur, cui (sane) veritati apertissime adstipulatur illa peripateticorum principis doctrina edocentis (in genere relationis) oportere aliquando pro explicandis rerum proprietatibus, nomina confingere. Quamobrem & nos hunc scribendi morem seruasse, ipsa ita exigente Voarchadumica facultate, nemo succenseat.

Æditionis meta.

VOarchadumia à Ioanne Augustino Pantheo Veneto sacerdote edita, felicibus auspicijs explicit. Regnante Iustissimo Andrea Griti.

INDEX



INDEX RERVM ET VERBOrum secundi voluminis.

Corpo-

Locus



FINIS INDICIS.

